



XIV.
E.
24.
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIV
E
24
NAPOLI

SUPPLEMENTUM
AD VARIAS COLLECTIONES OPERUM
CLAR. VIRI
Z. B. VAN-ESPEN
J. U. D. & SS. Canonum Professoris,
IN ACADEMIA LOVANIENSI
CONTINENS PRÆCLARA JURIS RESPONSA,

EPISTOLAS, ET VARIA OPUSCULA HUJUS DOCTORIS

NONDUM EDITA; NECNON MOMENTOSAS EJUSDEM LUCUBRATIONES JAM EDITAS, QUÆ IN OMNIBUS EJUS OPERUM COLLECTIONIBUS ETIAM IN ULTIMA ANNI 1753, OMNIUM LOCUPLETIORE DESIDERANTUR.

Cum variis Monumentorum Appendicibus.

TOMUS TERTIUS.
PARS QUINTA.





NEAPOLI.

EXPENSIS ANTONII CERVONII.

PUBLICA AUCTORITATE, AC PRIVILEGIO.

MDCCLXIX.



E L E N C H U S.

Operum quæ in tertio Supplementi Tomo reperiuntur.

P A R S   Q U I N T A

Continens motiva Juris, aliaque monumenta ejusdem Doctoris circa negotia sibi aut suis operibus illata.

INSTRUMENTA CONFICTA.

Livre premier.

CAUSA ESPENIANA. Livre second

Contenant les pieces relatives aux procedures faites contre M. van-Espen devant le Recteur de l'Université de Louvain au sujet de sa Réponse Epistolaire.

sus

Causa Espenia. Livre III.

Contenant les pieces relatives aux procedures faites par ordre de M. l'Archevêque de Malines contre M. van Espen au sujet du Formulaire d'Alexandre VII. *& de la Bulle Unigenitus.* 356.

FINIS.

SUPPLEMENTUM
Ad varias Collectiones Operum
Z. B. VAN ESPEN
J. U. D. & SS. Canonum Professoris
In Universitate Lovaniensi.

PARS QUINTA
CONTINENS MOTIVA JURIS,
Aliaque monumenta ejusdem Doctoris circa negotia sibi aut suis Operibus illata.

I.
CONCLUSIO FINALIS
Pro Consultissimo Domino JOANNE BAPTISTA VAN CUTSEM J. U. L. Universitatis Lovaniensis Promotore seu Fisco Generali, nomine officii Actore,

Contra Patrem BERNARDUM DESIRANT Reum inquisitum, personaliter citatum. (a)

PROŒMIUM.
Atrocitas & natura criminum, de quibus agitur in hac Causa, obiter proponitur: differitur de modo, quo in illis persequendis procedatur: expenduntur qualitates testium, quibus Actoris intentio fundatur.

1. 
Trocitas criminum, Magnifice Domine, de quibus in hac causa criminali agitur, jam satis diu Belgium totum Europamque universam commovit, & pœnas tandem in Reum criminum, voce publica deposcit.

2. Crimina sunt numero multa, enormitate sua & novitate inaudita, consilio prorsus diabolico & infernali, in fortunas, libertatem, famam, caput & vitam innocentissimorum atque integerrimorum omnis conditionis virorum excogitata, ad perniciem Reipublicæ omnisque societatis humanæ subversionem manifeste tendentia.

3. Hæc crimina evitandæ confusionis causa, quam fieri poterit brevissime, oculis Magnificentiæ Vestræ Actor subiiciet.

(a) Primo Typis data anno 1708. Hujus Operis Auctorem esse Espenium ipsum, certiores nos fecerunt viri optimæ notæ, qui cum ipso intimiorem habuere familiaritatem; ipseque satis clare insinuat Epistola LXXXIV. Vide commentaria in Vitam & Opera Espenii, Parte III. Cap. VI. Art

4. Primum crimen est confictio & conscriptio Epistolæ de 10. Januarii 1707. ad Dominum van den Nesse Pastorem Sanctæ Catharinæ Bruxellis: nec non ejusdem Epistolæ falsa & adulterata signatura sub his quatuor litteris Z. B. V. E. quæ sunt litteræ initiales nominis *Zegeri Bernardi van-Espen*.

5. Secundum crimen est, confictio & conscriptio impii formularii, dictæ Epistolæ inclusi; cui formulario finguntur parati esse subscribere viri plurimi, quorum nomina in ea Epistola sunt expressa.

6. Tertium est, confictio & conscriptio alterius non minus impii & horrendi formularii de mense Junio 1706., jam inde subscripti complurium Virorum fictitiis signaturis.

7. Quartum, confictio & conscriptio libri congregationum & resolutionum cum nominibus conjuratorum, non tantum Ecclesiasticorum, sed & laicorum, qui hisce congregationibus & resolutionibus interfuissent scilicet.

8. Quintum est, confictio & conscriptio plurium aliarum litterarum cum adulterata & falsa similiter signatura dicti *Zegeri Bernardi van-Espen*; quarum quædam continebant machinationes in vitam Petri Nicolai Tourteau.

9. Sextum, quod hæc omnia ad altiores Potestates imo & ad Supremas, transmissa sint ad eas ita circumveniendas.

10. Septimum denique est, violatio domus Cursoris Regii, & plurium litterarum ex ea subreptio.

11. Hæc, inquam, adeo sunt atrocia, ut dum primum in lucem emerserunt, immanitate sua omnes commoverint & perculerint; nunc vero penitius excussa horrorem incutiant supra quam dici possit.

12. Finis eorum nefandorum moliminum per se patet. Nec enim alius esse potest, quam famam, fortunas, libertatem, imo & vitam omnium, qui tum in libro resolutionum, tum in Epistola de 10. Januarii 1707. aliisque confictis instrumentis nominantur, modis indignissimis perdere: quod ex delectu materiæ gravissimæ, nimirum Status & Religionis, & ex transmissione ad Supremas Potestates adversus eos præventas, eaque clancularia, jure præsumitur: eodem plane argumento, quo ex qualitate teli, ex loco inflicti vulneris, & ex infligendi modo recte colligitur animus occidendi.

13. In hoc priori negotio virulentus machinatoris animus eo usque processit, ut nec Regiis quidem commodis, sive, ut vocant, *interesse* pepercerit, modo maledicentiæ suæ faceret satis: ausus infando huic negotio involvere Supremas Potestates, Regi fœderatas; quod natum erat, eas cum Rege & inter se committere & collidere; uti ipse Reus admittit in suo personali responso ad libellum gravaminum, & infra latius ostendetur & amplius expendetur.

14. De ipsis criminibus, seu de *corpore*, ut vocant, *delicti* amplius quærendum non est: Deo enim sic disponente factum est, ut ab ipso pene hujus causæ initio in confesso fuerit, ipsa delicta vere esse perpetrata, idque toti orbi innotuerit.

15. De instrumento similiter constat. Petrus enim Nicolaus Tourteau ultro fassus est, & constanter pergit fateri, se harum fictionum & conscriptionum fuisse instrumentum, sed merum & nudum; instigatorem vero, & primarium Auctorem affirmat fuisse Patrem Desirant in hac causa Reum.

16. Qui P. Desirant de seipso etiam fassus est & constanter fatetur, sese hisce omnibus fuisse usum, eaque ad Superiores Potestates misisse; sed tantum obtentu *bona fidei* excusare sese laborat.

17. Ita ut præsens judicium unice versetur circa hanc quæstionem: An Reus, scilicet P. Desirant, sit horum scelerum inventor, instigator & primarius Artifex?

18. Secundo, an aliquam bonam fidem prætexere possit in usu fictorum instrumentorum, eorumque transmissione ad Supremas Potestates?

19. Certe nequaquam negari potest, quin ea sit conditio horum criminum (quæ in falsificatione signaturarum, confictione falsorum instrumentorum, proditorio eorum omnium usu; item in expilatione domus Cursoris consistunt) ut *secretissime* maximeque clancularie, semotis testibus perpetrari, atque ideo difficillimæ soleant esse probationis: ita ut merito ante omnia dispi-

dispiciatur de modo, quo in similium criminum probatione procedi soleat, ut res majore cum claritate procedat.

20. Magnus in his pro Actore juris favor est, ut Respublica malis hominibus careat, quies populi & tranquillitas publica conservetur, maleficia non maneant impunita, sed noxii compescantur.

21. Unde ex communi Doctorum opinione & recepta praxi, adversus accusatos de hisce criminibus proceditur per indicia, præsumptiones, aliasque probationes artificiales, uti post Mascardum, Menochium, Julium Clarum, aliosque quam plurimos citatos, tanquam indubitatum tradit Simon van Leeuwen in Censura forensi *Part.* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 7. *Num.* 5.

22. Inter hæc delicta Auctores communiter computant suppositionem partus, simulationem, fraudem, dolum; Menoch. *de Arbit. Judic. lib.* 2. *casu* 116. & *lib.* 1. *quæst.* 58. ideoque & in iisdem præsumptiva & conjecturata probatio sufficit: Farinac. *lib.* 2. *Criminalium tit.* 6. *quæst.* 55. *N.* 40. Mascard. *de Probat. Concl.* 1124. *Num.* 13. Boss. *tit. de Delict. Num.* 20. Vivius *Decis.* 296. *N.* 2. Menoch. *de Præsumptionibus lib.* 1. *quæst.* 58. *Num.* 2. & plures citat sequiturque Giurba *Cons. Crim.* 2. *N.* 44. , & dictus van Leeuwen *ib.*

23. Quod similiter verum est, si agatur de delictis commissis in nemore, monte, aliove loco secreto; item de furto, maxime nocturno, in quibus ratione loci & temporis difficulter testes haberi possunt; Farinac. dicto *tit.* 6. *quæst.* 62. *Num.* 55. Ant. Gomez *tom.* 3. *variar. Resol. Cap.* 12. & van Leeuwen loco citato.

24. Quàm hæc sunt affinia delictis, de quibus hic quæstio! Machinationes enim illæ diabolicæ apud Clarissimum Dominum van-Espen, ut horrendum librum resolutionum pro suo agnosceret, adhibitæ per Patrem Leopoldum, aliosque, quid aliud sunt quam partus, & quidem infamissimi, suppositio? Idem dici potest de tractatibus habitis cum Patre Grauwels sub prætextu Sacramenti Pœnitentiæ ad procurandam denuntiationem, & de attentata clandestina denuntiatione; quæ latius in hac Finali Conclusione deducentur.

25. In quæstione autem de clancularia transmissione ad Supremas Potestates sub prætextu boni finis, & excusatione bonæ fidei, manifeste vertitur quæstio de fraude & dolo.

26. In expilatione vero domus Cursoriæ agitur de furto natura sua occultissimo, & quod non nisi secretissime peragi potest.

27. Denique cum agatur præcipue adversus Reum tanquam primarium Auctorem & Instigatorem, qui facillime latere potest, non vero contra *manualem* executorem; credit Auctor sub correctione, si in ulla, certe in hac causa locum esse debere conjecturatis & præsumtivis probationibus.

28. Nec obstat commune dictum, quod in Criminalibus requirantur probationes luce meridiana clariores: cum nullo jure cautum sit, quo probationum genere claritas hæc elici debeat.

29. Porro constat quod probationes fundatæ super argumentis ex pluribus indiciis conglobatis, & præsumptionibus concurrentibus non minus claræ & perspicuæ esse queant, quam quæ fundantur in dictis testium, etiam omni exceptione majorum, cum eo non obstante ignoti maneant animi recessus.

30. Quod admodum eleganter pluribus probat Antonius Matthæus *de Criminibus, tit. De probat. Cap.* 6. *Num.* 1. qui adductis plurium Auctorum de hac probationis specie opinionibus, tandem concludit pro eorum opinione, qui existimant indiciis & argumentis convictum, non minus ordinaria pœna affici posse, atque si testibus convictus esset.

31. *Argumentum, secundum Ciceronem*, ait, *nihil est aliud quam ratio, qua rei dubiæ facit fidem. Res autem dubiæ non utique pecuniariæ duntaxat & privatæ, sed & publicæ & capitales sunt. In utrisque igitur argumentis locus est.*

32. *Argumentum porro vel necessarium, vel contingens est: necessarium, cujus consequentia necessaria est; contingens, cujus consequentia probabilis est.*

33. *Necessaria quoniam necessariam consequentiam habent, ob id ipsum necesse est, tam in criminalibus, quàm in civilibus causis locum sibi vindicare.*

34. *Contingentia vero, quanquam singula*

fidem non faciant , plura tamen conjuncta crimen manifestare *possunt*.

35. *Rem uno atque altero exemplo declarabimus* (pergit Matthæus) . *Occisus est Kalendis Mævius , Titius perempti inimicus fuit , eidem sæpius non solum interminatus , sed & insidiatus est . Cum deprehenderetur iisdem Kalendis in loco cædis , cruentatus cum gladio cruento ad mensuram vulneris facto , toto vultu expalluit ; interrogatus nihil respondit ; trepide fugit . Hic singula quidem argumenta inferiora sunt , universa tamen cædis Auctorem Titium* evidenter *designant*.

36. *Præcepta & exemplum tradit Quintilianus* 5. Instit. Orat. 12. *Firmissimis*, inquit , *argumentorum singulis instandum ; infirmiora congreganda sunt : quia illa per se fortia non oportet circumstantibus obscurare , ut qualia sint appareant . Hæc imbecilla natura , mutuo auxilio sustinentur . Itaque si non possunt valere quia magna non sunt , valebunt quia* multa *sunt , quæ ad ejusdem rei probationem spectant : ut si quis hæreditatis gratia hominem occidisse dicatur : hæreditatem sperabat , & magnam hæreditatem , & pauper eras , & tum maxime a creditoribus appellabaris : & offenderas eum , cujus hæres eras , & mutaturum tabulas sciebas . Singula levia sunt , & communia , universa vero nocent , etiamsi non ut fulmine , tamen ut grandine*.

37. *Sic & Cicero* 4. Rhetoric. ad Terent. *Ejusdem generis* , ait , *est illa frequentatio, quæ plurimum conjecturalibus causis opitulatur , cum suspiciones , quæ separatim dictæ, minutæ & infirmæ erant , unum in locum coactæ rem evidenter perspicuam facere , non suspiciosam : nam unum aliquid aut alterum potest in Reum casu cecidisse suspiciose ; ut omnia inter se a primo ad postremum conveniant maleficia , necesse est casu non posse fieri* .

38. Imo & in hisce criminibus praxis habet , quod plures diversæ probationes in genere suo imperfectæ conjunguntur ad plenam probationem , de qua re prædictus Matthæus *eodem tit. C.* 3. *N.* 4. *Unus testis audiendus si alia argumenta concurrant: non enim necesse est unum crimen uno & eodem probationis genere ostendi , veluti testibus tantum vel tabulis vel argumentis : possunt & diversa genera ita conjungi , ut quæ singula non nocerent , ea universa tanquam grando Reum opprimant l.* 3. §. *Ejusdem ff. De testibus : hoc est quod aliis verbis dicitur , plures probationes imperfectas posse conjungi* . Idem censet Baldus in *l. Spadonem* §. *Qui jura ff. De excusat. tutor.* Anchar. *Cons.* 276. in fin. Aretin. *cons.* 65. *Vers. Quod quartus testis* . Butri. *in C. fin. Vers. Quod si recepti sint , de Jureiurando* . Salic. *in l. Bonæ fidei , Vers. Vilis , quæ semiplenam , l. Si certum petat.* & Crav. *in Cons.* 178. *N.* 3. ubi diserte concludit , ex dicto socii criminis , in criminibus occultis , juncta infamia Rei , causari semiplenam probationem ; & si cum his concurrant alia plura indicia , quæ excedunt efficaciam unius testis , omni exceptione majoris , censeri plenam probationem impletam.

39. Quin etiam admittuntur testes inhabiles si aliter veritas haberi non possit , uti in his delictis contingit ; Farinac. *lib.* 2. *Operum crim. tit. 6. quæst. 63. Num.* 28. Grammat. *Decis. Neap.* 11. Bursat. *lib.* 4. *Cons.* 346.

40. Quid , quod eo usque hæc procedant , ut admittantur socii criminis si cum eorum dictis concurrant indicia , & mala fama Rei , uti supra ostensum est ex Cravetta aliisque, cui conformes sunt Abbas *Cap. Sicut*. Felin. *Cap. Cum in tua. de testibus*, Boer. *Decis.* 319.

41. Hic favor est utilitatis publicæ : quantum enim aletur audacia , & quæ securitas erit tranquillitati publicæ , si non nisi ab oculatis & idoneis testibus & contestibus metus sit perniciosis hisce criminibus, quorum natura est, arbitros fugere, quod in hujusmodi sceleribus facillimum sibi esse norunt.

42. Deducto jam procedendi modo , & stabilita qualitate testium, qui in hac causa produci possunt , restat ut personæ testium in eadem pro parte Actoris productorum expendantur , ut in ipso limine Magnificentiæ Vestræ constet , eos in hac causa plane esse idoneos ad intentionem Actoris, juxta naturam causæ hujus, fundandam, & ad sufficientiam Juris probandam.

43. Quod & serviet pro salvatione adversus reprobationes , quas variis ex illis

oppo-

oppoſuit in cauſa ſua Pater Franciſcus d' Herbe ſocius Rei & complex, & quas Reus adoptavit, hoc modo oblique tentans evadere effectum ſecluſionis a facultate reprobandi, quam contumacia ſua in currerat.

44. Quanquam enim pleraque clariſſime probentur teſtimoniis Teſtium omni exceptione majorum, Eximiorum Dominorum DAMEN, DAELMAN, PARMENTIER, Eximii Patris T'SERAERTS, item Eruditiſſimi Domini Plebani PAUWELS, Patris GRAUWELS & aliorum, quos ipſe Reus non ſolum non reprobavit, ſed etiam pro ſe produxit, & nominatim ex ipſius Rei clariſſima confeſſione; non tamen aliorum teſtium depoſitiones negligendæ ſunt in ſimilibus cauſis, in quibus copia teſtium, concurſus præſumptionum, multitudo & varietas indiciorum, aliaque adminicula, præcipuum momentum & pondus addunt, uti mox deductum eſt: inſuper & ſervient ad elidendas frivolas excuſationes, quarum objectione Reus ſe a crimine expedire nititur.

45. Præteribit Actor Teſtes, quorum depoſitiones unice inſerviunt ad oſtendendam falſitatem eorum, quæ in libro Reſolutionum & confictis inſtrumentis continentur; falſitas enim eorum vel ipſo Reo fatente publice ſatis innotuit, ut ulteriori probatione nequaquam indigeat.

46. Generali itaque in primis exceptione remotos vult Reus omnes illos, quorum nomina reperiuntur in libro Reſolutionum & litteris aliiſque inſtrumentis, de quibus quæſtio; quia, ut ait, omnes & ſinguli eatenus ſunt partes in cauſa.

47. Sed hoc plane a veritate alienum eſt, cum nec ſint Actores nec pars civilis, imo ne quidem delatores, uti ipſe Reus non ſolum aſſerit, ſed etiam fortiter urget ad Articulum Sexageſimum interrogatoriorum, item in reſponſione ſua ulteriori ad Libellum gravaminum.

48. Sunt quidem pars læſa, ſed eo titulo a ferendo teſtimonio repelli non poſſunt, aut fides ipſis abrogari.

49. Quotidianum enim eſt, quando furtum commiſſum, vis publica vel privata illata eſt, aut ſimile crimen patratum, ut mox Officiarii apud eos, qui furtum aut vim paſſi ſunt, de crimine ejuſque auctoribus informent, & ea paſſos in teſtes producant, ubi nulli unquam in mentem venit ejuſmodi teſtes ſolo hoc titulo reprobari poſſe.

50. Præſertim cum publice nota ſit eorum innocentia, nota ſit injuria enormiſſima, quam paſſi ſunt.

51. Et hæc res apud ipſum Reum in confeſſo eſt, *nec præſenti Judicio de eo quæritur:* ſed unice, quis hujus injuriæ ſit Auctor, quod ipſis certe indifferens eſt. At neque cauſam legitimam Reus allegat, cur in ipſum potius quam in quemlibet alium crimen illud conjicere vellent.

52. Certe nullo modo hoc deduci poteſt ex eo, quod Articulo ſequenti in ſchedula reprobationum dicat, quod etiam præſumi debeant opponenti plus juſto infenſi, eo quod eundem præſumant & jactitent eſſe Reum factionis ſeu fictionis.

53. Manifeſtam enim hoc involvit petitionem principii, infenſi ſiquidem animi hæc ſolum afferre poteſt argumentum, quod putent Reum eſſe Auctorem nefandæ hujus actionis, hoc autem eſt, de quo in hac cauſa quæritur, quod ipſis indifferens eſſe paulo ante oſtenſum eſt.

54. Inter teſtes, quos reprobat nominatim, ante omnes occurrit Clariſſimus Dominus van-Eſpen Juris Utriuſque Doctor, cui opponit primo, quod ſit principalis pars in cauſa. Sed hoc jam mox refutatum eſt, ubi de generali ejus exceptione adverſus omnes nominatos in Libro Reſolutionum & in litteris, de quibus quæſtio, actum eſt.

55. Secundo dicit, quod allaboraverit evulgationi famoſæ copiæ Epiſtolæ de 10. Januarii 1707. Sed plane inepte; nam dictus Clariſſimus nihil aliud fecit, quam copiam dictæ Epiſtolæ tranſmiſit Domino Canonico Vivien, ex quo neſcitur quid Reus deductum velit quod fidem ei abrogare debeat: copia enim, quam tranſmiſit, eſt omnino fidelis & concordat cum originali conſignato, nec oſtenditur dictus Clariſſimus ulli dixiſſe ejus Epiſtolæ Auctorem eſſe Patrem Deſirant.

56. Dicit tertio, quod Petrus Tourteau familiariter litteras ad dictum Doctorem ſcripſerit. Sed negat Petrus quidquam dicto

dicto Doctori a se scriptum esse, nisi litteras, quibus veniam injuriæ, quam intulerat, humiliter petebat. Ad hoc autem quænam familiaritas requirebatur, cum cuilibet liberum sit ad quemcumque etiam ignotissimum litteras scribere?

57. Deinde familiaritas ultro citroque exerceri debet, alioquin familiaritas dici non potest: nullæ autem litteræ Responsoriæ unquam ostendentur (neque enim existunt) a dicto Doctore ad Petrum Nicolaum Tourteaù.

58. Dicit quarto, quod dictus Doctor varias instantias fecerit apud defunctum Rectorem ut dictus Petrus relinqueretur apud Oratorios. Sed omnino impertinenter: defuncto enim Rectori (parato & instructo a Reo, ut Universitati proponeret an ad parcendum expensis, placeret Petrum Nicolaum Tourteau transferre ex Oratorio ad Domum Promotoris) nihil aliud dixit dictus Doctor, quam illa propositione nihil esse opus; cum intra quindenam totum negotium posset terminari. Quænam, obsecro, hic ratio est, testem reprobandi? Imo dictum ejus tam æquum visum fuit Rectori defuncto, ut ei acquiescens ad Universitatem de hac re nihil retulerit.

59. Quinto, contra eundem opponit, quod signaverit Actam declarationis eorum, quæ inter dictum Clarissimum & Patrem Leopoldum a Sancta Theresia acta & dicta fuerunt, eamque medio Juramento renovaverit: & hanc declarationem annectit, ut ostendat dictum Doctorem van-Espen varia deposuisse, quæ non videntur consonare veritati.

60. Sed per omnia inepte: nam in primis dicta declaratio exhibita fuit non per dictum Doctorem, sed per Actorem, qui 29. Aprilis ipsum produxit, & super illa recolligi fecit.

61. Deinde specifice allegare debebat, si quid prætendebat ab eo dictum esse, quod cum veritate non concordaret: unde adversus vagas ejusmodi & indeterminatas assertiones, Actor impendit generalia Juris.

62. Quanquam non credatur Reus quidquam aliud adversus declarationem hanc habere quod opponat, quam discrepantiam prætensam, an dies, qua Pater Leopoldus ad dictum Doctorem venit, fuerit 16. Februarii, uti Reus & dictus Pater Leopoldus contendunt; an vero 12. ejusdem, uti affirmant Actor & dictus Clarissimus Dominus van-Espen.

63. Et quanquam Reus super hoc Articulo specialiter produxerit dictum Patrem Leopoldum Carmelitam Discalceatum & fratrem ejus Patrem Sylvanum ejusdem Ordinis; tamen Actor consultum non duxit super eo Articulo testes in contrarium producere (nempe Clarissimum Dominum van-Espen & ejus famulum Jacobum Le Jeusne, paratos juridice deponere id factum fuisse dicta 12. Feb.) ne nova productione testium, causa tanti momenti inutiliter prorogaretur.

64. Præsertim cum infra capite tertio ostendatur, quod sive dies illa fuerit 12. Feb. sive 16. ejusdem, nihil ad Rei levamen inde deduci possit.

65. Finaliter obiicit eidem Clarissimo Domino van-Espen, quod apud defunctum Rectorem varias instantias fecerit contra Reum, in hoc se non testem, sed manifestam partem gerens.

66. Sed omnino negatur generale illud & indeterminatum; & signanter ullas instantias a dicto Doctore esse factas quam ut judicium acceleretur, & Auctor rei adeo infandæ, quicumque ille sit, innotescat & pro merito puniatur; ut pœnæ exemplo deterritis quibusvis aliis, ipse læsus deinceps securus esse possit: in quo nihil est quod officio testis repugnat, ut ante ostensum est.

67. Contra vero Dominum Professorem Cincq opponit Reus, quod una ex Epistolis Henrici Grasper scripta sit in ejus cubiculo, & quod palam jactet se paratum omnes prædicti Grasper litteras cum inclusis publice defendere, & quod Dominus Krys Epistolam aliquam ad ipsum inscripserit & direxerit. Etiamsi hæc vera forent, quod tamen non probat, quid hoc quæso, facit ad præsens negotium, in quo nulla quæstio est, an dictæ Epistolæ Domini Grasper sint bonæ an malæ, sed tantum utrum Reus sit Auctor horrendæ illius tragœdiæ?

68. Quod vero ulterius dicat, quod dictus D. Cincq ubique se formaverit maxi-

mam

unam partem in hoc negotio, colludendo cum Advocato Fiscali, hoc iterum magis vagum est & indeterminatum, quam ut illi responderi debeat.

69. Sequitur nunc Eximius Dominus Martin, adversus quem allegat, quod sit in actuali lite cum Reo pro quorumdam Collegiorum Provisoratibus: sed a longo tempore lis illa quiescit.

70. Indigna autem suspicio est, quam Reus adversus istum Eximium format; quasi (ex eo, quod eorum Provisoratuum consequendorum spem indubitatam sibi formet D. Martin, si Reus quocumque modo ex loco strictæ Facultatis deturbetur) in hoc negotio non sincere procedat: hoc enim, attenta hujus causæ gravitate & exiguo fructu dictorum Provisoratuum, horrendum foret, nec præsumi debet in Sacerdote & Doctore, nisi præsumptio solidis adminiculis fulciatur; maxime attento, quod ipse Reus dictum Eximium Dominum Martin in locum strictæ Facultatis cooptarit.

71. Eximium Dominum Renardi, qui ordine sequitur, dicit Reus palam (salva doctrina) adhærere præcipuis, qui sunt de parte adversa. Sed quid tum; cum tamen notorium sit, & ipse Reus sit fassus ad Articulum 35. Interrogatoriorum, quod sit illi admodum familiaris, ita ut maxime idoneus sit ad ferendum testimonium?

72. Sed labore adversus suas frivolas reprobationes salvandi nos levat ipse Reus, dum hoc loco ipsemet allegat ea, in quorum probationem productus fuerat dictus Eximius Dominus Renardi: videlicet quod Reus de toto hoc negotio nihil cum eo egerit, & deinde quod ab illo objectum fuerit Reo, talem & talem congregationem non fuisse factam tali vel tali die propter talis vel talis absentiam.

73. Contra Dominum Professorem Goethals opponitur, quod ab Universitate deputatus fuerit Bruxellas cum expressa clausula, tanquam ex parte interesse habentium: sed hoc æque impertinens est, quam quod ante objecit in sua generali exceptione adversus omnes, quorum nomina in litteris, de quibus quæstio, & afferto libro Resolutionum continentur.

74. Habent quidem hi interesse ut judicium acceleretur, & non impediatur per conflictum jurisdictionis, ad quod serviebat asserta deputatio Domini Goethals Bruxellas; nullum vero interesse habent, ut Reus plus quam quilibet alius, crimine, de quo quæstio, teneatur, uti sæpius dictum est.

75. Hæc ad frivolas reprobationes testium præcedentium: aliquid forte amplius difficultatis habere possent testes sequentes, in quibus paulo diutius immorandum.

76. Inter hos primus est ipse Petrus Nicolaus Tourteau, qui, ut fatetur, a Reo ad hæc omnia adhibitus fuit tanquam instrumentum; & quidem indubie fides ejus ex objecto perjurio aliisque plurimum imminueretur, nisi ipse Reus illum ipsum ad hæc omnia seduxisset, ut fidem ei omnem auferret, uti Cap. 6. latius ostenditur.

77. Sed supra ostensum est, quod in hac causa admittantur testes inhabiles; imo & complices, si cum eorum dictis concurrat Rei infamia, aliaque indicia, quibus veritas præsumitur, qualia hic concurrunt admodum conspicua.

78. Atque illud in primis, quod postquam a Reo seductus falso accusaverat, & quidem interposito juramento, Clarissimum Dominum van-Espen; ubi peccatum suum animadvertit, illud retractaverit: quod attenta gravitate materiæ, sine maximo suo periculo fieri non poterat.

79. Secundo, quod jam constanti decem mensium, vel circiter, experientia, plane cognita & explorata sit ejus in posteriori sua depositione veracitas.

80. Dum contra Clarissimum Dominum van-Espen deponebat, quamvis res diu fuisset præmeditata, mox variavit: circumstantias, quæ simul nullo modo consistebant, allegabat; testes, quos nominaverat, sub juramento interrogati contrarium deponebant; detentus in domo Magnificentiæ vestræ, turbatus & dejectus stimulis conscientiæ amare flebat, ut constat ex depositione patris ejus, de data primæ Junii.

81. Mox iisdem stimulis agitatus ad Conventum Carmelitarum ad Sanctam Catharinam se recepit; paulo post corde compunctus cœpit auxilium exquirere, & aliquibus negotium aperire. Et hæc omnia facta sunt minori tempore, quam quinde-

næ, ut patet ex initio Informationum.

82. Nunc autem a 26. Martii, qua se recognoscere & veritatem aperire cœpit adversus Reum, adhuc existens apud Carmelitas, dicta die & sequentibus tentatus & examinatus super minutissimis circumstantiis, ex tempore & sine hæsitatione respondit, & responsa ejus collata cum anterioribus Informationibus inventa sunt concordare.

83. Vocati judicialiter & auditi sub juramento omnes, quos in suis responsionibus nominaverat, aut qui de factis, quæ allegaverat, notitiam habere poterant, responsa ejus per omnia confirmarunt, uti videre est in Informationibus die 28. Martii & sequentibus.

84. Et quod specialem attentionem meretur, jam fere per decem menses in nullo retractavit aut variavit.

85. Magna profecto in eadem persona & temporibus plane contiguis quantum ad has duas accusationes diversitas! Nonne itaque sicut in priori mox deprehensa est falsitas; ita in posteriori clarissime elucet veritas?

86. In his etiam attendere dignetur Magnificentia Vestra, quod prior accusatio, quam retractavit, tantum facta sit in Informationibus, quæ minus solemnes sunt & minus efficaces; secunda vero in Recollectione.

87. Ulterius ipsi opponitur, quod tertio variavit; sed sine ullo fundamento.

88. Variavit quidem, donec resipiscens apud Acta in suis responsionibus depositionem suam priorem ad onus Doctoris van-Espen retractavit, & adversus Reum deponere cœpit.

89. Ab eo vero tempore constantissimus & sine ulla variatione permansit, & adhuc plura, quæ priora confirmabant, deposuit.

90. Nec hic attendendum est ad attestationes aliquot, vel ex ipso Tourteau extortas & emendicatas, dum in sua mente turbatus erat ex consideratione abyssi, in quam se præcipitatum videbat, existens apud Patres Carmelitas ad Sanctam Catharinam, aut declarationes aliquot prætensas viva voce ab ipso factas ibidem.

91. Hæc enim omnia sunt plane extrajudicialia, ad quæ in judicio non attenditur, uti notorium est.

92. Restant nunc Nicolaus Tourteau pater dicti Petri Nicolai Tourteau, & Clara Leemans Petri Nicolai uxor. Et hoc quidem negari non potest, vera esse, quæ in termino productionis eorum de die prima Junii allegata sunt, scilicet quod unus sit pater & altera uxor Petri Nicolai Tourteau, quodque eo titulo in causis ejus reprobari legitime possent.

93. Sed proprie hæc non est causa ejus, qui hic non est Actor; imo proprie loquendo ipse nullam causam habet; crimen suum fatetur, pœnam non deprecatur, tantum in illa irroganda clementiam Magnificentiæ Vestræ implorat.

94. Unde in primis perperam imponit Reus dicto Nicolao Tourteau, quod perdite defendat causam filii sui, quæ nusquam existit.

95. Nullam inimicitiam aut causam odii in his testibus Reus allegat, a præsenti causa distinctam; imo contrarium plane patet ex Actis, ex quibus per totum constat; quod usque ad detectum mysterium iniquitatis Reus dicto Tourteau seniore semper usus sit, & quod Claræ Leemans sæpius pecunias subministraverit.

96. Hæc autem causa talis est, ut testes alioquin incompetentes admittantur & fidem faciant; præsertim si fides eorum pluribus adminiculis ita fulciatur, ut Judici prudentem credulitatem moveat, uti supra ostensum est.

97. Quantum ad Nicolaum Tourteau attinet, ille deposuit de facto proprio, idest de iis, quæ partim cum filio suo, partim cum Reo egerat.

98. Super omnibus, quæ præparatorie deposuit Reus, in Interrogatoriis examinatus & interrogatus, plura admisit, aliquibus aliam faciem & speciem induere conatus est, tam ibi, quam in sua Responsione uberiori.

99. Quantum vero ad ea, quæ negavit, mere in negativis perstitit, cum interim nullam omnino probationem in contrarium, vel saltem indicium adferre potuerit, quo fides Nicolai in dubium vocaretur.

100. Insulsum autem & ridiculum est, eidem opponere, uti hic facit Reus, quod anteriores falsificationes filii sui sciverit, nec Reo indicaverit; etiamsi enim omnia

vera

vera forent, quis eum ratione a Patre exigere potest, ut filii sui nequitias prodat, unde fiat ut a domibus, in quibus victum lucrari posset, arceatur?

101. Clara vero Leemans uxor ejus plura dedit sinceritatis indicia: nam in primis cum quinta Martii maritus ejus deposuisset sub juramento, quod Epistolam de 10. Januarii sub dictamine Clarissimi Domini van-Espen scripsisset, & eum in finem, existens apud Reum a dicta sua uxore vocatus fuisset ad dictum Dominum van-Espen.

102. Ipsa post biduum ad dandum super eo testimonium comparuit, ibidemque verbis maxime efficacibus dicta sui mariti falsi arguit, dicens quod nunquam ipsa eum apud Augustinianos vocaverit; sed si suam domum quisquam venerit, qui eum vocaret, quo tempore ipse apud Augustinianos esset, vocantem aut ad socerum aut ad ipsos Augustinianos miserit; de cetero se nunquam a Doctore van-Espen, aut aliquo ex domesticis ejus requisitam ut maritum suum vocaret, imo se ne nomen quidem ejus audivisse nisi a marito suo & socru.

103. Notari hic merito potest biduum, quod intercessit inter comparitionem dictæ Claræ Leemans septima Martii, & comparitionem mariti ejus quinta ejusdem, intra quod indubie de omnibus a marito suo informata fuit, & præsertim de periculo, quod utrique imminebat, si ex ejus testimonio falsi convinceretur.

104. Unde luculentissimum sinceritatis & veracitatis ejus indicium apparet, quod maluerit in mala ista incidere, quam conscientiam suam prodere, & falsi crimen committere.

105. His itaque præmissis rem ipsam Actor aggreditur, speratque fore ut juxta hæc principia & hypotheses evidentissime intentio Actoris probetur, & de prædictis omnibus Reus convincatur. Vitandæ autem confusionis causa præsentem Conclusionem in aliquot capita distribuet.

CAPUT PRIMUM.

Argumentis & indiciis generalibus evincitur, Reum esse Auctorem omnium fictionum & Criminum primarium.

106. Pro argumentis & indiciis generalibus habet Actor illa omnia, quæ conducunt ad probandum, Reum esse non tantum Auctorem hujus aut illius conficti instrumenti particularis; sed generaliter totius hujus horrendæ tragœdiæ, omniumque fictionum & nequitiarum instigatorem, inventorem & auctorem primarium.

107. Inter hæc primum petitur a *genio* ipsius Rei, quem in sua depositione de 21. Junii 1707. Fr. Martin N. N. testis expressit his verbis: *Quod cum R. Dominus Steyaerte interponeret se apud præfatum Provincialem dicti Ordinis ad componendas difficultates, quæ tunc flagrabant inter Eximium Patrem Desirant & præfatum Provincialem & Ordinem, circa cubicula, quarteria, hortum suæ habitationis in Monasterio Lovaniensi, & circa prætensionem, quam ferebatur dictus Pater Desirant habere ad succedendum in Provincialatu dicti Ordinis; dictus Pater Provincialis, præsente Deponente, asseruerat, & monuerat Dominum Steyaerte, quod indoles Patris Desirant sibi perspecta esset & toti Ordini ab anno ætatis circiter decimoseptimo, quo ingressus est Ordinem, & quod testatus est in conscientia coram Deo, Patrem Desirantium eo esse ingenio, quod pro sua fortuna augenda proprioque interesse venderet, traderet, & proderet præfatum R. Steyaerts & totam Facultatem Theologicam, imo & suum Ordinem Eremitarum Sancti Augustini, & Summum Pontificem & Religionem Catholicam: quibus auditis exhorrescens dictus Dominus Steyaerts mandavit Deponenti, ut prædicta referret Eximio Patri Desirantio, & Deponens eadem retulit dicto Desirantio, adjiciens ex mandato Domini Steyaertii, quod, si ille sibi conscius esset ingenii tam nefarii & scelesti, indignus esset consortio honestorum Virorum, sin autem innocens esset, forti animo ferret adeo tetram descriptionem: Pater Desirantius autem hic auditis, nihil reposuit, nec concessit, nec negavit.*

108. Sane quod de studio augendæ fortunæ dixit Reverendus Pater Provincialis, plura ipsius evidentia argumenta Orbi universo, ac præcipue huic Universitati exhibuit Reus.

109. Notum in primis est quanta aviditate, quantisque fallaciis jampridem invaserit lectionem Historicam in Collegio Tri-

Trilingui, reclamante & se opponente tota Universitate: qualibus artibus & technis per plures annos cursum justitiæ stiterit, ac tandem per continuas cavillationes causam usque modo protraxerit, atque ita se in hac lectione cum notabili stipendio, Professori Linguæ Latinæ solvi consueto, manutenuerit.

110. Nimis quoque notum est Magnificentiæ Vestræ totique Universitati, quibus artibus se in Facultatem Theologicam intruserit, & via Justitiæ occlusa, se in ea manutenere hactenus sciverit.

111. Neque est quod Actor Magnificentiæ vestræ probet, quanto scandalo Reus nuper amplam hæreditatem occupare sciverit Domini de Steldershoven, hominis locupletis, minime mali, ab annis duobus cum dimidio circiter mortui; quem insignis hic hæredipeta cum jam senem, & carentem liberis semper esset affectatus, decumbentis postea lectum, quotidie sine intermissione obsedit, & tandem sub prætextu Religionis ex demortui exuviis, præter plurima gemmati operis, immensum pondus argenti & auri tam signati quam fabrefacti deportavit, ita ut qui moderatius loquuntur, ad triginta millia florenorum nostratium illud ascendere faciant. His & rheda cum equis & famulo, quibus in omnem vitam uteretur, accessit.

112. Pluribus hic exponere non intendit Actor, quæ publica fama fert, Reum nuper sub alio Regimine, cum huic civitati Præfectus esset Comes de *Souternon*, tentasse contra Primarios sui Ordinis Patres, eos apud dictum Comitem tanquam qui conspirassent cum hostibus in traditionem hujus Civitatis, veluti Patriæ Proditores, traducendo: Et hi quidem iidem sunt, quos ut Religionis & Status perduelles producit iterum in hac scena Scriptorum suppositorum. (*a*)

113. Hæc Magnificentiæ Vestræ in memoriam reducit Actor, ut appareat, Reum nequaquam a suspicione horum criminum ob eorum atrocitatem se posse eximere.

114. Graviter enim ubique conqueritur Reus, minus Christiane secum agi, quod vel suspicio tam atrocium scelerum commissorum de se habeatur, Doctore Catholico, Religioso, Facultatis Theologi-

(*a*) Hic inserendam putavimus Epistolam, ex Originali exaratam, ad hujus articuli elucidationem.

R. Adm. & Eruditissime Domine, Lovanio, vel pauca vel sterilia veniunt ad nos nuntia de famosa causa; omnes tamen intenti tenemus ora, exspectantes avide justum finem. Non ita pridem per manus amici cujusdam misi nostras, rogantes informationem vestram: sed responsum non accepi. Quare rursus rogo, ut quandoque per sinceritatem vestram merear instrui de statu causæ; nam sum curiosus ut octo. Et quid fiet de causa præterita perfide nobis imposita in materia proditionis? Utinam reviviscat nunc eum moderna!

Comparandæ sunt Epistolæ, quas D. Comes de *Susternon* desuper scripsit ad Aulam Bruxellensem, & vi quarum ex parte Concilii Regii missus fuit pro informationibus habendis Lovanium Illustr. Dominus *Fisquen*, Procurator Generalis, qui eas ad Concilium illud tulit. Hæc omnia debent esse in isto Concilio Regio, vel apud D. *Fisquen*.

Deinde nunquid sunt modo Bruxellis D. Comes de *Tirmont*, D. Cancellarius, D. Consiliarius *van der Brugghe*, & D. *Fisquen*, qui fuerunt membra istius Concilii Regii, qui omnia viderunt, legerunt & audiverunt; & possent dare veritatis illius testimonium? Nunquid desuper possent interrogari, & deberent Cathagorice respondere?

Ego in illo negotio possum plurimum lucis adferre; quia habeo causam illam deductam, prout mihi fuit narrata a D. Commissario *Leon*, qui omnia præsens & audierat & viderat; & habeo varios testes subsignatos de auditu sub juramento & habeo unum de visu: quæ omnia simul juncta faciunt semiplenam probationem, & argumentum sufficiens ad torturam.

D. *van Laeten*, & P. Procurator *Bossuyt* multa etiam ex ore D. *Leon* audiverunt, adeoque & ipsi possent interrogari & causam juvare. Hæc scribo pro instructione vestra danda amicis, dum esset tempus tractandi causam istam. Si sim necessarius, posset Rex per litteras me citare Bruxellas, cum mandato reproducendi omnes chartas & notitias, quas habeo circa causam illam. Hæ sunt meæ cogitationes. Forsan habebitis easdem; forsan alias & meliores, quas libenter intelligam. Hæc omnia maneant inter nos duos tantum. Salveant amici. Maneo exspectans gratissimas vestras R. Adm. & Erud. D. V R. Adm. & Erud. Domina famulus vester humillimus.

F. Emmanuel Ballero Exprovincialis.

Gandavi 12. Julii 1707.

(Superscriptio:)

D. Gwilielmo van den Nesse, S. T. L. & Pastori S. Catharinæ. &c. &

Bruxellis.

logicæ Regente Seniore.

115. Atqui novit Magnificentia Vestra, nec gradum eminentiorem, nec cujuscumque dignitatis fastigium de se ullam probitatem homini conferre; imo experientia nimis notum esse, sub umbra eminentioris dignitatis & gradus, pessimam sæpe mentem delitescere, & atrocissima quæque sub hoc velamine impune perpetrari, atque innocentes frequenter opprimi, aut saltem in discrimen adduci.

116. In quam profundam malorum abyssum tandem etiam constitutos in summa dignitate Ecclesiastica abducat desiderium & libido augendæ fortunæ, propriumque interesse; id ostendit exemplum illius infelicis Apostoli & discipuli, qui proditor exstitit Magistri sui Christi.

117. Quod si Scriptura de quovis avaro pronuntiat, *Nihil avaro scelestius esse*, & alibi, *Radicem omnium malorum esse cupiditatem*, quid timendum de Monacho paupertatem Religiosam solemniter professo, qui tot artibus & fallaciis divitias sibi aucupatur? Quam hic appositum est illud antiquum Monachorum effatum, a Christiano Lupo adoptatum ad *Canonem 6*. Concilii Tolosani: *Monachus, qui habet obolum, non valet obolo*.

118. Ut autem propius ad præsentia crimina accedatur, evincatque Actor, confictiones has contra Adversarios suos non esse a genio Rei alienas, pauca hic fideliter extracta e libro, cui titulus, *Commonitorium ad Orthodoxos*, quem pro suo agnovit Reus, producenda duxit: e quibus Magnificentia Vestra facile agnoscet, jampridem in hoc libro per Reum adversariis suis similia, vel eadem crimina fuisse imputata, de quibus in his fictitiis & adulteratis instrumentis accusantur, quorumque Auctores iidem denuntiantur.

119. Et in primis pagina 602. & 603. hujus libri in judicio consignati, ait: *Advertendum Adversarios inter se arctissimo fœdere, ore, consilio, manu contesseratos animos junxisse, viresque, & cunctos ad communem sortem pro eadem doctrina seu palladio quodam ferendam in variis Provinciis distributos componere validum corpus, intraque diversas respublicas unam quodammodo inter se constituere, futuram mox formidabilem, nisi Potestates publicæ præveniant, & apponant providas manus*.

120. Et rursus pagina 566. *Hæc prosopopeia sartam & tectam esse credebat* (*Hennebellius*) *arctissimam illam, quam mirantur alii & tantum non formidant, inter quosdam in Galliis, Hollandia, totoque Belgio, imo & in visceribus Italiæ constitutos, colligationem, quos sibi invicem dicunt agglutinari, & adhærere tanquam socios, describere Adversarios communes, vindicare commune dogma, contesserari modo loquendi, scribendi, faciendique ea omnia, quæ solis partiariis usitata sunt. Quæ confœderatio ab eisdem suspicitur tam potens & numerosa, ut quasi non de nihilo metuant, ne accipiat olim tantas vires, ut beneficio alicujus secularis Potestatis in nescio quam Rempublicam erecta compesci postea ab Ecclesia non possit. Ignosce, Lector benevole, magnam istam in recensendis iis, quæ alii dicebant, libertatem*.

121. Quam hæc sunt similia, imo identica cum Libro Resolutionum, Epistola de 10. Januarii, aliisque de quibus quæstio? Tantum consulendi sunt oculi, ut mox appareat, ipsam animam dicti Libri Resolutionum, aliorumque fabricatorum instrumentorum hic, immutatis paulum verbis, describi.

122. Ubique enim versantur circa augendum numerum amicorum, fovendam unionem, & affectionem mutuam, in qua totum robur societatis consistat; item circa contesserationem per varia formularia, novas & arcanas signaturas, circa procurationem communium negotiorum, defensionem communem, & invasionem hostium & similia; ita ut, si Actor exactum eorum parallelum instituere velit, futurum sit ut omnia fere hic conscribenda sint: unde ad dictum Commonitorium & fictitia instrumenta brevitatis causa se refert.

123. Quantum vero ad prætensam conspirationem, ut adversus Potestates Ecclesiasticas, & earum decreta se tueantur, de hoc eos accusavit eodem suo libro in verbis: *Scopus esse videtur fabricare libertatem, libros omnes, seu proprios, seu alienos sibi bene visos ab Ecclesia quomodolibet proscriptos in animo*, & *saltem secreto tenendi*, credendique ut *Catholicos*, pag. 60.

Scopus est eum vi argumentorum oppressi, compulsi fuerint mutare terminos, prout maxime patet ex propositionibus de Gratia, nituntur se subducere auctoritati Ecclesiæ. pag. 597.

124. Quod vero eos alienos non habuerit ab imploranda protectione Hæreticorum, facile deduceretur ex eo, quod pag. 433. eos describat, *ut homines quorum scopus videtur esse, admittere quasvis in quocumque statu hominum perturbationes, ut manuteneant sua principia.*

125. Certe eos in hunc finem ab heterodoxis alienos non putaret, quos alio loco describit tanquam meditantes accessum ad eosdem in verbis: *An vera sint omnia, quæ de eorum consiliis circumferuntur, nescio, quod autem studeant medium quoddam inter modernas Sectas & communem Ecclesiæ praxim, forte ut Sectariis Religionem Catholicam faciant eo amabiliorem, quo viciniorem, satis equidem verosimile est: hinc circa dogmata, quæ a Luthero & Calvino impugnata & rejecta fuerunt nuper, ipsi nunc aliquid tradunt, quod cum Catholicis reliquis non per omnia convenit, ut, quæ errones isti nimis crude digesserant, hi mitigare velle videantur.* Pagina 603.

126. Hæc abunde sufficere autumat Actor, ut perspectum sit Magnificentiæ Vestræ, crimina, de quibus agitur, non esse ab ingenio Rei aliena.

127. Sed in ipsa tragœdia plurima sunt eaque urgentissima, quæ non tantum gravem contra Reum suspicionem ingerunt; sed ipsum totius hujus nefandissimæ & horrendæ tragœdiæ primarium Auctorem esse evidenter convincunt.

128. Ut autem hæc indiciorum & argumentorum vis & robur magis elucescat, dignetur Magnificentia Vestra animadvertere, manifestum & notorium esse ex deductione & instructione hujus causæ, nullum in suspicionem horum criminum vocari, nisi Petrum Nicolaum Tourteau, & ipsum Reum, sive Patrem Desirant, atque alterutrum ipsorum certo esse omnium illorum Auctorem: ita ut argumenta & indicia, quæ præsumptionem a dicto Petro amoliuntur, eam in Reum conjiciant, ipsumque gravent, & Auctorem probent.

129. Dum de Auctore delicti inquiritur, inter præsumptiones locum ordine primum merito obtinet ipsa criminis materia primaria, ad quam cetera referantur.

130. Versatur vero hæc tota tragœdia circa formularia in Materiis Theologicis; circa negotia, & arcana consilia Theologorum dissentientium, quæ captum & professionem dicti Petri Nicolai Tourteau longe excedunt.

131. Juvenis enim erat annos vix natus viginti, qui, ut in comparitione die 10. Martii 1707. declaravit, non ultra quam Logicæ studuit, recenter conjugatus, quem rei familiaris procurandæ necessitas studiis, multo minus rebus illius generis, non multum vacare sinebat.

132. Ipse vero Reus describit ipsum articulo quadragesimo secundo sui Responsi ulterioris, *hominem conjugatum, merum Scribam, qui pro pane lucrando ibat de domo in domum ad scribendas copias.*

133. Accedit quod in pluribus Epistolis & congregationibus unice pene de negotiis ad Reum spectantibus agatur, quæ Petrum nulla ratione tangebant, & de quibus instructus non erat.

134. Unde ex hac parte tota præsumptio ab ipso in Reum recidit, qui professione Theologus est, quique in similibus negotiis & consiliis plurimum est versatus, & in talibus adolevit.

135. Contra hæc Reus: Petrum Tourteau fuisse capacem ut ipse solus Librum Resolutionum aliaque ficta instrumenta componeret, ostendit continuatio Congregationum & Resolutionum, quam ipse existens in Conventu Carmelitarum ad S. Catharinam fecit ad requisitionem Eximii D. Parmentier, uti & a Reo consignata est.

136. Verum ex hac continuatione, sive ficta congregatione & resolutione, non habetur quod ipse aptus fuerit ad prædictum librum & Epistolas fingendas & componendas; nam, uti ipsemet Petrus super hac continuatione interrogatus die 27. Martii dixit in suo Responso, tunc temporis ipsi difficile non erat aliquam congregationem & resolutionem fingere, *cum tantum esset prosecutio ejusdem materiæ, & jam formam illas componendi sciret memoriter.*

137. Et revera in hac ficta congregatione & resolutione unice agitur de nego-

tio

tio Domini vander Vloet contra D. Raymaeckers, de quo & in præcedentibus litteris, ac nominatur in Epistola de 5. Februarii sub signatura Z. B. V. E. ad Pastorem S. Catharinæ Bruxellis, inventarizata sub litt. LL. Item de salutando Excellentissimo D. van den Berghe ex Hollandia reduce, de cujus in conspiratores prætenso affectu agitur in Epistola de 10. Februarii ad D. Jacobum Ignatium Krys.

138. Nihil ergo mirum si ex ante suggesta & præparata materia continuationem hanc fingere & instar anteriorum componere potuerit Petrus, licet omnium earum rerum antea plane fuerit ignarus.

139. Non levius quoque argumentum contra Auctorem criminis commissi exsurgit ex scopo actionis.

140. Scopus in criminibus committendis solet esse lucrum vel commodum aliquod temporale, quod ex crimine commisso sibi promittit Auctor criminis: uti enim commune habet dictum, *Nemo malus est gratis*.

141. Unde inter plures de delicto infamatos vehementissima oritur eo nomine præsumptio adversus eum, qui solus commodum ex delicto percipit: nemo enim in commodum alterius malus præsumitur; præsertim in enormibus criminibus, quæ Auctores suos gravissimis pœnis reddunt obnoxios.

142. Unde hac præsumptione gravari non potest dictus Tourteau, qui nunquam malo aliquo affectus fuerat a Clarissimo Domino van-Espen, aut ab aliquo ex illis, in quorum perniciem Epistolæ & instrumenta, de quibus modo quæstio, fabricata sunt, uti Reus fassus est ad *articulos* 92. & 93. Interrogatoriorum.

143. Quare interrogatus *art.* 94., *Quo motivo inductus fuerit ad illa dictus Tourteau, sine ulla mercedis spe, aut odio vel rancore?* Respondit simpliciter, *se illud ignorare*. Indubie, si Tourteau quidquam habuisset contra Dominum van-Espen, sive prætensos Conspiratores, quod ipsum ad confingenda hæc instrumenta in ipsorum perniciem, movere potuisset, id indubie Reus tam astutus facile advertisset ex familiari & diuturna cum dicto Tourteau conversatione.

144. Itaque restat, ut illud fecerit Petrus Tourteau inductus pretio & lucri cupidine, uti revera inductus fuit; sed inductio illa fieri non potuit, nisi ex parte Rei (cui soli inde erat tota acquisitio); idque vel pretio, vel promissis.

145. Ita ut ex eo capite plane stabilitur depositio dicti Petri Nicolai Tourteau, qua plurima sibi promissa fuisse deposuit; & confirmat pater ejus Nicolaus Tourteau in Informationibus die secunda Aprilis 1707.

146. Neque enim ulla species verisimilitudinis est, potuisse Petrum singula fecisse ex innata sibi malitia, & fingendi libidine, de qua ipsum accusat Reus, sed non probat, articulo quarto & sequentibus suæ Responsionis ulterioris.

147. Ex omnibus enim factis, quæ allegat, si vera sint, semper apparet, quo fine, vel qua spe illa fecerit, scilicet ad emungendas aliquas pecunias in facto litterarum ad Abbatem Vlierbacensem: ad obtinendam puellam in matrimonium, in facto de quo Dominus de Kinderen in sua Acta exhibita, & Depositione de data vigesima prima Julii.

148. Et in causa attestationis consensus paterni in matrimonium, de quo in articulo duodecimo patet ratio, videlicet, ad obtinendam dispensationem super bannis.

149. Nullum vero casum allegat, quo sine spe lucri aut livore vindictæ aut simili motivo, sed mera malefaciendi libidine simile quid attentaverit.

150. Quod vero *Articulis* 20. & 49. Responsi ulterioris suspicatur, quasi Petrus ab aliquo conductus sit ad Reum fallendum, plane ridiculum est, præsertim ubi actionis tam infamis, articulo quinquagesimo & sequentibus, duos Presbyteros insimulat, quos probitas eorum publice nota a temerariis illis suspicionibus sufficienter purgat, nimirum Dominum Canonicum Vivien, & Dominum Jacobum Verniel.

151. Uti & sola consideratio quod Tourteau jam pœnitens & clementiam Magnificentiæ Vestræ implorans, eos indubie nominaret, si ab ipsis in laqueum hunc inductus fuisset.

152. Deinde dicti Presbyteri producti in

in sua recollectione decima octava Junii 1707. & super ea re interrogati, ambo se super ipsa expurgarunt.

153. Denique duo illi dictum Tourteau nunquam induxissent ad pejerandum contra Dominum van-Espen illis amicissimum, sed potius contra Reum, si hunc per dictum Petrum perdere voluissent.

154. Unde huic commento suo ipse Reus non multum fidere videtur, quippe qui nullum, ne vel minimum quidem ejus fundamentum alleget.

155. Quid commodi ex successu harum fictionum speraverit Reus, facile videbit Magnificentia Vestra, si attendere dignetur, quantum odii recenter concepisset Reus in præcipuos sui Ordinis Patres, qui in hanc scenam producuntur, ex destructione elegantissimi sui horti, & subversione suæ familiæ; & quos tanquam maximos suos in Ordine adversarios ubique describebat, & persequebatur.

156. Notum quoque est ipsius Rei vetus odium in Clarissimum Dominum van-Espen, ob evulgatos ab hoc Doctore libellos adversus peculia Monachorum.

157. Scitur per quot libellos & theses, scommatibus & conviciis referta, una cum Amico suo Petro Clenaerts, dictum Clarissimum impetierit.

158. Ab eo autem tempore animum plane aversum a dicto Clarissimo Domino habere visus est: usque adeo ut ad ei invidiam conflandam, ipsum, licet professione Jurisperitus sit, cum Theologis illis, qui vago Jansenistarum & Rigoristarum nomine traducuntur, conjunxerit, uti patet ex supra citato libro, cui titulus *Commonitorium ad orthodoxos*, quem pro suo agnovit Reus, & hic in judicio consignavit Actor.

159. Quin & ipsum in ipsius libri titulo, tanquam de doctrina heterodoxa suspectum, una cum tribus Theologis, Hugenoio, Hennebellio, & Opstratio, orthodoxis denuntiat.

160. Deinde in imagine Commonitorio præfixa, fingit, dictum Clarissimum una cum prædictis Theologis a Belgio personato denuntiari Ecclesiæ, tanquam qui privatis monitis corrigi non possint, extremo proinde remedio, *dic Ecclesiæ*, compescendi.

161. Odium hoc in Clarissimum Dominum van-Espen indubie non parum crescebat, cum Reus Dominum van-Espen in destructione horti aliisque, crederet prædictis Ordinis sui Patribus favore & consilio assistere.

162. Atque hinc Vir iste Clarissimus in hac scena tanquam omnium fictarum Congregationum & Resolutionum Coryphæus & Præses depingitur, omnium fictarum Litterarum Auctor & signator.

163. His positis, Reus ex sua nefanda actione duplex commodum sperabat, delectabile, ut vocant, & utile.

164. Delectabile scilicet ex vindicta: nam natura corrupta magnum invenit, licet miserum, in ultione solatium: unde illud Poetæ:

——— *Tamen & sumpsisse merentes*
Lætabor pœnas, animumque explesse juvabit.

165. Quod non raro vel eo usque procedit, ut ad eam consequendam homines patrimonia sæpe amplissima impendant & prodigant.

166. Utile vero ex eo, quod illis exauctoratis, facilior foret illi per Superiores majores restitutio, & amotis ac in malam rem abactis molestis sibi hominibus, spes foret, ut partis opibus secure frui liceret.

167. Hæc argumenta & indicia, tametsi forsan singula non evincant, Reum esse totius hujus fabulæ primarium auctorem; tamen si omnia simul conjungantur; non est dubium quin ex illis adversus Reum probatio sufficiens exurgat.

168. In tantum ut de his simul junctis æque concludi queat contra Reum tanquam fictorum instrumentorum primarium Architectum; quam ex pluribus junctis indiciis contra Titium ut Auctorem cædis concludendum censuit Quintilianus (relatus a Matthæo de criminibus, in verbis citatis in Proœmio hujus Conclusionis finalis articulo 35.) concludi, inquam, ejus exemplo potest: *Hic quidem singula argumenta inferiora sunt; universa tamen fictionis Auctorem Reum* EVIDENTER *designant*.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Reus ostenditur Auctor primarius Epistolæ de decima Januarii ad Dominum van den Nesse Pastorem Sanctæ Catharinæ Bruxellis, & Formularii eidem acclusi.

169. Hæc est Epistola, quæ primam totius hujus horrendæ tragœdiæ scenam conficit, continens impiam plurimorum Ecclesiasticorum, tam Academicorum, quam exterorum, Secularium & Regularium (quorum nomina in ea exprimuntur) contra Statum & Religionem conspirationem.

170. Horrendum insuper Formularium eidem acclusum, ab omnibus ibidem nominatis signandum.

171. Epistolam hanc sub ficta signatura Clarissimi Domini van-Espen, quatuor Litteris initialibus nominis ejus expressis, esse confictam, ex ultronea Petri Nicolai Tourteau confessione constat; eamque a se conscriptam sub falsa & fabricata signatura dicti Clarissimi ipse fatetur: unde de hac re nulla quæstio.

172. Superest tantum ut ostendatur, quod Reus hujus fictionis conscius fuerit, quod dictum Petrum Nicolaum Tourteau ad fabricandam hanc Epistolam & Formularium eidem acclusum cum adulteratione signaturæ prædicti Clarissimi impenderit, materiamque eidem subministraverit; ac proinde primarius hujus fictionis Auctor sit habendus.

173. In primis si materia hujus Epistolæ & adjuncti Formularii consideretur, nequaquam obscurum erit Magnificentiæ Vestræ, quod argumentum primo capite ex parte materiæ deductum, huic Epistolæ & Formulario applicari possit; concludatque, Reum potius quam dictum Petrum, esse Epistolæ & Formularii primarium Auctorem; utpote cujus materia captum Petri longe excedat, & contra cum Rei professione omnino conveniat.

174. Similiter argumentum a Personis in hac tragœdia comparentibus desumptum, hanc Epistolam & Formularium Reo ut primario Auctori adscribenda esse, convincere perspiciet Magnificentia Vestra, si ad Personas in Epistola nominatas attendere dignetur.

175. Denique argumentum petitum ex iis, quæ jampridem contra suos adversarios confinxit in suo Commonitorio ad Orthodoxos, ipsum & hujus Epistolæ & Formularii Auctorem probat.

176. Ita ut vel illa sola simul juncta, plene concludant, Reum esse primarium hujus Epistolæ Auctorem & Suggestorem.

177. At si considerentur, quæ circa hanc Epistolam contigerunt, quæque tum ex propria ipsius Rei confessione, tum ex testium omni exceptione majorum depositione habentur, sensus communis expers sit oportet, qui non videat, Reum fuisse hujus fictitiæ Epistolæ & Formularii eidem acclusi primarium Auctorem.

178. Et quidem si duntaxat expenduntur modus & tempus, aliæque circumstantiæ, quibus delatio hujus Epistolæ per Petrum Tourteau ad ipsum Reum describitur; & quid circa Epistolam ad se delatam egerit Reus, manifestum in primis erit omni homini sensato, Reum fuisse fictionis conscium; & impossibile esse, ut Reus potuerit *bona fide* credere, hanc Epistolam esse scriptam a D. van-Espen, veraque esse, quæ Reus dicit sibi a Petro relata:

179. In primis deponit Petrus Tourteau *die quinta Martii* (quando omnia adhuc deponebat, prout inter ipsum & Reum convenerat) se Epistolam hanc scripsisse in Bibliotheca Clarissimi Domini van-Espen inter *horam tertiam & quartam pomeridianam*.

180. Ulterius in Acta de vigesima septima Januarii (confecta per Notarium van Dormael in quarterio ipsius Rei, & per ipsum consignata, quin & per ipsum composita, ut infra *Capite* 4. ostendetur) testatur dictus Petrus, *quod viderit dictum Clarissimum sua manu signantem quatuor majusculis, post singulas ponendo punctum, & dictas Litteras claudentem, & mittentem ad Postam per famulum suum.*

181. Dixit præterea dictus Petrus ipsi Reo, quod eam Epistolam ad ipsum ferret *ex ordinatione sui Confessarii ad denuntiandum*, uti fatetur Reus ad articulum undecimum Interrogatoriorum.

182. Credibile non est, quod Reus adeo astutus, hic falsitatem non fuisset dete-

detecturus, nisi ipse fictionis & falsitatis conscius fuisset.

183. In primis, nonne suspectum erat, quod Clarissimus ille *Juvenem conjugatum, merum scribam, qui pro pane lucrando ibat de domo in domum ad scribendum copias* (ut eum describit Reus articulo quadragesimo secundo Responsionis ad Libellum gravaminum) impendisset ad scribendam Epistolam tanti momenti ad Dominum Pastorem Sanctæ Catharinæ sibi familiarissimum & amicissimum?

184. Poteratne Reo incidere, Clarissimo D. van-Espen, ceterisque omnibus ei junctis conspiratoribus etiam sui Ordinis Patribus, ignotum esse, quod hic Petrus jam a pluribus mensibus ipsi esset familiaris, & pro Amanuensi impenderetur?

185. Qua ergo specie credere poterat, hunc in tanti momenti Litteris scribendis a Domino van-Espen fuisse adhibitum?

186. Nonne sciebat Reus, dictum Clarissimum posse per se similem Epistolam, nemine conscio, scribere? Aut si alium impendere volebat, potius suum famulum, aut aliquem ex prætensis conspiratoribus sibi notis & familiaribus rogaturum fuisse?

187. Si forsan sub alieno charactere latere voluisset in casum interceptionis, an eam tunc scribendam commisisset Scribæ publico, cujus character notus erat passim omnibus, aut eam tunc quatuor sui nominis litteris facile dignoscendis, signasset?

188. Præterea dicit Reus ad *Articulum 8. Interrogat.* Petrum hanc Epistolam sibi attulisse eadem die decima Januarii *inter quartam & quintam*: & cum Petrus dixerit, eam se inter *tertiam & quartam* sub dictamine dicti Clarissimi scripsisse, ac vidisse, quod eam clausam Clarissimus *mitteret ad Postam per famulum suum*; intelligere debebat Reus, quod Petrus hanc Epistolam debuisset surripuisse *apud Postam* sive Cursorem.

189. Si fictionis conscius non fuisset Reus; nonne mox Petrum interrogasset super modo interceptionis, & qua auctoritate ipse Epistolam ad Cursorem allatam intercepisset; negantem autem suspectum habuisset?

190. Addiderat Petrus (si dictis Rei credere velimus) *se ex ordinatione sui Confessarii Epistolam ad Reum ferre*, eumque Confessarium esse *Minoritam* dixerat.

191. Igitur a scripta Epistola inter *tertiam & quartam* in Bibliotheca Clarissimi Domini van-Espen, & postquam viderat Clarissimum claudentem & *mittentem ad Postam per famulum suum*, debuerat Petrus adivisse *Minoritam* Confessarium suum, & ex *ordinatione* hujus, circa quintam vespertinam ejusdem diei tulisse ad Reum ipsam Epistolam.

192. Videre poterat Reus moraliter impossibile esse, ut tantillo spatio a scripta, clausa, & missa Epistola ad Postam, Petrus potuisset hanc Epistolam apud Cursorem intercepisse; eaque intercepta accessisse Confessarium suum *Minoritam*, & quod amplius est, ei omnia, quæ hoc negotium tanti momenti spectabant, exposuisse, & Confessarium ea omnia, prout res hæc exigebat, mature examinasse, antequam ipsum mitteret ad Reum.

193. Nonne Reus, si fictionis complex non fuisset, mox Petrum interrogasset, quare Confessarius ipse Epistolam non aperuisset, & contenta examinasset; & quomodo hæc omnia tam exiguo tempore peragi potuissent?

194. Si intellexerat Reus ex Petro, se missum *ex ordinatione sui Confessarii*; ergo dubitare non poterat, si verum diceret Petrus, negotium ipsi Confessario notum esse.

195. Quid igitur naturalius magisque obvium, quam ut Reus, si veritatem negotii scire voluisset, petivisset a Petro, ut liceret sibi cum ipso Confessario de hoc tanti momenti negotio agere, & omnia serio discutere?

196. Dicit quidem Reus ad articulum duodecimum Interrogatoriorum, hunc Confessarium, prout Petrus saltem nominabat, fuisse Patrem van Ranst, *quem non audebat ad se vocare*;

197. Sed frivola excusatio! nunquid sufficientissima ratio evocandi aut saltem accedendi hunc Patrem Confessarium, erat, quod ipse Petrum cum Epistola tam horrenda tantique momenti ad Reum misisset? ut collatis consiliis, rei veritatem inquirerent, & quid in hoc negotio agendum esset, deliberarent?

198. Nec

198. Nec dubitare poterat Reus, se huic Confessario notum, quandoquidem alioquin ad ipsum missurus non fuisset Petrum, præsertim in tanti momenti negotio.

199. Imo quod Confessarius *Minorita* Petrum ad Reum potius, quam ad Lectores sui Ordinis misisset, suspectum debuerat facere negotium ipsi Reo, si nesciebat se huic Confessario specialiter notum.

200. Sed Reo veritatem non quærenti fictionisque conscio, hæc scilicet non incidebant.

201. Nec tantum Epistolam, tametsi Juvenis assereret eam apud Cursorem interceptam, recepit; sed insuper aperuit, legit, copiasque authenticas fieri jussit.

202. Et hæc quidem ex fide tantum illius Petri, cujus etiam mendacia in hac eadem materia de Congregationibus & conspiratione Jansenistarum ipsi Reo probata fuerant.

203. Retulerat enim Petrus, si Reo credimus ad *articulum 29. Interrogat.*, quod circa 17. Octobris 1706. habita fuisset prætensorum Jansenistarum Congregatio, cui præsedisset Clarissimus Dominus van-Espen, & interfuissent DD. *Melis*, Sullivane, aliique.

204. Retulerat id Reus sub idem tempus in Congregatione Facultatis, ubi præsens Eximius Dominus Renardi reposuit, non potuisse haberi similes Congregationes: quia eo tempore dictus Clarissimus fuisset Bruxellis, & Dominus Melis jam a sex septimanis jaceret lecto affixus ex podagra, uti constat ex depositione Dominorum Renardi, Martin, & Parmentier de 23. Maii, ut latius ostendet Actor Capite 8. ubi ostenditur, Reum ab initio hujus negotii usque ad finem semper fuisse in mala fide, sive conscium fuisse fictionis Epistolarum & instrumentorum.

205. Nunc videat Magnificentia Vestra, quo fundamento nixus sit Reus ad aperiendam Epistolam hanc apud Cursorem, ut Petrus asseruisse dicitur, surreptam.

206. Illud descripsit in suo Scripto, cui titulus: *Vera & sincera Relatio*, quod dictavit in comparitione die 14. Martii, & in Responso ad Articulum undecimum Interrogatoriorum.

207. Interrogatus, *Quomodo alienam Epistolam ausus fuerit aperire & legere?* Respondit: *Ex superinscriptione, videbat esse characterem ipsius Tourteau junioris, qui referebat contineri horrenda a se scripta & ab alio subsignata, quod ferret eam ex ordinatione sui Confessarii pro denuntiatione, argumentabatur; si Epistola sit ficta, tota pertinet ad Tourteau, & de ejus licentia potest aperiri: si sit facta vel vera, continet horrendum scelus, in quo Tourteau equidem est complex tanquam Scriptor; & eo casu scelus ulterius poterit examinari.* Hoc argumento se permotum esse, ait, ad aperiendam Epistolam.

208. Horrendum sane argumentum! quo via sternitur ad omnem fidem & securitatem Rei Cursoriæ adimendam, & Litterarum commercium subvertendum!

209. Si enim liceat Litteras etiam apud Cursorem interceptas aperire, eo quod juvenis aliquis, cujus etiam fides pluribus ex circumstantiis vacillat, asserat, eas *horrendum scelus* continere; quæ tandem Litteræ erunt securæ?

210. Ad hæc ponatur, revera Reum fundate suspicatum fuisse, quod *scelus horrendum* in hac Epistola contineretur; an ipsi licebat propria & privata auctoritate, prætextu sceleris detegendi, Epistolam alienam apud Cursorem publicum interceptam, aperire?

211. Hæc non ad privatas, sed ad publicas & altiores Potestates pertinere sciebat, aut scire saltem debebat indubie Reus, publicus & Regius Politices Professor.

212. Ipsius ergo erat, Epistolam hanc, ut minus ad Magnificum Dominum Rectorem deferre, qui omnibus examinatis judicasset, quid in re tanti momenti fuisset agendum.

213. Aut saltem eam debebat, antequam aperiretur, communicare Sacræ Facultati: quandoquidem ad ipsum delata esset tanquam *Vice-Decanum* dictæ Facultatis.

214. Noverat enim Reus, & ipsemet fatetur, uti infra notabitur, quod quando aliquid denuntiatur *Vice-Decano*, aut *Membro* Facultatis, ille non possit id *proprio marte* tractare, sed *conjunctim* cum aliis de Facultate.

215. At nihil eorum fecit Reus; sed pro-

propria & privata auctoritate aperuit.

216. Evidens argumentum, ipsum fictionis fuisse conscium; prædictaque omnia per Reum fuisse excogitata, & Petro suggesta ad tegendam fictionem.

217. Stultus sit, qui credat, Reum in re tanti momenti, qualis est apertio Epistolæ alienæ apud publicum Cursorem interceptæ, sic voluisse propria & privata auctoritate agere, nemine etiam de ipsa Facultate consulto, nisi ipse omnium fuisset conscius & fictionis socius.

218. Reponet Reus, si fictionis & falsificatæ signaturæ conscius fuisset, non contulisset consilia cum Doctoribus Damen, Parmentier, & Domino Plebano Pauwels, quibus sub secreto hanc Epistolam *pro capiendo consilio* ostendisse se respondit ad Articulum 5. Interrogatoriorum, idque die *undecima* Januarii, sive postridie, quam eam tulerat Petrus Tourteau.

219. Cum enim articulo quarto Reus respondisset, se Epistolam eadem die decima Januarii ostendisse Domino Advocato Schoubroeck, deinde articulo quinto respondit, quod die sequenti eam ostenderit dictis Dominis.

220. Quin & articulo decimo tertio Interrogatus, *Quare loco quod remiserit Epistolam dictam ad Cursorem, non misit ad Magnificum Dominum Rectorem, ut auctor hujus facinoris propria manu convinceretur, puniretur cum omnibus suis complicibus, & Congregationes & Conspirationes tales dissiparentur?* Respondit: *Quod in re tanti momenti judicaverit præmittenda consilia cum prædictis de stricta Facultate, quæ Consilia (ait) duraverunt ad vigesimam tertiam Januarii* 1707.

221. Si verum hic diceret Reus, & his Dominis sincere totum negotium exposuisset, unaque indicasset, Petrum Tourteau hujus Epistolæ Scriptorem & Bajulum, nec non quod hujus tam insignis Bajuli fidei unice inniteretur horrenda hæc Conspiratio contra Statum & Religionem, de qua in Epistola & Formulario adjuncto; aliqua saltem appareret in Reo ad detegendam hujus Epistolæ sinceritatem facta diligentia & sinceritas; sed nihil minus fecisse mox convincetur.

222. Interim hic considerare dignetur Magnificentia Vestra, ipsum Reum fateri, quod in re tanti momenti judicaverit, quod solus procedere non deberet: atque hinc videt, nec solum ipsum ad apertionem Epistolæ ejusque usum processurum fuisse, nisi scivisset eam esse fictam & fictionis ipse fuisset complex.

223. Sed uti præcedentia omnia per eum facta fuere, ita quoque quæ hic de adhibitis in consilium dictis Dominis narrat, falsa & ficta sunt.

224. Tantum enim abest, ut fecerit, quæ se fecisse hic asserit, scilicet, ut dictis Dominis, aut ulli de Facultate, Epistolam ipsam *die decima* Januarii ostenderit, ipsisque totum negotium sincere ad inquirendam veritatem aperuerit, ut omnes simul in corpore, & singuli separatim sub juramento declaraverint, nunquam se de hac Epistola audivisse ante *vigesimam tertiam* Januarii, quo die ejus copia Dominis de stricta Facultate *in corpore* congregatis per Dominum Daelman exhibita fuit: quam copiam ipse Dominus Daelman nec tunc a Reo, sed a Domino Licentiato Opstraet acceperat.

225. Interrogati enim die 23. & 24. Maii articulo tertio, *an Eximius Pater Desirant non ostenderit undecima Januarii* 1707. *Epistolam famosam de decima ad Dominum van den Nesse Pastorem Sanctæ Catharinæ Bruxellis, aut saltem copiam authenticam?* Respondit in primis Eximius Dominus Parmentier, *quod nunquam viderit originalem Epistolam de decima Januarii* 1707. *antequam eam viderit in manibus Domini van-Espen circa initium Martii; quantum autem ad copiam authenticam dicit, quod nunquam eam viderit nisi vigesima tertia Januarii hora undecima dum Eximius Dominus Decanus* (qui tunc in Martio erat Dominus Daelman) *exhibuit eam Facultati sibi traditam a Domino Opstraet, & quod nunquam audiverit de illa vel de illo negotio loqui, nisi pridie vesperi, dum Eximius Dominus Martin in mensa dixit, se vidisse talem copiam in manibus Eximii Domini Decani.*

226. Et die vigesima quarta Maii super eodem articulo interrogatus Dominus Pauwels Plebanus Sancti Petri respondit, *se nihil de illis scire.*

227. Eo-

227. Eodem die super dicto articulo interrogati Doctores Damen & Daelman, responderunt simpliciter negative.

228. Item interrogati super quinto articulo, qui erat, *An dictus Pater Desirant cum Deponente vel cum aliis iniverit consilia, an Epistola de decima Januarii communicanda esset Magnifico Domino Rectori, & an hæc consilia duraverint usque ad vigesimam tertiam ejusdem mensis?*

229. Ad hunc articulum respondit prædictus Dominus Plebanus, *se fuisse vocatum per Eximium Dominum Parmentier secunda Februarii, & ante ex parte Desirant nihil de illa Epistola audivisse, nec de omnibus aliis negotiis circa hanc Epistolam, & consequenter nulla consilia desuper cum Eximio Patre Desirant habuisse ante secundam Februarii.*

230. Super eodem interrogati Domini Doctores Damen, Daelman, & Parmentier, responderunt, se nulla consilia dedisse, imo nec ante vigesimam tertiam Januarii quidquam de Epistola scivisse.

231. Ulterius interrogatus articulo septimo Dominus Plebanus, *An dictus Pater Desirant adhibuerit consilium Domini Deponentis, vel alicujus alterius ad detegendam veritatem hujus famosi negotii, & quale consilium fuerit ei suggestum?* Respondit, *se quidem ibidem aliqua audivisse circa dictam Epistolam & famosum negotium, sed nulla dedisse consilia, nisi forsitan hoc vocetur consilium, quod Deponens dixerit, quod Pater Desirant melius se informaret, & quod Deponenti omnia viderentur conficta.*

232. Interrogatus super eodem articulo Eximius Dominus Parmentier respondit, *se non meminisse ullius dati vel petiti consilii.*

233. Similiter interrogati Eximii Domini Damen & Daelman, responderunt, *se nullum consilium dedisse.*

234. Et quid plura? hi aliique de stricta Facultate Theologica Doctores in Acta de vigesima Maii per ipsos in judicio consignata & recognita declararunt, *sese hujus Epistolæ nullam notitiam habuisse unquam ante diem vigesimam secundam Januarii.*

235. Ad calcem hujus Actæ adjecta est declaratio Domini Plebani, quod *ante vigesimam secundam lapsi Januarii nullam ante memoratæ Epistolæ notitiam habuerit, quodque in isto famoso negotio nullam unquam partem habuerit, aut in ipsius processu ullum unquam consilium dederit.*

236. Et ipse Reus in mendaciis sibi non constans, *articulo* 399. Responsionis ulterioris, *fatetur, quod ex parte sua nihil revelatum fuerit ne quidem Eximiis Dominis Damen, Daelman, & Plebano, & aliis usque ad præfatam vigesimam tertiam Januarii.*

237. Quin ipse in suo Provisionali Intendit, ponit articulo octogesimo septimo hoc Interrogatorium amicis suis (quos nominatim expressit articulo octogesimo secundo, scilicet Dominos Damen, Daelman, Parmentier, & Licentiatum Pauwels) *quod Eximius Pater nullis ex præfatis nominatis amicis quidquam de famosa Epistola de die decima Januarii detexerit, antequam illius copia fuisset exhibita per Licentiatum Opstraet.*

238. Hinc perspectum est Magnificentiæ Vestræ, quanta impudentia Reus mentiatur, dum dicit, quod die *undecima Januarii* Epistolam famosam de decima Januarii communicaverit Dominis Parmentier, Damen & Plebano, aut aliis de Facultate Theologica, quodque cum dictis Dominis aut aliis de Facultate Theologica consilia ceperit, & *hæc duraverint usque ad vigesimam tertiam Januarii.*

239. Quod ergo Epistolam hanc originalem non miserit ad Magnificum Dominum Rectorem, *ut Auctor hujus Epistolæ propria manu convinceretur*, non fuit, *quod in re tanti momenti judicaverit præmittenda consilia cum prædictis de Stricta Facultate*, ut fingit Reus ad articulum decimum tertium Interrogatoriorum; sed vera ratio erat, quia merito verebatur, ne per Magnificum Dominum Rectorem, detecto Scriptore, facile ipsa fictio detegeretur, ac una ipse primarius fictionis Auctor.

240. Malebat ea Altioribus Potestatibus clanculum communicare nullo adhibito consilio; quia has contra prætensos Conspiratores & Jansenistas noverat magis præventas; & consequenter facilius hisce fictis instrumentis sine magno examine fidem ab ipsis habitum iri in perniciem suorum Adversariorum.

C 2 241. Di-

241. Dicit autem Reus : *Consilia hæc durasse usque ad vigesimam tertiam Januarii , quando* (ait) *Dominus Licentiatus Opstraet exhibuit copiam , & statim Eximius Pater cum Stricta Facultate misit rogare dictum Licentiatum , ut curaret reproduci Originale cum promissione detegendi Scriptorem ad convincendam fictionem vel factionem* .

242. Dignetur hic advertere Magnificentia Vestra, quod Reus sciret, Copiam hanc per Licentiatum Opstraet traditam Domino Daelman , & per hunc exhibitam Strictæ Facultati, missam fuisse Bruxellis a Clarissimo Domino van-Espen ad Canonicum Vivien , qui eam communicaverat Domino Licentiato Opstraet , uti narrat Reus in ulteriori Responsione articulis 141. & 338.

243. Quis, nisi fictionis conscius , hinc non conclusisset , aut saltem non dubitasset , hanc Epistolam sub signatura dicti Clarissimi fuisse confictam ?

244. Nonne omni homini sensato evidens erat, quod , si Clarissimus fuisset Auctor hujus Epistolæ , tam horrendam contra Statum & Religionem conspirationem continentis , copiam illius nullo modo missurus fuisset nec evulgari permissurus , palam proclamando, se negotium tam horrendum cum aliis suis Confœderatis ibidem nominatis tractare ?

245. Nunquid dictum Clarissimum , item Licentiatum Opstraet , & Canonicum Vivien , qui & inter prætensos conspiratores numerabantur , oportuisset esse insanæ mentis , si negotium , quod secretissime & maxime clancularie tractandum erat, sua sponte , nemine urgente , aut de eo loquente , publice divulgassent , idque prætensorum conspiratorum , inter quos & ipsi erant, propriis nominibus expressis ?

246. At Reus totius fictionis non tantum Complex , sed & primarius Auctor , hæc nihili fecit , tantum intentus , quomodo fictioni suæ aliquam veritatis umbram affingeret, aut saltem sic omnia adornaret , ne fictio detegeretur , donec finem intentum per eam assecutus esset .

247. Ut ergo ulterius appareat , quod Reus negotium hoc ne quidem amicis illis aut aliis de Facultate communicaverit ad inquirendam veritatem , in primis fatetur Reus, dictam copiam Epistolæ per Dominum Daelman , qui eam acceperat a Domino Opstraet , exhibitam fuisse Strictæ Facultati *vigesima tertia* Januarii , dictamque Facultatem se cupidissimam ostendisse videndi *originale* hujus Epistolæ, imo *ipsum cum Stricta Facultate* sæpius per suum Bedellum egisse cum dicto Licentiato Opstraet, quin & cum Clarissimo Domino van-Espen, eosque etiam importune ursisse ad habendum originale .

248. Reus omnibus hisce Facultatis Resolutionibus assistens , quin & primarius Resolutionum Auctor , sciebat , Doctores Strictæ Facultatis unice optare & expetere dicti *Originalis* inspectionem, ut eo inspecto , possent ex Charactere deprehendere Scriptorem, & per hunc , ipsum verum Auctorem , ut & hoc pacto hi Doctores omnem a se hujus fictionis suspicionem amolirentur.

249. Hic jam elucet vafrities , ne dicam horrenda nequitia ipsius Rei .

250. Viderat ipse decima Januarii Epistolam hanc originalem manu Junioris Tourteau scriptam , eamque apud se in diem sequentem retinuerat , ac plures copias *authenticas* fieri jusserat ; & non tantum characterem , sed & Scriptorem noscebat , uti patet ex ipsius propria confessione ad articulos 3. & sequentes usque ad 11. Interrogatoriorum .

251. Interrogatus enim *art. 3. An agnoscat Epistolam de 10. Januarii 1707. scriptam ad Eruditissimum D. van den Nesse jam originali ipsi exhibitam & signatam Z. B. V. E.?* Respondit *esse illam, quam Petrus Tourteau ad Interrogatum tulerat* .

252. Et *art.* 4. dicit , quod Tourteau eam sibi attulerit eadem die 10. Januarii : quodque statim jusserit ejusdem fieri copiam per dictum Tourteau; atque eodem die Epistolam ostenderit D. Schoubroeck , *ut copiam authenticaret* .

253. Et *art.* 5. dixit , *quod die sequenti eodem modo ostenderit Notario van Dormael ad eosdem fines prout ante Domino Schoubroeck* .

254. Et *Articulo* 11. diserte fatetur, quod quando sibi allata fuit Epistola , ex superscriptione novisset *esse characterem Junioris Tourteau* .

255. Hæc

255. Hæc ergo omnia noverat Reus, & tamen quasi omnium nesciuṃ se gerebat, nihil eorum Facultati aperiens.

256. Imo deponit Eximius Dominus Daelman ad Articulum quartum, die vigesima quarta Maii sibi propositum, quod *Eximius Pater Desirant visa copia in Facultate die vigesima tertia Januarii, ne quidem in generali aliquid dixerit.*

257. Super hoc agendi modo ipse Reus interrogatus Articulo decimo quarto, quomodo curaverit fieri per Facultatem (nimirum ut rogaretur Licentiatus Opstraet, ut curaret reproduci originale) cum decima Januarii constiterit Interrogato *dictam Epistolam fuisse conscriptam manu Junioris Tourteau & inde haberet plures copias?* Respondit, *quod Eximius Pater hanc rem noluerit tractare marte proprio, sed conjunctim cum aliis juxta stilum Facultatis Sacræ, ubi licet aliquid denuntietur uni de corpore; ille tamen non solet procedere solus, sed conjunctim cum aliis.*

258. O hominis impudentia! Si *noluerit hanc rem tractare* MARTE PROPRIO, *sed* CONJUNCTIM CUM ALIIS DE FACULTATE *juxta stilum ejusdem Facultatis*, quare cum nullo de Facultate rem communicavit a decima Januarii usque ad vigesimam tertiam ejusdem mensis, sed omnia *proprio marte* tractavit?

259. Quare saltem vigesima tertia Januarii, dum Facultas congregata occasione Copiæ exhibitæ sollicite de Scriptore & Auctore Epistolæ inquirebat, Facultati hoc negotium cum omnibus circumstantiis non exposuit, ipsumque Scriptorem & Delatorem Epistolæ non nominavit, ut juxta *stilum Facultatis sacræ conjunctim cum aliis procederet?*

260. Mera ergo hæc mendacia sunt, per Reum ad occultandam veritatem adinventa.

261. Addit ulterius Reus *art.* 131. *Resp. ult.* quod Petrus Tourteau Epistolam tulerat sibi tanquam *existenti de Stricta Facultate Theologica: prout revera est ejusdem Vice-Decanus perpetuus. Et consequenter* (ait *art.* 132.) *non acceptavit eam, nisi qualitate qua idoneus & capax recipiendi principium denuntiationis talium rerum.*

262. Et in *Provisionali Intendit* proponit *articulo* 55. hoc Interrogatorium: quod *Eximius Pater omnes Litteras a* 24. *Decembris usque ad decimem Januarii inclusive admiserit tanquam* VICE-DECANUS.

263. Absurda rursus mendacia. Sciebat Reus, quod a 31. Augusti 1706., usque ad ultimam Februarii 1707. esset & fuerit Decanus Facultatis Theologicæ Eximius P. T'Seraerts, uti constat ex depositione hujus Patris de 22. Junii 1707. Item constat ex ejusdem Responso ad articulum 51. & 52. Provisionalis Intendit per Reum propositum, quod decima Januarii 1707. quando ad Reum fuit delata hæc Epistola, Eximius iste Pater fuerit hic Lovanii.

264. Præterea notum erat Reo, & constat ex depositione Doctorum S. Facultatis ad *art.* 11. die 23. & 24. Maii 1707. quod præsente & non impedito Decano, nulla competat auctoritas *Seniori* Facultatis in qualitate *Vice-Decani.*

265. Sed si in qualitate Vice-Decani Sacræ Facultatis Theologicæ Epistola ad ipsum delata sit, eamque non nisi in ea qualitate acceptaverit; jam ergo nôverat Reus Senior Facultatis, omnia sibi in ea qualitate allata, deferenda esse ad Decanum, tanquam Caput Facultatis, a quo dein negotium Facultati foret proponendum; idque sub juramento faciendum intra mensem, ut patet per extractum ex Statutis S. Facultatis per Reum exhibitum vel consignatum.

266. Et tamen constat, Eximio Patri T'Seraerts tunc temporis Decano & Lovanii existenti nihil unquam a Reo de hoc negotio fuisse communicatum, uti patet ex depositione dicti Eximii Patris de vigesima secunda Junii 1707.

267. Interrogatus enim, *an in qualitate* DECANI *aliquando fuerit vocatus ad Eximium Patrem Desirant ad videndum & examinandum famosum negotium cum aliis Dominis*, respondit, *negative*, *nec solus, nec cum aliis.*

268. Et productus per Reum die vigesima Julii respondit ad *Articulum* 105. *quod in Januario circa finem post examen alicujus Licentiandi viderit copiam Epistolæ de decima Januarii* 1707. *apud Patrem Desirant existentem in Facultate Sacra, & ibidem proferebatur; Deponentem autem ab illa vice habuisse rem suspectam, ante au-*

tem

tem vel post nunquam egisse cum Eximio Desirantio vel aliis de illa Epistola, vel alio quocumque hoc negotium concernente.

269. Nunquam igitur de hac Epistola totoque negotio cum Decano aut Corpore Facultatis Reus tractavit, & tamen si ipsi credimus, Epistola, aliaque hoc negotium spectantia ad ipsum tanquam *Vice-Decanum* delata sunt, & non nisi in ea qualitate accepta. Quæ figmenta!

270. Omnia ipse *proprio Marte* tanquam ad se privative spectantia, inconsulto Decano & Facultate, tractavit & direxit, copias authenticas confici jussit, Altioribus Potestatibus, aliisque, quibus sibi visum fuit, communicavit.

271. Nec putatur exstare ullum exemplum, quo negotium alicujus momenti ad Decanum vel Vice-Decanum ut talem sit delatum, quodque Decanus vel Vice-Decanus nulla ad Facultatem facta relatione, *proprio Marte* tractaverit.

272. Et sane incredibile est, quod Reus negotium tam scabrosum, ubi etiam de expilatione publici Cursoris agebatur, *proprio Marte* & solus tractaturus fuisset, nisi tanquam suum proprium habuisset, & ut tale ad finem perducere intendisset.

273. Fatetur ipse Reus ad articulum decimum quintum Interrogatoriorum, quod copiam hujus miserit ad Altiorem Manum, & quod *ad hæc non adhibuerit consilium Corporis strictæ Facultatis.*

274. Addit quidem, se hic adhibuisse consilium *tantum aliquorum*; sed & in hoc rursus mendacii redarguitur ex depositionibus Doctorum dictæ Facultatis ad Articulum quintum ipsis propositum die 13. & 24. Maii, qui erat: *An de consilio Domini Deponentis eadem Epistola missa sit ad Altiores Potestates?* ad quem omnes interrogati, una cum Domino Plebano responderunt *negative.*

275. Impudentissimum igitur mendacium est, quod ideo Scriptorem & Bajulum Epistolæ celaverit Sacræ Facultati die 23. Januarii & sequentibus, quia *ipse hanc rem noluerit tractare marte proprio, sed conjunctim cum aliis juxta stilum Facultatis Sacræ:* quandoquidem constet, omnia *proprio marte* circa hoc negotium à Reo tractata fuisse.

276. Vera proinde ratio, cur Reus nollet Scriptorem & Bajulum Epistolæ indicare Facultati, ista fuit, quod prævideret conceptum fictitium negotium certo proditum iri, ubi Scriptor & Bajulus innotesceret.

277. Cupiebat igitur Reus negotium occultari; & tamen una ipsam Facultatem eidem intricare, per Resolutiones captas contra Licentiatum Opstraet pro reproductione Originalis: quarum Resolutionum ipse Reus erat præcipuus Auctor.

278. Nihil ergo unquam de hoc negotio Corpori Facultatis, imo nec ipsi Decano Patri T'Seraerts communicavit; sed tandem sub finem Januarii & in mense Februario 1707. prædictis tribus Doctoribus, Damen, Daelman, & Parmentier, & Domino Pauwels Plebano, ut amicis sibi magis fidis de hoc negotio significavit aliquid.

279. Verum, quod notandum, etiam hos fidos suos Amicos particularia, quæ in hoc negotio tractabat, studiose celabat, cavebatque sollicite negotium clare & distincte ipsis exponere; ac præsertim modum, quo Epistolam acceperat, callide supprimebat, quemadmodum probant depositiones Dominorum Damen, Daelman, Parmentier & Pauwels Plebani ad Articulum decimum quintum, qui erat: *An dictus Pater Desirant aliquando non egerit cum Domino Deponente vel alio, de modo quo litteras præfatas acceperat?*

280. Omnes enim prædicti Domini ad Articulum illum 15. responderunt, nunquam modum, quo Epistola hæc allata esset, a Reo sibi fuisse expositum.

281. Imo Dominus Damen responsum suum ad hunc Articulum præveniens in responso ad Articulum sextum, postquam deposuit, sibi per Patrem Desirant fuisse ostensam famosam Epistolam & alia scripta, *absque eo quod Deponens* sciat unde vel a quo ea habeat, subdit hæc notanda verba, animum Rei omnia occultandi evincentia: *præterea non nisi obscure & imperfecte sua proponebat.*

282. Et Dominus Plebanus ad dictum Articulum decimum quintum aperte dixit, *illud fuisse secretum, quod nunquam Deponenti Eximius Pater proponebat.*

283. Et

283. Et Eximius D. Daelman productus per Reum deposuit 21. Julii ad Articulum 80. Provisionalis Intendit, quod Reus *Deponenti nihil nunquam dixit ante* 2. *Februarii* 1707. *idque valde obscure, neque Auctorem, neque modum dicendo, licet imposuisset secretum naturale.*

284. Et ad *Articulum* 81. *quoad consilia non videt quomodo illa potuerint dari, cum omnia jam essent praeterita, nec Eximius Pater Desirant diceret, quid adhuc vellet facere; sed dicebat illa debere sibi occulta manere.*

285. Specialiter tamen & sollicite cavebat dictis Dominis, etiamsi Amicis suis, indicare bajulum hujus Epistolae aliorumque monumentorum, scilicet Petrum Nicolaum Tourteau, uti habet relata depositio D. Daelman ad *Art.* 81. Provisionalis Intendit.

286. Et Advocatus ipsius Rei Dominus Schoubroeck, per Reum productus in testem, deponit ad Articulum decimum quintum Provisionalis Intendit, quod Reus in sua praesentia aliqua de hoc negotio sibi narraverit, tanquam *certo sibi constantia* ex relatione alicujus, sed dictum Relatorem non *nominaverit*, scilicet praefatum Petrum, quem sibi illud retulisse in sua depositione de decima quarta Martii 1707. asseruit Reus.

287. Imo ne quidem sub initium Martii, postquam originalis Epistola per Clarissimum Dominum van-Espen ostensa erat Doctoribus Sacrae Facultatis, cum prae ceteris Dominus Parmentier conjiceret ex charactere, illius Scriptorem esse Juniorem Tourteau; ne tum quidem Reus dicto Domino aut aliis de Facultate indicavit, per dictum Tourteau Epistolam sibi fuisse allatam, aut ipsum esse ejusdem Scriptorem.

288. Sed quasi horum omnium ignarus, misit Dominum Parmentier cum charactere dicti Tourteau ad Clarissimum Dominum van-Espen, ut, collato hoc charactere cum charactere originalis Epistolae, Auctor scriptionis deprehenderetur, uti constat ex responso dicti Domini Parmentier ad Articulum vigesimum primum ipsi propositum 23. Maii. O stupenda vafrities, & malitia Rei!

289. Nec mirum si Reus fictionem occultare volens, modum, quo allata erat Epistola, ac praecipue personam, quae attulerat, omni studio celaverit, atque inter secreta non revelanda reservaverit.

290. Perspectum enim erat Reo fore, ut detecto Epistolae bajulo, cognitoque quod hujus fidei totius hujus tragoediae sinceritas & veritas inniteretur, mox omnis haec fictio ab omnibus, ut mera conficta fabula, exploderetur.

291. Haec evidenter ostendunt, nihil minus Reo in animo fuisse, quam veritatem exquirere, quin e contrario, nihil adeo ipsum curasse, quam ut omnia occultaret, per quae ipsa fictio detegi potuisset.

292. In id quoque tendebat secretum illud, quo obstringebat amicos suos, quibuscum aliquid, tametsi *obscure*, de hoc negotio communicabat.

293. Praevidebat enim Reus, quod si dictis Dominis licuisset de Epistolis & congregationibus, aliisque negotium hoc concernentibus, ac praecipue de praetensis ibidem nominatis conspiratoribus libere loqui, sine ullo negotio fictionem & falsitatem omnium detecturi fuissent.

294. Scopus igitur ipsius Rei in communicandis hac Epistola aliisque fictitiis instrumentis his quatuor Dominis fidis suis amicis, non fuit inquirere hujus negotii veritatem.

295. Sed cum sciret hos Dominos sibi prae ceteris fidos, & contra praetensos Jansenistas non parum praeventos, intendebat per haec fictitia instrumenta praeventionem hanc in eorum animis accendere; ut ita praeventi & accensi, ad agendum apud Altiores Potestates aliosque, ad eorum depressionem facilius & efficacius permoverentur.

296. Hinc & omnibus modis persuadere his Dominis conabatur, de his instrumentis non esset dubitandum; & quotiescumque de hoc negotio cum dictis Dominis Doctoribus agebat, semper simulabat se nequaquam de litterarum aliorumque instrumentorum veritate dubitare, uti deponunt dicti Doctores & Plebanus ad articulos 17. & 18. die 23. & 24. Maii ipsis respective propositos.

297. Et inter alios Dominus Pauwels Plebanus ad Articulum 17. qui erat: *An Domi-*

Dominus deponens ubi Acta hujus negotii vel aliqua ejusdem a dicto P. Desirant exhibebantur, non significaverit eidem se iis fidem non habere, nec Dominum van-Espen & alios esse capaces talium excessuum? Respondit simpliciter *affirmative*.

298. Deinde ad Articulum 18. qui erat: *An propter hoc dictus P. Desirant non ostenderit se Domino deponenti offensum?* Respondit, *se post duas vel tres vices non amplius fuisse vocatum*.

299. Et Dominus Daelman ad dictum *Articulum* 17. respondit: *Se sæpius hoc dixisse Patri Desirant, aliisque variis*.

300. Et ad *Articulum* 18. respondit *affirmative: ita ut ipsi Deponenti nihil amplius referret de isto negotio. Et cum semel Deponens ipsum sponte accessit, & mentionem faceret de famoso negotio, Eximius Pater Desirant ipsi respondit irrisorie:* SUNT LEMURES NOCTURNI, OMNIA SUNT FALSA; *significans per hoc, se ægre ferre, quod Deponens alibi talia dixerat. Et eximius Dominus Parmentier Deponenti retulit, se propterea tertio ab eximio Patre disgratiatum*.

301. Hinc videt Magnificentia Vestra, Reum ita animum ab agnoscenda veritate alienum ostendisse, ut conjunctissimos & amicissimos a se alienaret, quia de veritate hujus negotii dubitabant, eaque omnia ficta & falsa esse dicebant.

302. Ex his insuper facile intelligit Magnificentia Vestra, quæ fides habenda sit Reo in his, quæ sine ulla probatione in sui defensionem asserit, qui de tot apertissimis mendaciis convincitur per depositiones testium, quos ipsemet produxit & tanquam sibi amicissimos & addictissimos habuit.

303. Præterea ex his perspiciet Magnificentia Vestra, incredibile esse, quod si ad Reum tanquam ad *membrum* Strictæ Facultatis, imo tanquam illius *Vice-Decanum*, famosa hæc Epistola de 10. Januarii fuisset allata (ut ipse asserit) eam tanto tempore Facultati, omnibusque etiam sibi amicissimis occultaturus fuisset, neque ulli modum, quo sibi allata esset, aperte & sincere enarraturus.

304. Unde nihil restat ex his concludendum, quam quod ipse fictionis & totius tragœdiæ non tantum conscius, sed primarius Auctor fuerit; ac propterea studuerit fictionem occultare, ipsaque ficta instrumenta aliis pro sinceris obtrudere conatus; ut propositum sibi in hac fictione scopum tandem assequeretur.

305. His itaque attentis, certa & indubitata apparet depositio Petri Tourteau de vigesima sexta Martii, qua deponit ac fatetur, *se hanc Epistolam conscripsisse domi suæ ex subministrata materia per Patrem Desirant, tam exterius, quam ex libro Resolutionum, notanter ex congregatione* 15. *Novembris* 1706. *quodque ipse inde confecerit aliquam minutam, qua visa & approbata per Eximium Patrem Desirant, ipse nitide exscripsit*.

306. Imo Reus non tantum hujus fictionis complex fuit eique materiam in adversariorum suorum perniciem subministravit; sed & ipse cooperatus fuit falsæ signaturæ, dum signaturam quatuor initialibus litteris Domini van-Espen expressam, veræ signaturæ ejusdem Domini conformiorem reddidit.

307. Dictus enim Petrus, antequam infelicem & calumniosam suam depositionem revocasset, ad eam confirmandam sustinuit signaturam Z. B. V. E. dicta Epistola in fuisse alteratam & vitiatam.

308. Hunc in finem audiri petiit duos Notarios, scilicet Dominum Advocatum van Schoubroeck, & Bedellum van Dormael.

309. Producti igitur in Testes, decima Martii 1707. Reo admodum familiares, ac insuper ab ipso in Testes quoque producti, interrogati ambo deposuerunt, signaturam in dicta Epistola esse vitiatam, nominatim in eo quod litteræ Z. linea superior fuisset addita, idque a tempore quo copiam cum ipsa Epistola originali contulerant, scilicet decima & undecima Januarii.

310. In primis interrogatus D. Schoubroeck, *an aliquando vidisset Epistolam originalem scriptam manu Petri Tourteau de data* 10. *Januarii* 1707. *& Deponenti jam hic ostensam & prælectam?* Respondit, *se eam vidisse & legisse attente*.

311. Et ulterius interrogatus, *an reflexerit quibus litteris ea Epistola fuerit signata?* Respondit *affirmative*, *idque satis attente*,

tente, & cum temporis intervallo considera-vit quatuor illas litteras, quibus Epistola signata erat, scilicet Z. B. V. E.

312. Interrogatus dein, an *D. Deponens judicet ab eo tempore præfatas quatuor litteras ei jam ostensas, & quas tum vidit, modo esse vitiatas, & quænam illæ sint, & qualiter sint vitiata?* Respondit, *quod prima littera scilicet Z sit vitiata ex eo quod linea superior ejusdem totaliter sit addita sive superinducta ex post facto in hunc modum* ʒ, *quæ ante erat in modum sequentem* ʒ.

313. Idem respondit Notarius van Dormael, nominatim circa vitiationem sive immutationem dictæ litteræ Z. per inductionem superioris lineæ.

314. Habemus igitur ex testimonio duorum Notariorum, aliquam alterationem contigisse circa signaturam, quam Petrus ad calcem dictæ Epistolæ efformaverat.

315. Verum hæc alteratio potius dicenda est emendatio, quam vitiatio signaturæ.

316. Constat enim ex notissimis signaturis dicti Clarissimi, quæ tum in computibus Collegiorum, tum in Resolutionibus casuum, atque in Actis hujus causæ occurrunt, in ejus signatura, primam sui nominis litteram cum linea superiore semper & constanter sic apparere expressam ʒ.

317. Itaque Auctor alterationis hujus Litteræ advertens superiorem hanc lineam deesse in prima littera signaturæ, vidit litteram hanc non satis convenire cum signatura Domini van-Espen, voluit eam corrigere, & signaturæ Domini van-Espen conformiorem facere, addendo superiorem lineam huic litteræ.

318. Quis autem hic Corrector fuit? Indubie unus ex illis, in quorum manibus hæc Epistola reperta est, postquam undecima Januarii Bedellus van Dormael Copiam illius fecit, & cum Originali contulit, quando linea superinducta non apparebat, ut ipse declarat.

319. Igitur Corrector non est Petrus Tourteau, qui declaravit, eam nunquam fuisse in sua potestate a decima Januarii, qua die ejus Copiam scripsit.

320. Quod & convenit cum confessione ipsius Rei, utpote qui interrogatus *Articulo decimo. An non retinuerit dictam Epistolam ad Cursorem destinandam, vel quo modo fuerit destinata?* ausus non fuit respondere, quod eam reddiderit dicto Petro saltem ad destinandam:

321. Sed sufficienter innuit non esse per Petrum destinatam, dum dicit, se duodecima Januarii intellexisse ex Petro, eam esse destinatam, eo quod ille dixerit: *se eam vidisse in Fasciculo Litterarum Cursoris Bruxellensis;* qui sane hanc rationem non allegasset, (si tamen revera allegaverit, & a Reo super eo fuerit interrogatus) si eam destinandam accepisset, & revera destinasset.

322. Quare sincera apparet depositio dicti Petri, qua declarat 26. Martii, *se hanc Epistolam non destinasse, sed famulum* Fidel *ipsi dixisse, se hanc Epistolam destinasse.* Rationem, cur sibi destinandam non dederit, addidit Petrus in sua Recollectione: *Eo quod adhuc aliquas similes ante tradidisset Deponenti, quas Deponens non destinaverat.*

313. Nec mirum quod Petrus has Litteras non vellet destinare, cum facile prævidere posset, fore ut hoc modo publicarentur, atque ex Charactere dignosceretur earum Scriptor, uti & factum est.

324. Quod autem Dominus Pastor Sanctæ Catharinæ, aut Dominus van-Espen, vel aliquis amicorum ejus, dictam *lineam* superinduxissent litteræ Z., paradoxum est: hanc enim alterationem fecissent in evidentem dicti Domini van-Espen perniciem, reddendo fictam signaturam conformiorem veræ signaturæ dicti Clarissimi.

325. Quæ omnia juncta cum depositione seu attestatione dicti Petri attestantis, Reum sibi sæpius dixisse, se signaturam hujus Epistolæ mutasse, dubium non relinquunt, quin hæc correctio copiæ per Reum contigerit; apud quem & in cujus quarterio die undecima Januarii Notarius van Dormael copiam Epistolæ authenticavit; & litteram illam sine superiore illa linea adhuc vidit: maxime quia ipsius Rei & solius intererat, fictam signaturam veræ signaturæ Domini van-Espen esse conformiorem.

CAPUT TERTIUM.

Probatur quod Reus sit primarius Auctor confictì Libri Congregationum & Resolutionum.

326. Liber Congregationum & Resolutionum, de quo hic agitur, continet Congregationes 26. & Resolutiones super iisdem pene punctis & factis, de quibus in Epistola de decima Januarii ad Dominum Pastorem S. Catharinæ Bruxellis, de qua Epistola Capite præcedenti.

327. Hic est ille Liber Congregationum, qui inclusus erat fasciculo, quem 27. Januarii sub vesperam sibi allatum esse per Petrum N. Tourteau narrat Reus in sua prima Depositione die 14. Martii.

328. In hoc enim fasciculo inventa sunt, primo *Epistola de 13. Januarii*, secundo *Formularium in mense Junio anni 1706.* & *Liber Resolutionum cum duobus impressis* intitularis: DEDUCTIO RATIONUM, uti fatetur ipse Reus in dicta Depositione de 14. Martii. Hujus fasciculi coopercului inventarizatum est sub Littera *D.*

329. Porrò hujus confictì Libri non idem tantum argumentum, sed & idem plane finis & scopus est, qui prædictæ Epistolæ de decima Januarii.

330. Verum modus plane alius inventus initusque fuit, quo Libro huic fides adstrueretur.

331. Nam Epistolæ quidem fides ex apparenti primo aspectu signatura Doctoris van-Espen sufficienter videbatur astructa: at præfato Libro Congregationum visum fuit nullam signaturam subjicere, sed aliam viam inire ad fidem conciliandam.

332. Incredibile est, quas artes eum in finem impenderit Reus, quibus technis & fallaciis tentaverit circumvenire Dominum van-Espen, ut aliqua tandem expiscari aut elicere posset, quibus vel in speciem saltem videretur Dominus van-Espen Librum illum tanquam suum agnoscere.

333. Media cum suis circumstantiis talia sunt, ut credibile non sit, ea posse ab ullo impendi, nisi qui fictionis sit Auctor, fictitiumque opus promovere & ad finem perducere in animo habeat.

334. In primis ad adstruendam hujus Libri fidem, conficta est prædicta Epistola & omnes reliquæ sub fictitia signatura Clarissimi D. van-Espen.

335. Omnes enim dictæ Epistolæ, vel aliqua in Congregationibus gesta narrant, vel habitarum Congregationum aut habendarum meminerunt.

336. Ut proinde ex inspectione Litterarum verissima ostendatur depositio Petri Tourteau, qui interrogatus de pluribus Epistolis sub initium Februarii confictis, respondit: Reum sibi dixisse, *quod eas Litteras non deberet scribere, nisi per intervalla & in singulis litteris aliquid inserere de materiis seu gestis*, ut scilicet sic ostenderetur continuatio Congregationum.

337. Duravit hæc Litterarum fictio, qua fides hujus Libri stabiliretur, usque ad medium circiter Februarii 1707.

338. Tunc enim cœpit Reus anxius esse, ne signatura ficta judicaretur non convenire cum vera signatura Clarissimi Domini van-Espen; & nominatim dum undecima Februarii, idest *feria sexta primæ hebdomadæ Jubilæi novissimi*, ad Reum accesserat Amplissimus Dominus van Susteren Vicarius Generalis Domini Archiepiscopi Mechliniensis una cum Domino Daemen Decano S. Petri, *ubi collatis Litteris famosis sub nomine Domini van-Espen cum variis originalibus Litteris ejusdem Domini van-Espen, quas Amplissimus Dominus van Susteren secum attulerat, dictus Amplissimus Dominus absolute in præsentia Domini Daemen & ipsius Rei, judicaverat totum esse* FALSUM ET FICTUM, uti testatur dictus Dominus Daemen in sua Depositione de vigesima secunda Junii 1707.

339. Itaque cum videret Reus fictionem signaturæ detectam esse, a fictione litterarum destitit, neque litteræ post undecimam Februarii, præter unam exigui momenti de decima quinta ejusdem mensis, signatæ occurrunt.

340. Alia proinde media ad fidem huic Libro vel in speciem afferendam excogitavit, atque in primis varia tentavit, quibus probaret dictum Tourteau sub dictamine Clarissimi scripsisse, vel aliquid ex verbis ejus captaret, quo Librum pro suo agnovisse videretur.

341. Primo tentare voluit famulum Claris-

rissimi Domini van-Espen, ut aliquid ab eo expiscari posset. Ad hunc Reus misit Petrum Tourteau, ut ipsum conaretur ad se adducere, uti ipse Reus fatetur *Articulo* 221. *Responsionis ulterioris ad Libellum gravaminum*.

342. Et ipse Jacobus le Jeusne famulus dicti Clarissimi in sua depositione de quarta Aprilis anno 1707. declaravit sub juramento, *se per prædictum Tourteau bis, scilicet* 12. *&* 16. *Februarii rogatum fuisse instanter, ut vellet accedere Eximium Patrem Desirant, & si non vellet vel non auderet venire ad Monasterium, ut saltem veniret ad Collegium Trilingue ad loquendum Eximio Patri Desirant, idque sub promissione unius Bursæ septennii, & forte desuper alicujus alterius gratificationis, ut aiebat Tourteau*.

343. Neque obscure fatetur Reus Articulo 116. ad Interrogatoria, has promissiones famulo factas esse se conscio & consentiente, *cum* (ut ait) *omni modo cuperet loqui isti famulo*.

344. Ut quid tam sollicita tantisque sub promissis famuli hujus per Reum facta evocatio? Respondet Reus *Art.* 221. Responsionis ulterioris ad Libel. gravaminum: *ut bono modo & sine invidia ad se venientem examinaret, utrum revera Petrus Nicolaus Tourteau in ædibus Clarissimi Domini scripsisset*.

345. Itane vero? tantis promissis alliciendus erat famulus tantoque examine erat opus, ut sciretur a famulo an in *ædibus* Clarissimi Domini van-Espen Magistri sui *revera scripsisset Petrus Tourteau?*

346. Id sine promissis, sine operoso examine, imo nullo pene negotio per Theologum aliumve huic famulo notum, scire potuisset Reus.

347. Nec enim verisimile erat quod famulus occultare voluisset id quod omnibus domesticis & cuilibet, ædes prædicti Clarissimi Domini van-Espen frequentanti, innotescere debebat, utrum nimirum dictus Petrus Tourteau soleret in ædibus sui Magistri sæpius versari, & sub ejus dictamine scribere.

348. Imo dubitare non poterat Reus, quin famulus eo sincerius veritatem apertutus fuisset, quo simplicius & familiarius per aliquem sibi notum super hac re fuisset interrogatus, nullam fraudem suspicatus.

349. Aliud proinde fuisse Rei consilium innuit anxia hæc famuli evocatio, præsertim facta per ipsum Petrum Tourteau, super cujus fide hujus famuli examen erat instituendum, si Reo credimus.

350. Sane nisi Petrus probe scivisset, famulum hunc non evocari ut ipse Petrus de falsitate convinceretur, scire debebat Reus, saltem timendum esse, ne Petrus fidelem operam non esset impensurus, ut famulum induceret ad veniendum; imo potius curaturus ut famulus non veniret.

351. Nequaquam ergo ambiguum est, quin verum scopum hujus evocationis & prætensi examinis per Reum instituendi, sincere expresserit dictus Petrus omnium technarum & consiliorum conscius in litteris suis de 29. Martii ad Dominum Malcorps Fiscalem, & in judicio consignatis, nimirum *id fiebat ad tentandum eum seducere ad aliqua referenda, ut inde posset trahere probas Eximius Pater Desirant ad confirmandum librum Congregationum & Epistolas &c.*

352. Quin & admodum verisimile est quod addit idem Petrus de promissa sibi pistolla in casum adductionis hujus famuli, quamvis id neget Reus: quandoquidem, ut ipse Reus fatetur citato *Articulo* 116. *omni modo cuperet loqui isti famulo*.

353. Sub idem pene tempus, quo missus est a Reo Petrus Tourteau ad famulum, missus est etiam ab eo ad ipsum Dominum van-Espen Nicolaus Tourteau, pater sæpe dicti Petri, ut ab eodem Domino van-Espen exquireret, *An aliquid deberet Petro Nicolao Tourteau filio suo ratione scriptionis sub dictamine, & pro exscriptione aliorum scriptorum, a quo & quando, & quod bene debeat attendere ad Responsum dicti van-Espen, ut desuper possit dare Attestationem Notarialem*.

354. Fatetur Reus dictum Tourteau eum in finem a se missum, ad Articulum *quadragesimum secundum* Interrogatoriorum, *& Articulo* 215. *Responsionis ulterioris ad libellum Gravaminum*.

355. Ad quid tam sollicitum monitum, tamque anxie inculcatum dicto Tourteau, *quod bene deberet attendere ad Responsum*

 dicti

dicti Domini van-Espen, quid, inquam, innuit? nisi quod studeret Dominum van-Espen capere in sermone, & artificiose ex eo elicere, quæ saltem in speciem sinceritatem Libri Congregationum confirmarent.

356. Et sane eventus consilium istud aperuit, nam super hac quæstione: *Utrum quidquam filio deberetur, & an sæpius pro Interrogato scripsisset?* retulit prædictus Tourteau ad Reum, *Clarissimum Dominum van-Espen respondisse absolute se nihil debere filio suo, nec eum pro se scripsisse sive sub dictamine sive aliter*: uti constat ex dicta Attestatione Nicolai Tourteau, & fatetur Reus in citatis Articulis.

357. Hoc Responsum licet simplex & absolutum & omni carens æquivocatione, nequaquam arrisit Reo, neque illo usus deprehenditur: Testaturque dictus Nicolaus, qui tempore factæ relationis optime conscius erat intentionis ipsius Rei, quod Reus *quoad illud punctum ne petiturus quidem fuisset Attestationem*, nisi verba aliqua obscura, quasi a Clarissimo Domino van-Espen dicta addidisset.

358. Evidens argumentum, Reo animum non fuisse ex Responso Domini van-Espen intelligere veritatem, eique intellectæ acquiescere; sed ex ore ipsius expiscari quidpiam, quo vel in speciem de prædicto Libro Resolutionum Dominum van-Espen suspectum faceret.

359. Addit enim in sua depositione prædictus Nicolaus, se præter dictum absolutum responsum negativum retulisse Reo, quod Dominus van-Espen post datum prædictum absolutum responsum addidisset quasi ingemiscens, *tuus filius, tuus filius, timeo, timeo*.

360. Hæc generalia & æquivoca verba ita placuerunt Reo, ut iis auditis jusserit de tota relatione per ipsum Nicolaum fieri Actam Notarialem, ut testatur ipse Nicolaus, & fatetur Reus in Articulis super allegatis.

361. Prædicta verba subjecta tam positivo, & categorico Responso, quid aliud præferebant quam timorem fundatissimum de filio, quem ex illa Patris interrogatione tam enormiter mentitum fuisse colligere poterat Clarissimus.

362. Sed hic verborum sensus Reo non congruebat, alium sibi amplius arridentem & placentem ipse Petrus Reo in fictione socius (si Reo sit fides) sensum aperuit, uti in responsione ad Articulum quadragesimum secundum Interrogatoriorum declarat ipse Reus.

363. *Dixit enim audaciter, quod Clarissimus Dominus mentiretur, & quod illud*, ICK VREESE, ICK VREESE, *sive* TIMEO, TIMEO, *nihil aliud esset, quam quod timeret revelationem Epistolæ de* 10. *Januarii* 1707.

364. Et rursus Articulo 216. & sequenti *Responsionis ulterioris ad Libellum Gravaminum* Reus declarat, quod senior Tourteau *rediens a Domino van-Espen retulerit responsum negativum, sed Petrus Nicolaus interpretabatur prædicta verba, filius tuus, ego timeo, ego timeo, quasi Clarissimus Dominus timuisset sibi*.

365. Hæc interpretatio data a Petro, cujus fides (ut saltem simulat Reus) ipsi suspecta erat, & de qua, uti asserit, inquirebat, adeo ipsi arrisit, tantæque apud eum fidei fuit, ut mox positivo & categorico responso Clarissimi Domini van-Espen sine ulteriori examine prævaleret, omnemque ei fidem adimeret.

366. Et quod magis ridiculum est, fidem suam Reo adstruxit Petrus, quod ipse Petrus diceret, *non esse alium timorem, quam revelationis*, scilicet in Clarissimo Domino, uti fatetur in suo Responso *ad Articulum* 45. Interrogatoriorum, aliaque ibidem non minus ridicula & absona a Petro sibi dicta narrat, quæ tamen mox apud Reum fidem meruerunt, si ipsi creditur.

367. Et quidem eam fidem meruerunt, ut Reus dicat in citato Responso, *quod haberet materiam ulterius examinandi*.

368. Addit autem Reus pro argumento, quo fidem suam astruebat Petrus, *Quod idem junior Tourteau superbissime urgeret quod Dominus Opstraet & Dominus van-Espen non auderent reproducere Originalem Epistolam de* 10. *Januarii* 1707., *quia in conscientia sciebant, se reos esse, & quod illa esset unica causa, quod resisteret instantiis Sacræ Facultatis per quatuor vices de triduo in triduum per suum Bedellum iteratis*,

ratis, ut Originale reproducerent.

369. Si hæc a Petro sint narrata, idque circa 14. Februarii, quando pater ejus ad Clarissimum fuerat missus, patet, Reum tanquam Petro familiarem, ipsi communicasse, quæ de hoc negotio in Facultate tractabantur: cum verisimile non sit, quod alioquin Petrus hæc tam exacte scire potuisset.

370. Ad hæc, qua specie potuisset credere Reus, quod Domini Opstraet & van-Espen non auderent reproducere Originalem Epistolam, *quia in conscientia sciebant se Reos esse:* quandoquidem Reus sciret Copiam ipsius Epistolæ per dictos Dominos fuisse divulgatam.

371. Evidens signum quod illius Auctores non essent, uti supra capite 2. art. 242. notatum est. Sciebat & Reus quod Dominus Opstraet unice differret Originalem ostendere, quia Dominus Pastor S. Catharinæ mittere nolebat.

372. Consideret nunc Magnificentia Vestra, qua specie ipse Reus adeo astutus & ingeniosus, uti ipsemet prædicat, potuisset his ridiculis & absonis Petri dictis, & interpretationibus, nullo vel in speciem verisimili argumento suffultis, plane acquiescere, plenamque fidem habere, nisi una cum Petro totius fictionis & tragœdiæ conscius & artifex, undequaque sui operis qualiacumque fulcra quæsivisset?

373. Præsertim cum contra Petrum non una militaret gravissima circumstantia; si ponantur a Petro dicta, quæ tanquam dicta profert Reus, & negat Petrus.

374. Narrat enim sibi dictum a Petro, *quod tam multa scripsisset sub dictamine Clarissimi D. van-Espen, ut hic ipsi restaret debitor ad decem circiter imperiales.*

375. Nunquid hic falsum subodorari debebat Reus? Nunquid notum ipsi erat se Petrum tanto tempore in scribendo impendisse, ut moraliter esset impossibile, illum tam multum potuisse scribere sub dictamine Clarissimi?

376. Qua specie credere poterat, tantam injustitiam, imo duritiem, in hoc Clarissimo Domino, ut Petro pauperi, jam conjugato, & rei familiaris angustiis laboranti restaret debitor ad *decem circiter imperiales*, qui facile unius alteriusve mensis operarum Petri mercedem confecissent?

377. Igitur mere ad struendas insidias Clarissimo missus fuit hic Nicolaus Tourteau, quemadmodum ipse Petrus ad ejus famulum.

378. Verum nusquam ita elucent insidiæ & laquei, quibus dictum Clarissimum circumvenire studuit, fictique Libri Auctorem reddere, quam in subornatione Patris Leopoldi a Sancta Theresia Carmelitæ Discalceati.

379. Fatetur in primis Reus, missum a se ad præfatum Clarissimum fuisse Patrem Leopoldum, in responso ad Art. 46. Interrogatoriorum.

380. Addit autem ibidem hunc Patrem a se missum ad Clarissimum *ex mera intentione, ut saltem per unum incognitum detegeret veritatem, & ut Clarissimus Dominus sciret factum, quod contra ipsum attentabatur.*

381. At omnia, quæ in hoc negotio dicta & acta sunt, manifestissime evincunt, Reum per dictum Patrem Leopoldum non studuisse *detegere veritatem*, aut facere, *ut Clarissimus Dominus sciret factum, quod contra ipsum attentabatur.*

382. Sed contra unice intendisse veritatem occultare ipsumque Clarissimum in errorem & deceptionem trahere, eumque in finem mendacibus & subdolis mediis, quin & sigillo Confessionis Sacramentalis turpiter & sacrilege abusum fuisse.

383. In primis enim fatetur Reus ad dictum Art. 46. quod miserit Patrem Leopoldum ad Dominum van-Espen, ut ageret *de pacqueto de 13. Januarii.*

384. Porro constat ex inventario confecto die 27. Januarii per Notarium van Dormael ad instantiam Rei, & per ipsum consignato die 2. Maii, & inventarizato *sub Litteris B. B.* item ex ipsa depositione Rei de 14. Martii; in hoc pacqueto inventa in primis duo exemplaria, quorum titulus erat: *Deductio summaria rationum, ob quas Academici non sint cogendi Seminaria Episcopalia, priusquam ordinentur, inhabitare*, unum in charta marmorea, alterum in albis, item *unum volumen chartæ 38. foliorum in folio, sed non totaliter conscriptum, cujus titulus erat: Liber Resolutio-*

lutionum. Initialia verba: *Amici, qui interfuerunt congregationibus anno 1706. apud Clarissimum Zegerum Bernardum van-Espen, sunt annotati pagina sequenti*. Et finalia verba erant: *Et proximam Congregationem indixerunt in 14. mensis currentis, si fieri possit*.

385. Item continebatur, *Copia Declarationis non authentica incipiens*: *Nos infrascripti*; & finiens: *Cincq Philosophiæ Professor*; denique continebatur Originalis Epistola incipiens: *Myn Heer, naar een hertelyke groetenisse soo kome ik U. L.*: signabatur infra Z. B. V. E. *data ejus has erat*: LOVEN DEN 13. JANUARII 1707.

386. Hoc est Pacquetum, quod, uti asserit Reus in sua prima Depositione die 14. Martii, Petrus Nicolaus Tourteau ipsi attulit tanquam a se inventum, & *surreptum in granario Clarissimi Domini van-Espen circa 13. Januarii, dum eo die dictus Clarissimus discessisset Bruxellas versus*.

387. De hujus ergo Pacqueti sive Fasciculi tanquam furto surrepti restitutione acturus mittitur a Reo ad Clarissimum Pater Leopoldus.

388. Quot mendaciis & fallaciis instructus ad fallendum Clarissimum missus fuerit, habetur ex fideli atque exacta relatione dicti Clarissimi hic in judicio consignata & recognita die 20. Junii 1707.

389. Hanc ita confectam dictus Clarissimus prælegit die octava Martii in Conventu Patrum Discalceatorum in platea S. Quintini coram Reverendo Patre Vice-Provinciali ejusdem Ordinis, *præsente dicto* Patre Leopoldo, singulaque attente audiente, & præsentibus Dominis Goethals & Cincq Philosophiæ Professoribus; qui Pater Leopoldus paucis in ea Relatione annotatis, ut minus sincere, ut ipsi apparebat, relatis, reliqua suo silentio coram suo Superiore & dictis testibus tacite probavit, uti patet ex horum Professorum Depositione de 20. Junii 1707.

390. Verum quidem est, postmodum dictum Patrem Leopoldum in suis Depositionibus nonnulla deposuisse dictæ Declarationi contraria; sed quæ fides his Depositionibus danda sit, perspiciet Magnificentia Vestra, si dignetur considerare, quam subdole & vafre juxta instructiones sibi a Reo datas egerit cum dicto Clarissimo, uti ex dicendis patebit.

391. Habetur in primis ex litteris a Reo ad hunc Patrem datis & in judicio recognitis, quod Reus ipsum perpetuo instruxerit, quomodo cum Clarissimo agere deberet.

392. Quin cum hic Pater citatus esset die trigesima Martii ex parte Officii, ut coram Magnificentia Vestra deponeret, noluit deponere nisi juxta schedulam, quam ipse primo conscripserat, ut habent Acta.

393. Ne quid autem Reo præjudiciosum deponeret, schedulam prius Reo legendam & approbandam obtulit, uti fatetur Reus ad *Articulum* 113. Interrogatoriorum.

394. Interrogatus enim, *An dictus Pater non accesserit ipsum antequam veniret ad respondendum? Respondit, quod venerit paulo ante tertiam, antequam Reus iret ad lectionem, dicens quod esset jussus deponere coram Magnifico Domino; & ostendit Eximio Patri suæ depositionis chartam, quam dicebat se de nocte scripsisse*.

395. Item ex Responso Rei ad Art. 112. habetur, quod eadem vespera venerit ad Reum *relatum*, *quod deposuerat apud Magnificum Dominum*.

396. Ex quo manifestum est, hunc Patrem, totum in suis depositionibus a Reo dependisse, & a Reo tanquam sibi fidissimum præ ceteris in Emissarium fuisse electum.

397. Quod autem Reus hunc Emissarium ad Clarissimum non miserit *ut detegeret veritatem*, *& ut Clarissimus Dominus sciret factum*, *quod contra ipsum attentabatur*, *idque per incognitum*, uti jactat Reus in Responso ad citatum Articulum 46., sed ad fallendum Clarissimum, & expiscandum aliquid; quo saltem in speciem adstrueretur Auctor fictitii Libri Resolutionum & Formularii atque Epistolæ prædicto pacqueto seu fasciculo acclusorum, plura evidentissime probant.

398. In primis constat, quod in primo congressu Patris Leopoldi cum Clarissimo Domino van-Espen, post plures discursus circa surreptum & mala fide detentum *Pacquetum*, ejusque per pœnitentem faciendam restitutionem, ad interrogationem dicti

dicti Patris, *vultne Reverentia vestra ut comburatur*, tandem Clarissimus dixerit dicto Patri sibi tunc *incognito*, & ut tali per Reum ad se misso, *nescio quid contineat*, *melius est ut Reverentia vestra illud aperiat*, *& videat quæ in eo contineantur*.

399. Quod non tantum constat ex citata relatione Clarissimi Domini, sed etiam ex ipsa Confessione Rei, fatentis ita sibi a Patre Leopoldo relatum, in Responso ad *Art.* 53. Interrogatoriorum.

400. Interrogatus enim, *An similiter non retulerit Pater Leopoldus, quod Dominus van-Espen dixisset, ut pacquetum illud aperiret, & si esset resolutio alicujus casus, vel aliqua concernentia ejus familiam, ut restitueret, si vero aliquod pasquenade, in ignem projiceret*; respondit: *quod retulerit ut supra, excepto quod loco resolutionis casus, dixerit Librum Resolutionum casuum*.

401. Si Reus miserit hunc Patrem, *ut saltem per incognitum hominem detegeret veritatem*, nonne vel ex hoc simplici, nec præmeditato responso novisset & detexisset veritatem fictionis; ad Clarissimum Dominum hunc fasciculum non spectare, nec ab eo missum esse *Amstelodamum?*

402. Delata enim erat ad Reum die 11. Februarii per Petrum Tourteau Epistola de 10. Februarii 1707. sub signatura nominis prædicti Clarissimi ad *longum*, & signo quadrato oblongo, ad Jacobum Ignatium Krys Amstelodamum scripta (de qua Epistola capite sequenti)in qua Clarissimus deplorat, quod pacquetum cum acclusis ipsi Jacobo Ignatio Krys dastinandum, e domo sua esset surreptum.

403. Si ergo Reus hanc Epistolam sibi per Petrum allatam credebat esse sinceram & veram Epistolam Clarissimi Domini, ex illa una intelligebat, quod Clarissimus esset conscius furti vel interceptionis hujus pacqueti.

404. Dum ergo super restitutione pacqueti furto ablati, & per pœnitentem tempore Jubilæi restituendi agebat circa 12. aut 16. ejusdem mensis Pater Leopoldus, nonne evidentissime incidisset Clarissimo, certo agi de restitutione hujus pacqueti furtim e domo sua ablati, præsertim cum ipse Pater Leopoldus diserte diceret, agi de restitutione pacqueti missi *Amstelodamum?*

405. An non hinc certo conclusisset Reus, si *veritatem detegere* voluisset, quod Clarissimus nunquam permissurus fuisset homini sibi *incognito* aperire tale pacquetum, in quo ipse Clarissimus sciebat tam horrenda contra Statum & Religionem contineri: sed omni modo laboraturus, ut pacquetum clausum sibi restitueretur, aut saltem in ignem conjiceretur: ut sic arcana illa & horrenda consilia mansissent omnino occulta?

406. Nec ignorabat Reus, quod hæc horrenda in hoc pacqueto continerentur: quandoquidem 27. Januarii 1707. ipso præsente pacquetum fuerit apertum, & ad ejus instantiam omnium contentorum confectum inventarium per Notarium van Dormael: omniaque apud se retinuerit, pluribusque sub finem Januarii & initium Februarii ostenderit, ut constat ex depositionibus Doctorum Damen & Parmentier de 28. Martii 1707.

407. Hinc perspicit Magnificentia Vestra, Reum vel ex prædicto simplici responso Clarissimi & data licentia aperiendi pacquetum, & contenta examinandi, infallibiliter conclusurum fuisse, omnia quæ de hoc pacqueto retulerat, aut retulisse fingitur Petrus, esse pura puta figmenta, si *veritatem detegere* voluisset.

408. Sed Reus omnium fictionum conscius, & non intentus nisi ad expiscandum aliquid, quo fictitio operi veritatis umbram affingeret, ad hæc attendere noluit.

409. Quod ulterius Reus nequaquam intenderit per hunc Emissarium instruere Clarissimum *de facto, quod contra ipsum attentabatur*; sed contra omni modo studuerit illud occultare, & Clarissimum in errorem inducere, atque eum capere in sermone, quo fictitii Libri Resolutionum vel in speciem Auctor crederetur, probatur non tantum ex indiciis & conjecturis; sed ex ipsa Rei & illius Emissarii confessione, & litteris propriis ipsius Rei ad Emissarium datis & in judicio recognitis.

410. Si enim misisset hunc Patrem Emissarium ad Clarissimum, *ut sciret factum quod contra ipsum attentabatur*, debuisset ergo curare, ut Clarissimo Domino van-Espen ab ipso Emissario factum sincere exponeretur.

411. E

411. E contrario summopere cavit, soliciteque injunxit suo Emissario, ut ita ageret cum Clarissimo, ne per ipsum contenta Libri Resolutionum Clarissimo innotescerent.

412. Et quidem in Epistola 2. Martii ad Patrem Leopoldum data & recognita ad *Art.* 108. Interrogatoriorum rogat Reus dictum Patrem, ut *dignaretur non excurrere ad personam notam* (scilicet Dominum van-Espen, ut fatetur ad Artiticulum 106. Interrogatoriorum) *si tamen ipsemet excurrat, illi simpliciter dicere, quod Paternitas Vestra viderit Librum Resolutionum in manu alicujus alterius personæ, a qua accepit veniam hoc dicendi isti viro; non tamen* (ait) *faciat mentionem* ILLORUM, *quæ continentur, quia* NULLO MODO *conveniens est, ut per Paternitatem Vestram intelligat, quid in hoc Libro contineatur*.

413. Hic agnoscit Magnificentia vestra, quam sincere locutus sit Reus, dum dixit, hunc Patrem a se ad Clarissimum fuisse missum, *ex mera intentione, ut saltem per incognitum detegeret veritatem, & ut Clarissimus Dominus sciret factum, quod contra ipsum attentabatur*.

414. Nihil ita cavit, ipsique Patri Leopoldo inculcavit, quam ne Clarissimus Facti, quod contra ipsum *attentabatur*, notitiam acciperet.

415. Unde licet agnosceret Reus contenta in hoc Pacqueto esse maximi momenti, utpote horrenda contra Statum & Religionem, in Responsione ad *Articulum* 101. Interrogatoriorum, id tamen rursus latere voluit Clarissimum Dominum, uti patet ex Epistola ipsius Rei ad dictum Patrem Leopoldum, quæ incipit: *Reverende Pater, sis forti & sincero animo*, recognita per Reum ad *Articulum* 104. Interrogatoriorum.

416. In hac enim multis instruit prædictum Pattem Leopoldum, qualiter agere deberet cum Clarissimo: atque inter alia monet, eum posse dicere Clarissimo, *quod in istis chartis* (Fasciculi) *nihil forsan contineatur momentosi*.

417. Et ne ambigua sit intentio ipsius Rei, ipse eam exponit in explicatione hujus Epistolæ, quam ad *Articulum* 106. Interrogatoriorum dictavit, expresse agnoscens, se scripsisse Patri Leopoldo, addi posse dicta verba, *ne scilicet Clarissimus Dominus van-Espen ex ore Patris Leopoldi cognosceret contenta*.

418. Inde indubie factum est, ut dictus Pater Leopoldus, in secundo congressu cum Clarissimo, simulans se exponere contenta, nihil quod intelligi posset ex contentis expresserit, nisi bina exemplaria *Deductionis rationum*: exigui sane momenti, sed de Epistola ad Jacobum Ignatium Krys, & de horrendo Formulario de mense Junio in Pacqueto contentis, altum plane silentium fuit; de Libro autem *Resolutionum* seu *Congregationum* nihil nisi admodum obscure expressit, ut Clarissimus nihil capere posset.

419. Ut propterea Clarissimus crederet, agi de resolutione casus, uti non tantum ex allegata relatione dicti Clarissimi constat, sed etiam ex confessione ipsius Rei, & depositione Patris Leopoldi manifeste probatur.

420. Reus enim fatetur ad *Articulum* 53. Interrogatoriorum, quod Pater Leopoldus sibi retulerit, Clarissimum intellexisse de Libro *Resolutionum* CASUUM.

421. Et Pater Leopoldus productus per Reum deposuit die 24. Novembris 1707. *ad Articulum* 120. quod in primo congressu Clarissimus responderit: *Erit forte aliquis casus ad me remissus ad resolvendum*.

422. Et quod in secundo congressu respondit: *Erit forte Liber Resolutionum* CASUUM.

423. Ita ut omnia essent composita ad inducendum Clarissimum in errorem & deceptionem, quod & unice optabat Reus.

424. Nam cum ex his, quæ inter dictum Patrem Leopoldum & Clarissimum acta fuerant in tertio congressu prima Martii in Conventu Patrum Carmelitarum Discalceatorum (de quibus in citata Relatione Clarissimi Domini) intellexisset Reus, Clarissimum versari in *errore*, eo quod Clarissimus crederet fasciculum per Patrem Leopoldum traditum esse ipsi Reo; tanto gaudio perfusus fuit, ut illud continere non valens, in prædicta Epistola, quæ incipit: *Reverende Pater, sis forti & sincero animo*, ita scribat: *gaudeo quod sit in* ERRORE *persona illa, dum putat quod Reverentia*

vestra

vestra mihi aliquid tradiderit, quod non est verum.

425. Et ut ulterius Clarissimus confirmaretur in errore, suggerit Patri Leopoldo in eadem Epistola: *Poteris inter quatuor oculos dicere in genere, quod attinet Patrem Desirant, Dominatio Vestra est in* ERRORE, *sicut verum est.* Deinde addit in eadem Epistola: *Poteris etiam ei inter quatuor oculos dicere, quod persona illa, coram qua aperuit, non tradiderit Patri Desirant, quod usque in hodiernam diem non habeas aliam notitiam.*

426. En omnia artificiose & nequiter ad decipiendum composita, adjecto etiam apertissimo mendacio.

427. Falsissimum enim erat, quod Pater Leopoldus *usque in illum diem non haberet aliam notitiam.*

428. Cum ipsi compertissimum esset, quod fasciculus ille esset apud Reum, quodque illum ipse aperuisset & ostendisset, imo & omnium contentorum notitiam haberet: *quia omnia in eo contenta fuerant ipsi ostensa*, uti fatetur Reus ad *Art.* 54. Interrogatoriorum.

429. Sed neque mysterio vacat, quod Reus tam serio inculcet Patri Leopoldo in hac eadem Epistola, quod *nihil posset* Clarissimo *dare scripto, nec etiam coram teste loqui, sed inter quatuor oculos.*

430. Et rursus sub finem Epistolæ: *Noli unquam loqui* CORAM TESTE *vel* TESTIBUS, *sed semper prævie require secretum, aut alioquin non loqui, nihil etiam dare scripto potes.*

431. Et iterum in altera Epistola de secunda Martii, quæ incipit: *Admodum Reverende Pater, Paternitas Vestra*, recognita *ad Articulum* 107. Interrogatoriorum: *si Clarissimus Paternitatem Vestram ipsemet accedat, ei loquatur inter* QUATUOR *oculos.*

432. Ut quid enim hæc tam sollicita, ac toties inculcata cautio? nisi ut Clarissimo deesset probatio dictorum & actorum inter ipsum & Emissarium hunc: liberumque esset Reo ejusque Emissario fingere tanquam a Clarissimo dicta, quæ dicta non erant, aut negare dicta, quæ revera dicta essent.

433. Exemplum hujus nequissimi propositi inter alia hoc est: Dixerat Clarissimus in primo congressu cum Patre Leopoldo, *pacquetum*, quod ipsi surreptum dicebatur, & *Amstelodamum* destinatum, *non posse ad se spectare, quia*, aiebat, *nullas litteras misi Amstelodamum.*

434. Et rursus in secundo congressu in ædibus propriis, postquam narrasset Pater Leopoldus in *pacqueto* contineri duo exemplaria impressi Motivi seu *Deductionis rationum*, sine ulla hæsitatione dixit Clarissimus: *Hinc apertius elucet, pacquetum non esse meum, quia hactenus Motivum hoc impressum non habui, nec hactenus quidem vidi*, & post nonnulla interposita conclusit Clarissimus: *Ego interim sum certus pacquetum hoc ad me non spectare, apparenter persona illa me non novit, & erravit in nomine, magis suspicor ad Doctorem Parmentier spectare, quia habet Motiva.*

435. Tandem in ultimo congressu in ædibus propriis Clarissimi Domini die 1. Martii sub vesperam, postquam dictus Pater Leopoldus dixisset Clarissimo Domino, *Si Reverentia vestra velit dare in scriptis; Scriptum illud ad se spectare, quodque nullam difficultatem movebit huic quarta manui aut primæ vel secundæ, conabitur efficere ut vobis restituatur*; Respondit Clarissimus, *Quomodo Reverende Pater audes hoc a me petere in scriptis, cum decies & amplius dixerim, me tam certo scire, quam sciam Reverentiam vestram ibi sedere, Scriptum ad me non spectare?*

436. Hæc omnia constant ex declaratione dicti Clarissimi in judicio exhibita & recognita, & ipsi Patri Leopoldo coram Reverendo Patre Vicario Provinciali, & duobus Philosophiæ Professoribus prælecta, & tacite per dictum Leopoldum in dictis punctis approbata.

437. Hæc toties tantaque vehementia & energia a Clarissimo coram Patre Leopoldo repetita & inculcata, quia acta erant *inter quatuor oculos*, nec scopo per Reum intento congruebant, memoriæ Patris Leopoldi, si credere fas est, exciderant.

438. In prima enim sua depositione die trigesima Martii, ex schedula (quam Reo prælegerat, uti constat ex responsione ad articulum 113. Interrogatoriorum) dicit: QUANTUM RECORDOR, *nunquam volui*

voluit dicere, *pacquetum non esse suum*.

439. Et ipse Reus *Articulo* 52. interrogatus, *An Pater Leopoldus non retulerit interrogato, Clarissimum Dominum van-Espen dixisse, se nullas Litteras perdidisse*, Respondit: *quod*, *Quotiescumque Pater Leopoldus interrogato de ista re locutus est*, *semper eodem modo retulit*, *quod dum Clarissimus Dominus ei locutus fuerit* INTER QUATUOR OCULOS, *nunquam volebat dicere se aliquid perdidisse*, *neque se aliquid non perdidisse*; *item Librum Resolutionum esse suum vel non esse suum*; *sed quando idem Clarissimus Dominus ipsi locutus est postea* CORAM TESTIBUS, *quod tum dixerit*, *se negasse quod aliquid perdidisset*, *& Pater Leopoldus perstitit*, *quod Clarissimus Dominus van-Espen inter quatuor oculos nunquam negaverit*.

440. Et ipse Pater Leopoldus productus in testem ab ipso Reo, & ab eodem quid ad articulos singulos respondere deberet instructus, similiter respondit *ad Articulum* 387. Provisionalis Intendit: *Quod Clarissimus nunquam sibi responderit* INTER QUATUOR OCULOS, *Librum illum esse suum vel non esse suum*, NISI QUANDO LOQUEBATUR CORAM TESTIBUS.

441. Quid apertius, quam eam cautionem, de loquendo *inter quatuor oculos*, unice adinventam, & sollicite servatam fuisse, ut quidquid *sub quatuor oculis* a Clarissimo diceretur, negari posset, si minus conveniens scopo a Reo intento deprehenderetur?

442. Si enim coram Testibus asserere audebat Clarissimus, nihil a se perditum esse, quidni idem inter quatuor oculos affirmasset?

443. Hinc quoque videbit Magnificentia Vestra, quod in hac sua depositione Pater Leopoldus venerit ad respondendum a Reo instructus, & juxta præscriptam a Reo formam deposuerit.

444. Unde productus ex parte Actoris die prima Aprilis in Informationibus, cum non instructus a Reo deposuit, fatetur quod Clarissimus in primo congressu sibi dixisset, *se nescire*, *quod amisisset pacquetum aut Litteras ad se pertinentia*.

445. Ex ipsa igitur Rei confessione, ac propriis ejus Litteris in judicio recognitis, & non tantum ex indiciis & conjecturis probatum est, Reum misisse dictum Patrem Leopoldum ad Clarissimum Dominum van-Espen, ut ipsum induceret in errorem, & ex ipso habere posset, quo saltem in speciem fictitii Libri Auctor probaretur.

446. Insuper Reum hunc suum Emissarium instruxisse, quibus mediis & fallaciis eum in finem uti deberet.

447. Ex quibus ulterius resultat, quod non tantum ex probis artificialibus, sed etiam directis convictus sit Reus, quod allaboraverit, ut fictitio huic operi fides adstrueretur, ipseque Clarissimus cum aliis suis prætensis conspiratoribus haberetur verus Auctor.

448. Denique habetur veritas Articuli 13. Libelli Gravaminum: *Quod Reus pluribus mediis & occultis machinationibus usus sit*, *ut aliquid expiscari posset*, *quo fucum faceret*, *& nequissimæ fictioni suæ fidem aliquam aut speciem conciliaret*.

449. Præter supra allegata media & fallacias, quibus Reus instruxit Patrem Leopoldum ad fallendum Clarissimum Dominum van-Espen, addidit & sigillum, seu secretum confessionis.

450. Interrogatus enim Articulo 46. *An non miserit Patrem Leopoldum ad Dominum van-Espen*, *ut ageret de Pacqueto de* 13. *Januarii sub prætextu quasi hoc accepisset a quodam pœnitente tempore Jubilæi*, *qui non poterat absolvi nisi facta restitutione?* Respondit: *quod hoc factum fuerit* 16. *Februarii*. Additque, *petitio facienda erat sub secreto tanquam procedente ex Confessione*.

451. Et Articulo 47. interrogatus, *An non sit verum*, *quod Interrogatus dixerit Patri Leopoldo*, *quod illam notitiam haberet ex Confessione*, *illamque eidem communicaverit sub eodem sigillo?* Respondit: *quod dixerit Patri Leopoldo*, *notitiam venire ex pœnitente*, *qui dicebat se confessum fuisse*, *& Confessario dedisse licentiam revelandi*, *dummodo fieret sine suo præjudicio*.

452. Mirum in modum exaggerat hoc secretum Confessionis in supra allegatis Epistolis ad Patrem Leopoldum, ac nominatim in illa, quæ incipit: *Reverende Pater*, *sis forti & sincero animo*, serio monens suum Emissarium, ne loqueretur Clarissi-

rissimo, *nisi sub secreto acceptato per ipsum, & quod non posse ultra loqui, nisi habita licentia, pro qua habenda scriberetur ad personam principalem.*

453. Pœnitens hic indubie erat Petrus Tourteau, qui fingebatur hoc Pacquetum de 13. Januarii surripuisse e granario Clarissimi, & fatetur Reus ad *Articulum* 49. Interrogatoriorum.

454. Sed quandonam Petrus Tourteau dixerat Reo se confessum fuisse surreptionem hujus Pacqueti, aut licentiam dedisse Confessario suo agendi cum Reo de restitutione hujus Pacqueti? Nusquam vel fingitur Petrus illud dixisse.

455. Narrat quidem Reus in sua Depositione de 14. Martii 1707. quomodo Petrus hoc Pacquetum sibi attulerit die 27. Januarii 1707.; sed de facta Confessione, aut facienda restitutione, vel data licentia Confessario, nec verbum occurrit.

456. Manserunt contenta hujus pacqueti, post examen & inventarizationem singulorum apud Reum a dicta die 27. usque ad denuntiationem factam Magnifico Domino Rectori, cum quidem nunquam dicatur Petrus vel verbum locutus de facienda hujus pacqueti restitutione.

457. Dicit quidem Reus ad Articulum 48. Interrogatoriorum: *quod junior Tourteau jam inde a mense Novembris, & forte citius Eximio Patri declaraverat se missum a suo Confessario ad omnia revelanda, prout declaravit sæpius, & inter alia, per Actam coram Notario in Januario.*

458. Quid stultius, quam hinc velle deducere, quod restitutio hujus pacqueti caderet sub secreto Confessionis?

459. Num forsan in Novembri aut citius junior Tourteau confessus fuerat furtum hujus pacqueti, & Confessarius injunxit ejusdem restitutionem? cum furtum, ut Reus narrat demum contigerit die 13. Januarii sequentis.

460. Neque in Acta Notariali de mense Januario per Reum reclamata dicit Petrus, se hoc pacquetum tulisse ad Reum ex ordinatione Confessarii sui, sed id asserit duntaxat de Epistola de 10. Januarii ad Pastorem S. Catharinæ Bruxellis.

461. Mera proinde hæc sunt figmenta per Reum adinventa.

462. At forsan Confessarius accessit Reum, eique hujus pacqueti restitutionem injunxit ex licentia sibi per pœnitentem data, idque sub secreto Confessionis: nihil minus.

463. Certum in primis est, quod nullus Confessarius ad Reum attulerit pacquetum; quia fatetur Reus, quod immediate per Petrum sibi fuerit allatum die 27. Januarii, omniaque ejus contenta apud ipsum manserint: neque ullibi Reus vel verbo indicavit, Confessarium aliquem super restitutione hujus pacqueti secum egisse.

464. Fatetur sæpius quod Reverendus Pater Grauwels sit ille Confessarius, cui pœnitens esset confessus, & cui pœnitens dedisset licentiam de hujus fasciculi restitutione agendi cum Reo: quodque præterea Reus cum P. Leopoldo inivisset hanc computationem, quod Clarissimus respectu dicti fasciculi esset *prima manus*, Tourteau, qui surripuerat, *secunda manus*, *P. Grauwels*, qui acceperat a Petro pœnitente, *tertia manus*, ipse Reus, cui Confessarius de licentia pœnitentis restitutionem injunxerat, *quarta manus*, uti asserit ad Art. 49. Interro. & latius exponit in Responso ulteriori Art. 226. & sequentibus.

465. Sed quandonam Pater Grauwels egit cum Reo de restitutione facienda hujus Pacqueti, quod semper apud Reum manserat, quodque ipse Pater Grauwels dicit se nunquam vidisse, aut notitiam habuisse ante 14. Martii 1707., quando ipsi apud Magnificum Dominum Rectorem fuit ostensum? uti deponit in sua Depositione illa die 14. facta.

466. Ad hæc ipse Pater Grauwels in primo suo congressu cum Reo circa 15. Februarii, quo die Petrus dictum Patrem Confessionis causa accesserat, quæsivit a Reo, an aliquid sciret de *Libro Resolutionum*? Respondit Reus *affirmative*. Cumque Reus dein quæreret a Patre Grauwels, ex quo talem librum haberet? Respondit dictus Pater Grauwels, *se personam nominaturum ei, quando licentiam ad hoc daret*: scilicet pœnitens, uti deponit dictus Pater in sua Depositione de 14. Martii 1707.

467. Hic erat ille Liber Resolutionum, quem prædictus Pater *acceperat* a Petro Ni-

colao Tourteau die 15. Februarii 1707. ratione Confessionis tempore Jubilæi, uti narrat in eadem Depositione.

468. Igitur ex ipso Patre Grauwels intellexerat Reus, quod non haberet licentiam a pœnitente ipsum nominandi.

469. Qua igitur specie sub idem tempus poterat mittere Patrem Leopoldum ad Clarissimum ut ageret de restitutione *pacqueti* sub sigillo seu secreto Confessionis, tanquam originem trahente ex confessione Petri Tourteau facta dicto Patri, qui ob id dicebatur *tertia manus*, qui de licentia pœnitentis egisset cum Reo tanquam *quarta manu*: cum constaret Reo ex propria relatione Confessarii, ipsum nondum habere licentiam loquendi.

470. Unde nec tunc de restitutione facienda vel mentio facta est.

471. Diebus autem *posteris* quando ad Reum redivit dictus P. Grauwels accepta licentia a pœnitente per Actam expeditam die 4. Martii, tunc P. Grauwels *exhibuit Librum Resolutionum Eximio Patri Desirant, & in ipso ut communicaret ceteris ejusdem Facultatis Theologicæ, si placeret*.

472. Intellexit igitur Reus, ad Patrem Grauwels non fuisse per pœnitentem delatum *pacquetum* de 13. Januarii, cui acclusa erant duo impressa, Liber Resolutionum, Formulare de mense Junio, & Epistola sub signatura Z. B. V. E. ad Jacobum Ignatium Krys, & de cujus restitutione egit P. Leopoldus, sed solum Librum Resolutionum.

473. Imo nec P. Grauwels acceperat a Petro Tourteau Librum Resolutionum contentum in prædicto *pacqueto*, scilicet scriptum manu Timmermans pictoris quotizatum sub litt. H., sed Librum Resolutionum scriptum manu propria Petri Tourteau quotizatum sub litt. C., uti ex dicti Patris depositione liquet.

474. Ex his evidens est, omnia de secreto Confessionis tanquam originem trahente ex Confessione Petri Tourteau facta Patri Grauwels esse mera commenta a Reo ad fallendum Clarissimum Dominum & negotium occultandum fabricata & sacrilege impensa.

475. Utque magis elucescat astutia & impudentia ipsius Rei, reflectere dignetur Magnificentia Vestra, quod cum primum dictus Pater accessit Reum, scilicet circa 15. Februarii 1707., interrogaverit Reus dictum Patrem, *an Petrus ei confessus fuerit a duobus & amplius mensibus*, & quod idem Pater responderit, *se debere recolligere memoriam*, uti patet ex *Articulis 62. & 63. Provisionalis Intendit*, per Reum exhibiti, & prædicti Patris ad illos responso.

476. Nonne hinc evidens erat Reo, quod Petrus huic Patri nunquam exhibuisset Epistolam de 10. Januarii ad D. Pastorem S. Catharinæ, aut fasciculum de 13. Januarii, in quibus tam horrenda continebantur? neque Petrum ex ordinatione hujus Confessarii missum fuisse ut super iis ageret cum Reo?

477. Impossibile enim fuisset, si prædicta revera contigissent, ut illa memoriæ tam cito excidissent, & dictus Pater respondisset, *quod memoriam deberet recolligere*.

478. Sed quare Reus non interrogavit dictum Patrem, utrum Petrus non egisset cum ipso tanquam suo Confessario super dicta Epistola de 10. Januarii & fasciculo de 13. Januarii e granario Clarissimi D. van-Espen surrepto, & utrum ipse Petrum ad ipsum misisset tanquam Seniorem Facultatis Sacræ? Cavebat id dicto Patri proponere, utpote scopo suo nequaquam conveniens.

479. Sciebat enim, hunc Patrem mox responsurum fuisse, se nunquam de his audivisse: at cum sciret, dictum Patrem habere plures pœnitentes; nec posse exacte scire, an aliquis a tanto tempore forsan non accessisset ad confessionem, vix dubitabat Reus, quin simile aliquod responsum fuisset accepturus, quo certo sciebat fore ut negotium non panderetur, & interim fucum postea facere posset, se veritatem inquisivisse de Petri ad Confessarium accessu antequam ficta instrumenta attulisset.

480. Sic videmus, Reum, dum media fallendi Clarissimum & umbram veritatis fictitio operi affingendi quærit, una sibi prospicere studuisse, qualiter in casum proditæ fictionis se tueri posset.

481. Videt hinc Magnificentia Vestra, ex propria Rei confessione, & depositione P. Grau-

P. Grauwels (quem Reus in testem produxit) Reum convictum esse, quod secretum seu sigillum Confessionis finxerit, & Patri Leopoldo imposuerit ad fallendum Clarissimum, & fictitio operi etiam hoc sacrilego medio umbram veritatis affingendam, aut præcavendum, ut mediante hoc secreto fictio celaretur, donec ad perfectum foret perducta.

482. Habetur quoque ex prædictis veritas Articuli 14. Libelli Gravaminum, quod *Reus plures personas immiserit, quæ fraudulentis prætextibus, proxime vel remote, aliquid aucuparentur, quod prædicto ejus fini subserviret.*

483. Item *Articuli* 15. dicti libelli; *quod inter fraudulentos istos prætextus fuerit, ipsum sanctissimum Sacramentum Pœnitentiæ.*

484. Quis porro homo sensatus dubitet, esse primarium operis architectum, & promotorem, qui convictus est tot fallacibus & sacrilegis mediis studuisse opus hoc sustinere, & ad finem perducere; præsertim accedentibus tot aliis evidentibus & concludentibus indiciis & argumentis jam deductis & postea deducendis?

485. His indiciis merito annumeratur insulsus, & fictionem legentibus ingerens modus, quo hunc fasciculum cum accluso Libro Resolutionum sibi per Petrum Tourteau allatum narrat Reus.

486. Dicit enim Reus in prima sua depositione de 14. Martii quod Petrus Tourteau dictum fasciculum de 27. Januarii sibi attulerit, ac dein modum, quo idem Petrus in ædibus Clarissimi D. Van-Espen se surripuisse aiebat, exponit.

487. *Observatum est* (ait) *quod Dominus van-Espen die* 13. *Januarii, qua erat feria quinta, post meridiem discesserit Bruxellas versus, & tempore ejus absentiæ sub aliquam vesperam idem Petrus attulit primum Pacquetum, quod dicebat se invenisse in granario Domini van-Espen, & quod didicerat ex schedula quadam, quam invenerat in cubiculo dicti van-Espen, quando aliquis, qui debet Amstelodamum discedere, petet Pacquetum pro Domino Krys, quæretur illud in tali granarii parte.*

488. Eundem interceptionis modum narravit ipse Petrus in Epistola eadem die 14. Martii missa ad Magnificum Dominum Rectorem, ut Actis insereretur, inventarizata sub littera Z., quam sibi a Reo submissam; postmodum fassus est Petrus.

489. Nihil tantopere in suam defensionem urget Reus, quam quod stultus aut mente captus esse debuisset, si negotium tanti momenti, & crimen adeo enorme committere voluisset uni tali Juveni, qualis erat hic Petrus.

490. Sed si Reus nec stultus, nec mente plane captus fuerit, qua specie aut verisimilitudine habere potuit fidem dicto juveni talia referenti, si tamen Petrus revera retulerit & Reus non potius finxerit.

491. Num quis sanæ mentis credere poterat, Clarissimum tam stultum esse, *ut Pacquetum in granario abscondisset*, & eodem tempore permisisset *schedulam in cubiculo* omnibus domesticis expositam, qua locus Pacqueti absconditi ex professo manifestabatur?

492. Nonne hoc modo æque innotescebat domesticis hoc Pacquetum in *granario* absconditum, ac si ipsum palam in cubiculo expositum fuisset?

493. Si contenta in Pacqueto latere volebat domesticos suos, atque inter alios etiam fratrem suum Advocatum, nonne securius illud uni domesticorum committebatur, quam ut modo tam extraordinario inter *trabes granarii* absconderetur, & una per *schedulam palam expositam* omnibus domesticis locus absconditi Pacqueti indicaretur?

494. Quis enim nescit, quam hæc extraordinaria & inusitata hujus Pacqueti occultatio, nata esset excitare domesticorum omnium curiositatem investigandi, quid in hoc Pacqueto tam ridicule occultato contineretur?

495. Quapropter incredibile est, Reum tam astutum Petro hæc tam absurda referenti fidem habiturum fuisse, ipsamque fictionem non palpaturum, nisi ipse in hac fictione complex, & Petri socius fuisset.

496. Unde dubitandum non videtur, quin declaratio dicti Petri facta 26. Martii sincera sit.

497. Ubi interrogatus, utrum dum tulit *hoc pacquetum ad Reum, eidem non narraverit jam dictum modum inventionis?* Respon-

spondit: *Se illud nunquam dixisse Eximio Patri Desirant, sed contra dum interrogatus exponeret Eximio Patri Desirant, quid respondebo, si interroger ubi illud acceperim? Eximius Pater suggessit, ut illo casu hoc responderet.*

498. Et Articulo sequenti interrogatus, *an ergo in sua Declaratione de 14. Martii missa ad Magnificum Dominum ut insereretur Actis, non declaraverit illud ipsum, de quo in Articulo praecedenti?* Respondit: *Se illud quidem potuisse declarasse, sed dictam Declarationem per patrem Interrogati fuisse missam ex parte Eximii Patris Desirant, uti Interrogati pater asserebat, dum illam Declarationem ad Interrogatum ferebat.*

499. Licet autem ridiculus & absonus videretur bis surreptionis modus, quia tamen aliquid inveniendum erat, quo fabula tegeretur, hic modus statim Reo incidit, sufficiensque apparebat, saltem ut animum ipsius Petri anxium & titubantem firmaret: neque forsan tunc ex tempore aptior modus palliandi inventionem & interceptionem hujus fasciculi occurrebat; credebatque, Petrum sibi mansurum fidelem, & modum hunc inventionis tanquam verum constanter allerturum esse.

500. His omnibus addi possunt indicia generalia tum ex parte materiae, quae tractatur, tum Personarum nominatarum, nec non scopi, seu finis hujus fictionis, quae supra adducta sunt, ut probent Petrum Tourteau non esse primarium Architectum Epistolae de 10. Januarii ad Dominum Pastorem Sanctae Catharinae Bruxellis, sed ipsum Reum.

501. Haec enim probant ipsum Reum, non autem Petrum esse primarium Auctorem hujus Libri Congregationum & Resolutionum, idque eo fortius, quod multa facta, quorum hic juvenis notitiam habere non poterat, in hoc Libro occurrant.

502. Reponit Reus, si stilus hujus Libri Resolutionum, nec non frivola plura in his Congregationibus resoluta attendantur, patebit haec nequaquam convenire cum stilo & eruditione & astutia ipsius Rei, & consequenter se non esse hujus Libri Auctorem.

503. Verum non contendit Actor, nec Petrus Tourteau deponit, Reum hunc Librum Resolutionum & Congregationum composuisse, quin & ipse Petrus se Librum composuisse fatetur.

504. Hoc contendit Auctor, & Petrus deponit 26. Martii 1707. quod Reus materiam subministraverit, Auctorque fuerit Petro ut hunc Librum adinstar Libri Actorum Universitatis conficeret.

505. Itaque Petrus, conscio & instigante, materiamque subministrante Reo, Librum suo stilo & modo compilavit, plurаque, quae ipsi occurebant minoris momenti, ad ornatum addidit.

506. Reus autem, qui omnem de fictione hac suspicionem a se amoliri omnibus modis satagebat, facile & stilum rudiorem, & impolitum, nec non etiam quaedam absona minorisque momenti intermisceri permittebat, modo satis ex Libro hoc constaret, de praetensorum Jansenistarum & adversariorum suorum conventiculis, & in illis captis resolutionibus & conceptis formulariis contra Statum & Religionem, quae scopo a Reo intento sufficiebant: scilicet opprimendi praetensos Jansenistas & suos adversarios.

507. Ulterius indubitatum est, Reum etiam sibi praecavere studuisse in casum, quo Petrus, cujus ministerio utebatur, fidem ipsi non servaret, ut seipsum tunc a fictione liberaret, & Petrum omnium Auctorem, saltem in speciem, ostendere posset.

508. Quem in finem sollicite omnes vel minimas minutas, e quibus Petrus Litteras & Librum conficere aut corrigere debebat, ad se retraxit, ut Petro secretum prodenti probae deessent, quibus Reum fuisse primarium Auctorem & Subministratorem probaret.

509. Unde die 28. Martii deponit Nicolaus Tourteau Pater Petri, quod cum circa 12. & 13. ejusdem ferret aliqua scripta vel correcta ad filium suum existentem apud Carmelitas, Reus ipsi *dixerit expresse, quod illae minutae deberent lacerari & comburi, ubi in nitidum essent conscriptae.*

510. Eundem ergo in finem, stilo Petri Librum hunc confectum voluit, atque nonnulla intermisceri facile permisit, quae Pe-

Petrum potius, quam Reum Auctorem indicarent, in casum quo fictio illa in publicum proditet.

511. Eundem in finem Reum fuisse Auctorem, & Instigatorem falsi juramenti dicti Petri Tourteau die 5. Martii, infra capite 6. ostendet Actor.

512. Similiter eum in finem sollicite dari jussit varias Declarationes a Petro Tourteau, puta Actam de 27. Januarii, item de 4. & 14. Martii, quibus Reus se tueri posse sperabat, in casum quo Petrus fidem falleret.

513. Eadem de causa sub finem Februarii ad se evocari jussit Consultissimum Dominum Leunckens, tunc Rectorem Magnificum, ut infra capite 5. ostendetur.

514. Plura alia media eumdem in finem a Reo impensa ex hactenus deductis, & infra deducendis facile advertet Magnificentia Vestra, & Actor sæpius annotavit.

CAPUT QUARTUM.

Convincitur Reus Auctor principalis aliarum litterarum confictarum.

515. Succedit nunc alia actio adversus Reum, quæ in Libello Gravaminum *Articulis* 10. & 11. hoc modo exprimitur: *Quod plures alias Epistolas Reus per eundem Petrum Nicolaum Tourteau confingi curaverit, cum adulterata signatura Domini van-Espen, circa eandem materiam, aliasque, quarum partim originalibus, partim earum copiis usus fuit.*

516. *Quod inter eas quatuor sint minatoria, eo tendentes ut Reus dictum Dominum van-Espen, & Dominum Pastorem S. Catharinæ Bruxellis, aliosque, de quibus in dicta Epistola de* 10. *Januarii* 1707., *horrenda calumnia diffamaret, quasi in vitam dicti Petri Nicolai Tourteau conspirassent, quibus etiam usus est.*

617. Epistolæ, de quibus in prædictis Articulis, in tres classes dividi possunt, quarum prima continet unam de 10. Februarii inscriptam Domino Krys, & signatam Z. B. van-Espen, cum signo aliquo quadrato oblongo [ ], & est ejusdem pene argumenti cum Epistola de 10. Januarii 1707. habetque similiter inclusum Formulare de mense Junio 1706. pene coincidens cum illo Formulario, quod continetur in Epistola prædicta de 10. Januarii 1707.

518. Secunda classis continet Epistolas, in quibus agitur de tollendo e medio dicto Petro N. Tourteau: quia, ut prætexitur, secretum violaverat, & Epistolam prædictam de 10. Februarii cum inclusis, effracta porta in domo Clarissimi Domini van-Espen, interceperat & abstulerat.

519. Et hæ quidem Epistolæ subdividi possent in duo genera, alias minatorias, alias vero conspiratorias, etsi omnino in eundem finem tendentes.

520. Minatoriæ inscribuntur dicto P. N. Tourteau, & signantur *Joannes Nympha*; continentque plures minas dicto Tourteau factas, verbis plane scurrilibus: & consignatæ sunt per Reum 14. Martii 1707. & inventarizatæ sub litteris DD. EE. FF. GG.

521. Conspiratoriæ vero inscribuntur Domino Pastori S. Catharinæ Bruxellis & signantur Z. B. V. E. cum signo eodem quadrato oblongo, & continent machinationes, ut dictus Tourteau vesperi proditorie per immissos sicarios occideretur, & similiter consignatæ & inventarizatæ sunt sub litteris JJ. KK. LL. MM. NN.

522. Tertia classis complures Epistolas continet, quæ merito vocari possent anecdotæ sive arcanæ, cum Reus illas nunquam produxerit.

523. Inscriptæ erant omnes ad diversas personas, quæ in hoc theatro comparent, de iisdem argumentis, de quibus in aliis instrumentis, & actis hujus causæ; & signatæ Z. B. V. E.

524. Sed in hoc ab aliis distinguuntur, quod Reus ad calcem dictarum Epistolarum arcanarum per Tourteau seniorem apponi curaverit attestationem Notarialem, quod quatuor illæ litteræ Z. B. V. E. plane convenirent cum quatuor primis majusculis nominis & cognominis Domini van-Espen.

525. Et quod specialem meretur reflexionem, Reus *distinctis vicibus Epistolas ita complicavit*, ut dictus Tourteau senior *tantummodo posset videre* quatuor illas *præfatas litteras*, uti hæc ultro fatetur Reus

Reus in *Resp. ad Art.* 72. Interrogatoriorum.

526. Rationem autem hujus sollicitæ *complicationis*, per quam tam characterem junioris Tourteau quam contentum Epistolarum seniori Tourteau celabat, allegat, quia *junior Tourteau expresse monuerat, ne Pater illorum aliquid sciret, ne fieret zelotypus, quod ipse filius pro Domino van-Espen scriberet, ubi Pater ante valde multa scripserat pro eodem.*

527. Merum commentum! & confictum rursus mendacium! Si filius tam multa, tamque frequenter in ædibus Domini van-Espen scripsisset, quemadmodum omnes illæ confictæ Litteræ, & Liber Resolutionum præferebant, eratne verisimile id ignorare potuisse Patrem?

528. Præterea si Reus id latere volebat Patrem, quomodo sub idem tempus, ipsum illum Patrem dicti Petri misit ad dictum Dominum van-Espen, ut ab eo inquireret, an verum esset, quod filius suus *tam multa pro ipso scripsisset, ut inde aliquorum imperialium debitor ipsi esset*, uti supra Capite 3. ostensum est.

529. Vera proinde ratio hujus complicationis & occultationis fuit, quod tunc temporis mysterium hoc iniquitatis aperire non vellet dicto Tourteau seniori, qui agnito charactere filii sui, & immanissimo Litterarum contento, facile filium suum monuisset, & a scelere retrahere studuisset: quapropter nec ipsum Patrem de expoliatione Domus Cursoriæ per filium perpetrata monendum censuit.

530. Interrogatus Reus *Art.* 73. ad *quas personas hæ Epistolæ* (arcanæ) *essent inscriptæ*, respondit: *ad personas, de quibus in Acta junioris Tourteau de* 27. *Januarii anno* 1707. & per Reum die 2. Maii consignata.

531. Et rursus interrogatus *Art.* 74. *in quem finem illam attestationem sive Actam habere voluerit*, inter alias rationes hanc allegat: *Ut suo tempore posset dicere, quod illæ Epistolæ ad se latæ fuerint tanquam membrum Facultatis.*

532. Itaque Epistolæ, ad quarum calcem jussit, prævia *complicatione*, per seniorem Tourteau apponi attestationem, quod signatura quatuor Litterarum conveniret cum signatura Domini van-Espen, erant Epistolæ, de quibus in præfata Acta.

533. Inter has autem sunt tres distinctæ Epistolæ, quas in hac Acta recognovit dictus Petrus Tourteau *tanquam a se sub dictamine Domini van-Espen scriptas, quarum tria originalia, cum non fuerint destinata, recognovit coram me* (scilicet Notario conficiente) *tanquam vera originalia*, uti sonat Acta: item plures aliæ sub signatura ejusdem Domini van-Espen scriptæ ad Dominum van den Nesse commemorantur.

534. Nulla autem harum per Reum consignata est, nisi una de 20. Septembris 1706. ad R. P. Ballexo.

535. Interrogatus autem Reus Art. 85. quid fecerit de reliquis? respondit: *Quod servavit ad tempus opportunum, & post detectam fallaciam, perfidiam & perjurium junioris Tourteau tanquam fictas combussit, aut comburi fecit.*

536. Splendidum rursus & enorme mendacium! Nonne post detectam hanc *fallaciam, perfidiam, & perjurium*, detecta quoque erat fictio Epistolæ ad R. P. Ballexo de 20. Septembris in eadem Acta reclamata?

537. Item similiter detecta erat falsitas hujus Actæ sive declarationis, qua junior Tourteau declaraverat, *has fictas Epistolas a se scriptas fuisse sub dictamine D. van-Espen?* Et tamen nec dictam Epistolam, nec Actam Reus post *detectam fallaciam combussit aut comburi fecit*, sed utramque servavit & consignavit.

538. Sed dicet forsan, ideo reliquæ Epistolæ fuerunt combustæ, quod continerent *Monachalia*, quæ hic non veniunt ad rem; uti respondet ad *Art.* 71. Interrogatoriorum.

539. Si continebant *Monachalia*, *nec veniebant hic ad rem*, quomodo ad ipsum tanquam *membrum S. Facultatis* allatæ sunt? Quid Sacræ Facultati cum Monachalibus? Quod tamen in dicta Acta speciatim annotari voluit, quin ut id constaret, *Actam habere voluit*, ut supra ex ipsius Rei responso ad *Art.* 74. notatum est.

540. Et quis, quæso, credat, Reum tam astutum jussisse hanc Notarialem attestationem apponi litteris nihil momentosi,

tosi, sed tantum quædam *Monachalia* continentibus?

541. Imo indubitatum apparet, litteras prædicta atteftatione munitas puncta maximi momenti continuisse, & scopo per Reum intento apparuisse opportuniores; easque hac atteftatione munitas ad Altiores Poteftates fuisse transmissas, quo major auctoritas huic fictitio negotio conciliaretur per hanc appositam atteftationem de conformitate signaturæ Clarissimi Domini van-Espen.

542. Hinc verosimiliter factum est, ut cum litteras hac atteftatione munitas reproducere non posset, finxerit, se eas combussisse, aut comburi fecisse.

543. Denique si hæ litteræ ad Reum tanquam *membrum S. Facultatis* fiunt allatæ, quomodo eas inscia & inconsulta Facultate combussit, aut comburi fecit? Unde & hoc totum esse fictitium, facile videt Magnificentia Vestra.

544. Interim animum advertere dignetur Magnificentia Vestra, ex propria ipsius Rei confessione haberi, quod Reus his fictitiis litteris & instrumentis tanquam propriis usus sit, & de illis disposuerit, alia sibi privative reservando, alia ad *Altiores Poteftates* mittendo aliisque communicando, & alia, si ipsi credendum est, comburendo aut comburi faciendo.

545. At quis homo sensatus credet, Reum hæc attentaturum fuisse, si hæc instrumenta credidisset sincera, & sibi tanquam *membro* sive *Vicedecano* Sacræ Facultatis ad denuntiandum allata?

546. Quantum vero ad litteras secundæ classis, in quibus tractatur de *tollendo Petro Tourteau e medio*, illas apud Reum inventas, & per ipsum in judicio 14. Martii consignatas fuisse constat.

547. Præterea fatetur Reus in suo responso personali ad *Art.* 10. & 11. Libelli Gravaminum, & expressius *Art.* 167. sui responsi, se his litteris usum fuisse, etiam mittendo earum copias ad Altiores Poteftates.

548. Id unum in suam exonerationem ubique reponens, quod in his omnibus egerit *bona fide*, sive quod revera crediderit, litteras has esse veras & sinceras: seque per dictum Petrum Tourteau harum litterarum latorem fuisse deceptum.

549. Quam frivola sint omnia, quibus hæc prætensa bona fides innititur, ostensum est multis, iisque evidentibus argumentis supra capite 2. & 3. deductis: quod ipsum infra ex professo ostendet Actor capite septimo; ex quibus insuper habetur, Reum non tantum neglexisse media, quibus falsitatem facillime detegere potuisset, sed insuper studiose evitasse & occultasse ea omnia, per quæ falsitatem detegi posse, prævidebat, aut timebat.

550. Quæ argumenta ad evertendam prætensam hanc Rei bonam fidem circa Litteras, de quibus nunc agitur, licet abunde sufficere credat Actor, nonnulla tamen specialia circa has Litteras, quæ hanc prætensam bonam fidem evertunt, hic notanda censuit; quibus & evincatur, Reum ita se gerere, quasi his Litteris fidem haberet, non potuisse, nisi ipse fictionis conscius & complex fuisset.

551. In primis in his Litteris scribitur: *Portas domus Clarissimi Domini van-Espen per Petrum Tourteau fuisse effractas; & effractis portis dictum Petrum chartas furto asportasse*, quod in Epistola de 3. Februarii 1707. ad Dominum Pastorem S. Catharinæ, consignata sub litteris NN. ita exprimitur idiomate Flandrico: *Dien fiel, die voor ons geschreven heeft, en wy soo betrout hebben, die heeft de stoutigheyt gehadt, van te derven ten tyde van myn absentie, de deure van myn huys open te breken, ende daer myne Pampieren uyt te nemen ende van onse vrienden*, idest: Iste nebulo, qui pro nobis scripsit, & cui tantum fidimus, eo audaciæ devenit, ut ausus fuerit tempore meæ absentiæ effringere portas domus meæ, & ibidem surripere chartas meas & Amicorum nostrorum.

552. Nonne hæc vel sola circumstantia falsitatem & fictionem Litterarum Reo evidenter probasset, si videre voluisset?

553. Quomodo enim potuisset fieri, ut effringerentur portæ domus Clarissimi Domini van-Espen, atque effractis sic foribus, auferretur notabilis chartarum massa, nec tamen vel minimus rumor de hac effractione per civitatem spargeretur? Credere ne potuit Reus, hæc vera esse, & tamen non audiri ullam a dicto Clarissimo Domino

mino domum reverso, vel in ejus absentia per ejus domesticos, præsertim fratrem Advocatum, querelam contra dictum Petrum fuisse institutam? nec illum ut publicum portarum effractorem denuntiatum? imo nec inter vicinos de hac violenta effractione motum fuisse sermonem?

554. Num forsan credidit Reus, famulum, ancillam, ceterosque dicti Clarissimi domesticos, & vicinos ita fuisse sopori immersos, ut furem hunc portas effringentem, domumque intrantem, & chartis onustum exeuntem nulla ratione perceperint?

555. Hæc & similia nec videre, nec considerare voluit, unius Petri sui in fictione socii attestatione & dictis (si tamen dixerit) contentus.

556. Alioquin quid facilius fuisset Reo, quam per se vel per alium quemcumque sibi notum hujus rei veritatem aut falsitatem detegere?

557. Sane nemo non videt, quam frivolum & nulla specie verisimilitudinis subnixum sit, quod has Litteras miserit ad Altiores Potestates ad detegendam veritatem, uti asserit citato Articulo 167. Respons. ult.

558. Præterea hæ Litteræ plenæ sunt conspirationibus & minis, de tollendo e medio per sicarios ad hoc speciatim conductos dicto Petro Tourteau, & quidem disertis verbis admodum scurrilibus, & execrandis, puta, *Diabolus te auferat, de te actum est. Diabolus te auferet. Te diabolo offerimus uti sacrificium*.

559. Potuisset ne Reo incidere, hæc procedere a Clarissimo Domino van-Espen, nisi ipse fictionis conscius & Auctor extitisset?

560. Hæc a genio dicti Clarissimi tam aliena esse publice notum erat, ut vel ipsum Reum puderet, palam id negare:

561. Interrogatus enim *Art. 76. Qui non viderit has litteras plane alienas esse a genio dicti Clarissimi?* Respondit: *quod nunquam firmiter sibi persuadere potuerit, Clarissimum Dominum van-Espen esse capacem talia perpetrare: & quod fuerit causa, quod retinuerit formidinem de opposito*.

562. Verum simulata & conficta fuit hæc, quam pudor hic extorsit, dubitatio & formido de opposito.

563. Neque enim unquam vel minimam de his aliisque hoc totum negotium concernentibus, dubitationem præ se tulisse; sed omnia tanquam indubitata venditasse & ut talia aliis obtrusisse, testantur fidelissimi ejus amici, quibus præ ceteris hoc negotium communicabat, Doctores Damen, Daelman & Parmentier, nec non Dominus Pauwels Plebanus. Imo, ut ex eorum depositionibus constat, de veritate & sinceritate vel dubitantibus offendebatur, uti plenius Capite 2. Articulis 296, 297. & 298. ostensum est.

564. Ut proinde ea, quæ de dubitatione & formidine de opposito, hic a Reo pudor extorsit, aliis innumeris adinventis mendaciis annumeranda sint.

565. Dicit quidem Reus, quatuor illas litteras minatorias prædictis *scurrilibus* terminis scatentes, non signari litteris *Z. B. V. E.* sed, *Joannes Nympha*.

566. Sed nunquid Petrus Tourteau eas Reo attulit tanquam a Clarissimo Domino, & aliis prætensis junctis conspiratoribus profectas? Nonne in Epistola consignata sub litteris DD. notatum erat: *Datum in Congregatione nostra 28. Januarii 1705.* & in Epistola consignata sub litteris GG. *in Congregatione 14. Februarii?*

567. Hæc non tantum indicabant, a quibus hæ litteræ prodiisse fingerentur, sed & apprime congruebant scopo per Reum intento, nimirum, *Altioribus Potestatibus* (quibus harum litterarum copias misit Reus) persuadendi, vera esse prætensorum conspiratorum conventicula, e quibus sub ignoto nomine hujusmodi litteræ prodirent.

568. Sed ut evidentius adhuc patescat, fictionem harum litterarum non ignorasse Reum, dignetur Magnificentia Vestra attendere, quod inter conspiratorias directas ad Dominum Pastorem S. Catharinæ, de *tollendo e medio dicto Petro Tourteau* occurrant duæ respective de tertia & quinta Febr. 1707.

569. Constat autem ex plurium testimoniis in Informationibus de 15. Martii & postmodum recollectis, quod prædictus Pastor S. Catharinæ hic Lovanii fuerit hospitatus in ædibus dicti Clarissimi a prima Februarii usque ad sextam ejusdem mensis, qua di-

discessit Bruxellas; ita ut ne vel in speciem a quoquam dubitari potuerit, qui hujus Pastoris præsentiæ fuerit conscius, quin hæ litteræ essent fictæ.

570. Porro Reus non ignorabat, dictum Pastorem eo tempore fuisse Lovanii, uti colligitur ex iis, quæ dicit *Art.* 173. sui Responsi ulterioris, nimirum, quod objecerit Petro Tourteau quod *Epistola de octava Februarii signata Z. B. V. E. ad Pastorem S. Catharinæ conquereretur quod dictus Pastor ad anteriores non responderit, quomodo hoc posset consistere, quandoquidem dictus Pastor Lovanii visus esset die sexta Februarii.*

571. Neque dictus Tourteau Pastorem hic Lovanii tunc fuisse negavit, sed aliud plane frivolum profertur, quasi a Tourteau datum responsum, ad sustinendam veritatem dictæ Epistolæ: cui Reus acquiescendo vel ex hoc ipso ostendit, se fictionis conscium fuisse, ut infra Capite 7. *Art.* 772. & sequentibus ostendetur.

572. Ex his perspicuum esse credit Actor, Reum omnium harum litterarum conspiratoriarum & minatoriarum primarium fuisse Auctorem, & fictionis Instigatorem, qui solus illis usus est, tum cum amicis communicando, tum ad *Altiores Potestates* mittendo.

573. Sed neque ostenditur Petrus Nicolaus Tourteau his litteris usus esse, nisi quod eas simpliciter tulerit ad Reum, & ipse illis tanquam propriis pro libitu sit usus: ut proinde evidens appareat, Petrum fictionum harum merum fuisse instrumentum.

574. Quod attinet ad Epistolam de 10. Februarii cum incluso Libro Resolutionum & Formulario, inventarizatam sub littera B. & quæ sola ex omnibus fictis litteris signata est nomine Domini van-Espen ad *longum* cum hoc signo quadro oblongo |______|, hanc ut ceteras confictam esse Reo sciente & instigante, plura argumenta convincunt.

575. In primis ex depositione DD. Damen & Parmentier in sua comparitione de 28. Martii, constat, Reum dixisse, quod *brevi habiturus esset Epistolam, in qua nomen Clarissimi Domini van-Espen haberetur signatum* AD LONGUM.

576. Dein Reus ad *Articulum* 28. interrogatus fatetur, dictum hoc esse *de Epistola de* 10. *Februarii.*

577. Quis hinc non judicaret, Reum, qui ista tam asseveranter dicebat, aut fuisse conscium & securum de fictione, aut prophetiæ dono præditum; ut prædicere posset, talem Epistolam a Domino van-Espen scriptum, & sibi allatum iri?

578. Audire itaque juvat medium, quod inter hæc duo init Reus ad dictum Articulum 28. quo interrogatus, *quandonam receperit pacquetum & litteras de* 10. *Feb.* 1707., *per quem, quis aperuit & quando?* Respondit, quod dictus Tourteau die 10. *vesperi* venerit *ad ipsum dicens, quod illa die pomeridiana viderit in Posteria famulum Clarissimi Domini van-Espen ferentem pacquetum ad Dominum Krys inscriptum, cujus cooperculum fuisset clausum pene azymo, sed tam male ut facillime aperuerit, & elevato digito viderit Epistolam signatam manu Clarissimi Domini van-Espen* AD LONGUM, *& quod statim iterum clauserit: addit quod Posta discesserat, ita ut Epistola illa die destinari non potuisset: item quod paulo post idem famulus redierit & Epistolam repetierit, dicendo quod eam esset relaturus die sequenti.*

579. Lepidum profecto inventum, & viro ad fictiones composito dignum! sed volens vitare charybdim malæ fidei & criminis falsi, incurrit in scyllam spoliationis Cursoris Regii.

580. Si enim vera sint, quæ narrat Reus, manifestum est, quod Epistola hæc, in qua nomen Domini van-Espen esset expressum AD LONGUM, nondum esset tunc, quando hæc narrabat coram dictis Dominis Damen & Parmentier, in manibus ipsius Rei, sed quod *eam brevi habiturus esset.*

581. Præterea certum est, quod nondum tunc eam haberet Petrus Tourteau, sed quod tunc vidisset duntaxat levato cooperculo *Epistolam signatam manu Clarissimi Domini van-Espen ad longum*; ulterius quod paulo post, *famulus Domini van-Espen redierit, & Epistolam repetierit, dicendo quod eam esset relaturus die sequenti,* scilicet ad Postam.

582. Igitur sciebat Reus, Petrum Tourteau eam habere non posse nisi die sequenti, quando famulus Domini van-Espen eam referret ad Postam, & eam ibidem tunc intercipere.

583. Cum ergo Reus tam asseveranter dixerit dictis Dominis, quod hanc Epistolam sic signatam *brevi habiturus esset*, evidens est, quod jam sciret fore, ut apud Postam interciperetur.

584. Hinc & sequitur, Petrum Tourteau eam intercepisse sciente & suadente Reo; quia si Tourteau id proprio motu facere voluisset, æque facile ipsi fuisset eam intercipere prima, quam secunda vice; tantum enim dicere debuerat famulo Domini van-Espen Epistolam repetenti, quod Cursor cum illa jam discessisset.

585. Itaque quocumque se vertat Reus, aut criminis falsi, aut expilationis Cursoris convictus est. Magnificentia Vestra judicabit utrum horum sit verisimilius.

586. Quod enim pro ulteriori justificatione allegat *Articulos* 252. & 253. Responsi ult. quod modus, quo Tourteau Epistolam illam acceperat, non spectet ad spoliationem Cursoris, eo quod diceret, *se accepisse e manu alicujus juvenis ad portam Cursoris quasi per se destinandam*, plane ridiculum est.

587. Quid enim aliud est, se insinuare in domum Cursoris, ibidemque se ostendere familiarem inscribendo litteris *de Louvain*, deinde ad ostium Cursoris stare tanquam positum ad litteras recipiendum, eodem illo titulo litteras recipere, & ad alium deferre?

588. Sed quis sensatus non videt totam hanc narrationem esse meram fabulam, per Reum ad tegendam suam nequitiam adinventam?

589. Hanc fabulam non excogitaverat Reus dum 14. Martii 1707. dictavit *sinceram & fidelem suam relationem*, ubi loquens de fasciculo, cui hæc Epistola de 10. Februarii erat acclusa, simpliciter dicit, pacquetum hoc sibi per Petrum fuisse allatum, *& Petrus dicebat, quod steterit ad ostium Cursoris, & quod quidam juvenis venisset cum illo pacqueto, & quod illud ex ejus manibus accepisset, quasi per se destinandum.*

590. Nulla hic mentio famuli D. van-Espen, qui tamen Petro erat notissimus. Nihil de iterata Epistolæ hujus ad Cursorem relatione, & ejus prius per Petrum facta apertione, & clausura, & visa signatura nominis Domini van-Espen ad longum.

591. Hæc enim omnia excogitavit & finxit Reus, postquam intellexit, intimos suos Amicos Doctores Damen, & Parmentier deposuisse 28. Martii sibi dictum a Reo, quod brevi habiturus esset Epistolam signatam nomine D. van-Espen ad longum.

592. Verisimilior est simplex depositio ipsius P. Tourteau *de 26. Martii*, qui sincere fatetur, *se dictam Epistolam integram scripsisse, & signasse, materiam vero fuisse subministratam ab Eximio Patre Desirant: similiter se superscriptionem scripsisse.*

593. Ulterius declarat, *se pacquetum*, in quo Epistola & alia continebantur, *clausisse, illudque detulisse die 11. Februarii 1707. hora octava mane ad Eximium Patrem Desirant, qui in præsentia Interrogati illud aperuit: quodque præcedenti die Interrogatus, de mandato Eximii P. Desirant, venerit ad Monasterium S. Martini apud eundem P. Desirant, qui petiit ab Interrogato, an dictum pacquetum de 10. Februarii 1707. paratum haberet: respondit quod non, ex eo quod copia Libri Resolutionum necdum esset descripta.*

594. *Desuper vero reposuit dictus Eximius Pater, Rogo ut illud ad me deferas vesperi, sed cum vesperi esset nimis obscurum, Interrogatus detulit illud mane: & quod Interrogatus audiverit, quod Eximius P. Desirant 10. Februarii antequam Epistolam recepisset, diceret Facultati Sacræ, se recepturum Epistolam, & aliquid aliud, & quod illa Epistola foret signata nomine Clarissimi Domini van-Espen ad longum.*

595. Sicuti prædictum Rei responsum, confictionem & fallaciam oculis legentium objicit, ita e contrario hæc simplex P. Tourteau depositio sinceritatem & veracitatem rei gestæ legentibus inspirat: præsertim quod ex post facto veritas notabilis circumstantiæ per dictum Petrum adjectæ, ex depositione Doctorum Damen, & Parmentier probata fuerit, ut supra notatum est, & in reliquis circumstantiis nihil hactenus falsi sit repertum.

596. E contrario responsum ipsius Rei, præterquam quod ipsam fictionem manifeste præferat, continet insuper & circumstantiam notorie falsam, quam & Reus scire poterat, scilicet quod famulus D. van-Espen dixerit, se sequenti die Epistolam rela-

relaturum : cum lippis & tonsoribus notum sit, nunquam duobus diebus immediate sequentibus Cursorem discedere Lovanio Amstelodamum.

597. Ad hæc *ad Art.* 28. Interrogatoriorum respondit, quod ipse *perstiterit in dubio sinceritatis subscriptionis hujus Epistolæ.*

598. Et *ad Art.* 33. rursus persistens in anteriori responso ait, quod *licet ipse dubitaret, tamen alii dicebant se non dubitare* : scilicet prædicti Amici Doctores Damen, Daelman, & Parmentier, & Licentiatus Pauwels Plebanus, quibus hanc Epistolam ostendisse se asserit citato *Articulo* 28.

699. Interrogati hi amici, die 23. & 24. Maii 1707. super sexto articulo, qui erat: *An verum sit, quod idem P. Desirant D. Deponenti dixerit se dubitare de veritate Epistolæ de* 10. *Februarii* 1707. *sed quod D. Deponens responderit, se non dubitare; vel an non sciat, an ei tunc aliquis hoc dixerit?* Responderunt unanimiter, se nunquam vidisse aut potuisse colligere quod P. Desirant dubitaret de veritate Epistolæ.

600. Addit D. Plebanus : quod P. Desirant *e contra semper dixit, se non dubitare de veritate illius Epistolæ.*

601. Similiter D. Damen addidit, quod P. Desirant nunquam dixerit, se dubitare de veritate Epistolæ: *sed e contra ostendit, se persuasum de veritate illius Epistolæ.*

602. Amplius deponit Dominus Daelman, *nunquam Patrem Desirant Domino Deponenti dixisse, se dubitare de veritate, quin e contrario usque ad tempus, quo Tourteau erat apud Carmelitas, Eximius Pater Desirant dixit sæpius Deponenti, se velle esse tam securum de sua salute, quam de veritate Epistolæ.*

603. Quis ad tantam execrationem non exhorrescat? Quis post tam aperta mendacia adhuc fidem habebit iis, quæ narrat Reus? nominatim iis quæ fictionem sui palam ostentant?

604. Restat Acta sive Declaratio, quam sæpe dictus Petrus Tourteau signavit die 27. Januarii 1707. coram Notario van Dormael, & quam Reus consignavit 2. Maii, & quam sæpius in suæ bonæ fidei argumentum adducit.

605. In hac Acta Petrus recognoscit, se plures Epistolas ibidem expressas, ac nominatim famosam illam de 10. Januarii ad Dominum Pastorem S. Catharinæ scripsisse sub dictamine Clarissimi Domini van-Espen, quodque *viderit in ædibus præfati Doctoris, sæpius & occasionaliter Originalem Librum Resolutionum manibus diversorum scriptum, ligatum ligatura Franciea in folio.*

606. Asserit insuper, quod hæc declaret *monitus & requisitus ex parte Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis.*

607. Verum hanc Actam esse pure putum fœtum ipsius Rei; ipsumque fuisse conscium falsitatum in ea contentarum; atque Petrum Tourteau dolose per Reum ad signandum inductum esse, præter depositionem ipsius Petri, plures tum Rei confessiones, tum Notarii van Dormael depositiones aliæque circumstantiæ evincunt.

608. In primis habetur ex confessione Rei ad *Articulum* 74. Interrogatoriorum, quod *Reus hanc Actam sive Declarationem a Petro habere voluerit.*

609. Interrogatus enim *in quem finem illam attestationem habere voluerit?* Respondit : *partim ut probaret constantiam junioris Tourteau, partim ut satisfaceret iis, quæ a se fuerant requisita, partim denique ut suo tempore posset dicere, quod illæ Epistolæ ad se latæ fuerint, tanquam membrum S. Facultatis.*

610. Itaque, si vera dicat Reus, habetur quod Petrum hanc Actam sive Declarationem dederit ad requisitionem Rei.

611. Ulterius constat ex *Interrogat.* 71. provisionalis Intendit per Reum proposito Notario van Dormael, & hujus ad illud responso die 20. Julii, quod ipsi Notario impositum fuerit *secretum, propterea se testes non adhibuisse, nec Actam Notarialem fecisse, sed mere fecisse Actam sub secreto naturali*; quin & ex Interrogatorio colligitur, ideo nec *servatam minutam.*

612. Quæ omnia plane redolent genium Rei, & modum, quem in toto hoc horrendo negotio constanter tenuit, omnia scilicet sub *secreto naturali* vel etiam sacramentali communicandi : ita ut deponat Eximius Dominus Daelman per Reum productus ad *Articulum* 81. provisionalis Intendit, quod Reus de hoc negotio cum *amicis loquens, nun-*

nunquam diceret, quid adhuc vellet facere, sed dicebat illa debere sibi occulta manere.

613. Neque sane verisimile est, quod Notarius van Dormael ad instantiam *Petri Tourteau* voluisset in Acta, quam in qualitate Notarii conficiebat, omittere testes, minutamque contra officium Notarii a se dimittere: sed quod ad hoc induci se permiserit per Reum, cui, ratione accepti Bedellatus, erat obstrictus.

614. Præterea ex depositione dicti Notarii die 7. Julii constat, quod ipse haoc Declarationem non exceperit, dictante Petro Tourteau, sed dictam Actam conscripserit, *ex minuta aliqua jam modo confecta.*

615. Et quod notandum est, *ipsi oblata in quarterio Patris Desirant.* Si hæc minuta ipsi per Petrum Tourteau fuisset oblata, aut ex ipsa minuta Petrus aliquid dictasset, non est dubium, quin Bedellus Reo obstrictus illud in sua depositione taciturus non fuisset: nec ad Articulum 70., ex parte Rei in provisionali Intendit propositum, qui erat: *quod exceperit depositionem Petri Tourteau multa dictantis, & liberrime signantis*, simpliciter respondisset, *se excepisse depositionem a Petro N. Tourteau signatam*, nulla omnino facta mentione *dictaminis*, quod sane non omisisset, si veraciter deponere potuisset.

616. Hæc ostendunt, Petrum in hac Acta nullas nisi signantis partes habuisse.

617. Si insuper ad contenta hujus Actæ attendatur, patebit, quod Reus non solum hujus Actæ conficiendæ directionem habuerit, sed etiam quod hujus Actæ falsitatem noverit.

618. In primis enim deponit Petrus Tourteau in hac Acta, quod tres Epistolas Originales respective de 20. Septembris, & 16. & 18. Decembris sub dictamine Clarissimi Domini van-Espen a se scriptas coram ipso Notario, *tanquam vera Originalia recognoverit.*

619. Quomodo possibile est, Reum credere potuisse, Petrum omnes istas Epistolas *Originales* tanti momenti potuisse e cubiculo dicti Clarissimi surripere, & dictum Clarissimum dictæ surreptionis tandem non fuisse conscium? & Petro sua secreta semper committere perrexisse, ut litteræ deinceps per Petrum ad Reum allatæ testabantur?

620. Ad hæc dicitur in Acta, quod Petrus hanc declarationem faciat, *monitus & requisitus ex parte Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis.*

621. Deponit autem dictus Notarius van Dormael, in sua depositione de 7. Julii, se *in confectione dictæ Actæ neminem vidisse ex parte dicti Domini Archiepiscopi nec aliquid ex parte ejusdem.*

622. Quam speciem habet, quod Reus, ad cujus requisitionem, & in cujus quarterio hæc Acta conficiebatur, quæsiturus non fuisset a Petro, unde de hac requisitione sibi constaret, ubi & quando ipsum ad dandam hanc declarationem requisivisset D. Archiepiscopus.

623. Quid erat facilius ipsi Reo, quam ex ipso D. Archiepiscopo ejusve Domesticis, quibus erat familiaris, scire quid esset de hac monitione & requisitione?

624. At Reus hujus falsitatis conscius, cavebat hac de re dictis Dominis loqui: imo ne quidem Domino van Susteren Vicario Generali ipsius Archiepiscopi de hac depositione locutus legitur, quando die 11. Februarii, sive feria 6. primæ hebdomadæ Jubilæi novissimi ipsum Reum super hoc negotio fictitio accessit, de quo accessu agitur supra Capite 3. & infra Cap. 8.

625. Præterea si Reus credidit, quod Petrus hanc declarationem daret, *monitus & requisitus a Domino Archiepiscopo*, poteratne ignorare, declarationem hanc saltem per copiam authenticam, communicandam esse Domino Archiepiscopo, ad cujus requisitionem facta dicebatur?

626. Qua ergo specie tam sollicite, tantaque cautela secretum servari a Notario voluisset?

627. Quomodo etiam originalem Actam ad requisitionem D. Archiepiscopi factam sibi soli retinuisset, ut ne quidem minuta apud Notarium permitteretur?

628. Denique interrogatus *Art.* 47. Interrogatoriorum: *in quem finem illam attestationem habere voluerit*, si revera credidisset eam a Petro *ad requisitionem* Domini Archiepiscopi datam, respondisset indubie, se hanc declarationem non postulasse, sed Petrum monitum & requisitum

ex

ex parte Domini Archiepiscopi eam dedisse.

629. Sed cum sibi esset conscius, hanc Actam a se fabricatam, & expetitam, ipsumque D. Archiepiscopum nullas partes in hac confectione habuisse, hæc fictio ipsi personaliter & ex tempore respondenti tunc non incidit, sed ex tempore confessus est, eam se *voluisse habere*, fingens ex tempore rationes aliquas, ob quas eam habere voluisset.

630. Quæ omnia dubitari non sinunt, quin sincera sit depositio Petri Tourteau de 15. Julii, *se non fuisse requisitum per Illustrissimum Dominum Archiepiscopum ad deponendum, prout in dicta Acta, aut per aliquem ex ejus parte nisi per Patrem Desirant, qui dictam Actam cum Notario van Dormael confecit, & dictavit, eaque confecta vocatus fuit ad audiendam prælecturam, & eandem signandam, quam prædictus Pater Desirant & Notarius Interrogato prælegit submissa voce, & signandam obtulit, & signavit.*

631. Exponit deinde Petrus, quod Reus ipsum ad signandum moverit *sub affirmatione quod dicta Acta lucem non videret; sed solummodo inserviret ad movendum Illustrissimum Dominum Archiepiscopum, ut facilius se impenderet ad obtinendum mandatum de infringendis & invadendis ædibus Jansenistarum ad ibidem reperienda ipsorum Scripta, Resolutiones & cetera, quæ asserebat apud dictos Jansenistas reperiri.*

632. Maligna Rei vafrities & astutia! omnibus imponebat silentium, omnibus volebat celare mysteria, sibi soli usu omnium reservato.

633. Actam hanc omnibus volebat occultam manere, nec lucem visuram affirmabat, scilicet quousque id ipsi, apud quem Acta remanebat, videretur:

634. Quod enim Acta hac aliquando uti intenderit, & aliis eam ostendere, ipsemet fatetur in Resp. ad dictum Art. 64. Interrogatoriorum, allegans inter alias rationes, ob quas hanc Declarationem sive Actam habere voluerit, *ut suo tempore posset docere, quod illæ litteræ ad se latæ fuerint; tanquam membrum Facultatis.*

635. Non poterat autem id docere, nisi Acta hæc prodiret in lucem, & aliis exhiberetur.

636. Nec dubium est, quin Reus per hanc aliasve Actas & Declarationes, a Petro Tourteau astutiam & vafritiem Rei non penetrante exortas, voluerit sibi præcavere casu quo Petrus fidem non servaret, & mysterium iniquitatis revelaret.

637. Quod additur in depositione Petri, sibi a Reo dictum, de *movendo Archiepiscopo*, hoc incauto & minus perspicaci juveni imponere potuit Reus; sed nihil minus in animo habuisse ex ante dictis constat, & cavebat communicare D. Archiepiscopo eo quod sciret hinc certo revelandum iri latens mysterium.

638. Sed satis verisimile est, copias hujus Actæ missas ad alias *Altiores Potestates*, quas sciebat non tam probe veritatem hujus Actæ contra prætensos Jansenistas examinaturas, & apud quas nomen D. Archiepiscopi multum valere præsertim in materia Jansenismi probe sciebat.

CAPUT QUINTUM.

Ostenditur Reum esse primarium Auctorem Interceptionis Litterarum e domo Cursoris Regii.

639. Hactenus argumentis evidentibus ac præcipue ipsius Rei confessione & depositione testium omni exceptione majorum probatum esse credit Actor, Reum esse primarium Auctorem & Architectum famosæ Epistolæ de 10. Januarii ad Dominum Pastorem S. Catharinæ Bruxellis, & horrendi Formularii eidem acclusi, nec non fictitii Libri Congregationum & Resolutionum, & aliarum Litterarum fictitiarum.

640. Deducta quoque sunt mendacia & fraudes, quin & sacrilegia, quibus Reus est usus, ut scelerato huic & fictitio commento aliquam in perniciem innocentium conciliaret auctoritatem, & Superioribus Potestatibus fucum faceret.

641. Hoc autem Capite probabit Actor, Reum fuisse & censendum esse primarium auctorem sive instigatorem interceptionis litterarum e domo publici Cursoris.

642. Constat in primis, quod hic Lovanii e domo Cursoria malis artibus interceptæ sint litteræ Henrici Grasper scriptæ Amstelodamum: hoc enim & Reus fatetur.

643. Con-

643. Constat quoque, quis hujus interceptionis sive spolii fuerit instrumentum, sive quis has litteras realiter interceperit, & abstulerit; hoc enim fatetur Petrus Tourteau, qui super hoc Clementiam Magnificentiæ Vestræ implorat.

644. Illud unice hic quæritur, an Reus primarius hujus spolii Auctor & instigator fuerit, dictus vero Tourteau merum fuerit instrumentum, a Reo ad id permotum & impensum.

645. Et quidem ad *Art.* 17. Libelli Gravaminum, sive ab *Articulo* 237. sui Responsi ulterioris usque ad *Articulum* 285. Reus aperte & expresse fatetur, quod litteras pluribus distinctis vicibus Petrus Tourteau in domo Cursoria interceptas, tot distinctis vicibus ad se ut tales attulerit, quodque ipse Reus eas penes se retinuerit, & legerit.

646. Et in suo personali Responso ad dictum *Art.* 17. Libelli Gravaminum, qui erat: *Quod Reus litteras aliquas pluribus* DISTINCTIS VICIBUS *interceptas, tot distinctis vicibus ab eodem Tourteau ad se ut* TALES *allatas acceperit, & acceptaverit, notanter Henrici Grasper*, Respondet: *Transeat in bonum finem.*

647. Id vero vel solum fundandæ intentioni Actoris sufficit, cum hinc manifestissime resultet, Reum ad minus esse receptatorem spoliationis domus Cursoriæ: ita ut vel ex hoc capite iisdem pœnis, quibus ipse principalis spoliator, esset subiiciendus.

648. Idque ita cautum est jure scripto Romanorum *in l.* 1. *ff. De receptat. & l.* 1. *Cod. De vi publica*, cui & conformes esse mores nostros testatur Zypæus in *Not. Juris Belg. tit. De furtis num.* 8.

649. Verum prætendit Actor, quod Reus non tantum sit receptator, sed primarius hujus spolii Auctor, & instigator, & ut talis puniendus sit.

650. Receptator enim dicitur, qui res furtivas celat, & abscondit, aut etiam easdem a furibus emit, vilitate pretii allectus: qui vero alium emittit ut aliena surripiat, res furtivas ad se deferat, in commodum & usum emittentis cessuras, ille non receptator, sed primarius Auctor furti, sive fur per alienas manus dicendus est, eoque nocentior, quod & proprii, & alieni sceleris Auctor sit.

651. In casu autem præsenti, talis aliquis principalis Auctor fuisse debet: quandoquidem nullus hujus spolii appareat usus, quem dictus Tourteau fecisset, aut intendisset, nisi illas surreptas ad Reum deferre, ob quod solum, nullus se tanto periculo exponere solet.

652. Nec enim hactenus probatum est, immo nec Reus asseruit, quod Petrus Tourteau harum litterarum interceptarum ullum usum fecerit, quam eas simpliciter ad Reum adferre.

653. Unde necessarium fuit, ut spe aliqua lucri, aut commodi temporalis incitatus fuerit, quod non nisi ex parte Rei fieri potuit.

654. Reus enim solus est, ad quem omnia adferebantur, & in cujus commodum omnia cedebant, & cujus fini omnia subserviebant, uti supra Capite primo ostensum est.

655. Ipse est, qui interceptis his litteris usus est, ut concordantiam insulsissimam, & nequissimam conficeret inter dictas litteras & Librum Congregationum, ut inde fictitio huic libro speciem aliquam conciliaret, quam concordantiam etiam exhibuit cum suo responso, *sub num.* 1. & *Articulo* 5. dicti responsi fatetur, se eam variis ostendisse.

656. Ipse est, qui earum copias in suum usum fieri curavit. In personali enim responso ad *Art.* 19. Libelli Gravaminum; qui erat: *Quod Reus omnes* (dictas litteras) *legerit, & copias authenticas earumdem fieri curaverit, quibus ad fines, quos voluit, usus est*, Respondit simpliciter: *Nunquam ad malos fines.*

657. Ipse est, qui earum copias ad Altiores Potestates misit, uti fatetur ad *Art.* 20. Libelli Gravaminum, quo dicebatur: *Quod earum copias clancularie transmiserit ad Altiores Potestates, nominatim Illustrissimos Dominos Internuntium & Archiepiscopum Mechliniensem, eosque circumvenerit*, Respondit: *Semper egit bona fide.*

658. Denique ipse Reus est, qui easdem litteras clandestine denuntiavit, per ignotos eas destinando Magnificentiæ Vestræ, in tertio fasciculo litterarum majori acclusо, ubi continentur sub titulo & inscriptione,

ne, *Secreta denuntiatio contra D. Grasper pro confirmanda veritate*: qui titulus finem ipsi Reo propositum sufficienter ostendit, nimirum fictitium opus adjuvandi, ut adversarios suos hac falsa accusatione aliquo colore veritatis adumbrata opprimeret.

659. Cum enim ipse fateatur, *Art.* 59. *Interrogatoriorum*: quod *superscriptio majoris pacqueti, item denuntiationes vel aliæ superscriptiones in eo contentæ, tam pro detegenda, quam pro confirmanda veritate sint scriptæ manu Patris d'Herbe amanuensis sui, & quidem de consensu ipsius Rei*, ipse Reus hujus clandestinæ denuntiationis præsumendus est Auctor.

660. Multa quidem garrit Reus ad Articulum 60. Interrogatoriorum, ut denuntiationem in alium derivet; sed tantum legi debent, ut eorum omnium impertinentia & fabricatio patescat: tandemque dicit, *quod dictavit propositos titulos pro duobus pacquetis*.

661. *Ponens Titulos juxta intentionem Sacræ Facultatis, ad detegendam veritatem, nimirum fictionis vel factionis*.

662. Si juxta intentionem *Sacræ Facultatis* dictaverit hos Titulos, ad detegendam veritatem, ergo juxta intentionem *Sacræ Facultatis* denuntiatio erat facienda: Quandoquidem ipse Titulus, *Secreta denuntiatio* id præferret: adeoque vel hinc manifeste evincitur, Reum dictasse hanc Inscriptionem cum intentione, ut secreta denuntiatio fieret.

663. Sed falsum est, quod hi Tituli prædictis pacqueris juxta intentionem *Sacræ Facultatis* inscripti sint, uti constat ex depositionibus Doctorum dictæ Facultatis de 23. & 24. Maii ad Art. 13. qui erat: *An Tituli pacquetorum inclusorum in majori pacqueto continentes denuntiationem, facti sint de scitu & juxta intentionem Sacræ Facultatis?* Responderunt *negative*.

664. Magisque se explicans Eximius Dominus Parmentier, respondit: *se nunquam vidisse illos Titulos nisi in Cubiculo Magnifici Domini Rectoris, post denuntiationem factam, nec esse factos de intentione aut scitu Sacræ Facultatis, neque ipsius Deponentis*.

665. En quæ mendacia comminiscatur Reus, ipsique Sacræ Facultati quam splendide imponat, ut invidiam subdolæ & secretæ hujus denuntiationis a se amoveat, & approbatione Sacræ Facultatis adumbret.

666. Hinc & intelliget Magnificentia Vestra, quæ fides Reo in hac confusa & indigesta narratione habenda sit, præsertim quia omnium narratorum fides a sola ipsius Rei fide tot falsitatibus & apertis mendaciis labefactata dependet.

667. Sive igitur usum hujus spolii sive emolumentum ex eo proveniens attendamus, Reus ipse principalis Auctor spolii habendus est; quandoquidem ipsum litterarum interceptarum omnem usum habuisse, iisdemque ad suos fines in suum commodum re vera usum fuisse constet.

668. Si insuper Magnificentia Vestra dignetur attendere, quas excusationes Reus obtrudat, quibus se a spolio hoc eximere studet, vel ex his manifestum erit, ipsum non tantum Litterarum interceptarum receptatorem, sed re vera principalem Auctorem & Instigatorem hujus nefandi & nequissimi spolii esse.

669. Admittit itaque Reus ad Art. 86. & 87. Interrogatoriorum, quod nunquam monuerit Magistrum rei cursoriæ, nec Patrem dicti Petri Tourteau, hunc ut filio suo invigilaret, quem actiones ejusmodi facile ad patibulum deducerent, illum vero ut & sibi & publico a talibus caveret.

670. Negat tamen se hoc suo modo agendi aluisse crimen spolii, Litteras sic interceptas continuo e manibus Petri spoliatoris recipiendo, & penes se retinendo, quia nimirum, ut ipse ait, *formale criminis* aberat.

671. Nullum enim, ut Reus putat, crimen est apud Cursorem Litteras intercipere, ubi intervenit auctoritas Superioris informati, *quod in illis aliquid contineatur contra Majestatem, cui subsumus*, uti loquitur in Responsione ad Art. 85. Interrogatoriorum.

672. Tourteau vero, si Reo credamus, illi retulerat, se Litteras, de quibus quæstio, *intercepisse de scitu & consensu Magnifici Domini Rectoris, quem offerebat ad Reum adducere*.

673. Dicit vero ulterius ad eundem Articu-

ticulum, quod *statim miserit Petrum Nicolaum Tourteau ad Magnificum Dominum, quatenus Magnificus Dominus dignaretur ad Reum venire*.

674. Idque bis factum esse debuit, cum hoc expresse dicat *ad Articulum 86.*

675. Hæc summa est præcipuæ hujus excusationis; sed in qua sunt tot absurditates, ut Actor fere nesciat unde refutationem earum inchoare.

676. In primis itaque præjudicii loco sit, quod ipsemet Reus alleget, quod ad quamlibet vicem juvenem increpaverit: si autem, quæ dicit, vera esse & sufficere putabat, quid erat quod illum increparet?

677. Si vero allegata non subsistere aut non sufficere putabat, ita ut increpationem mereretur, jam *malæ fidei*, & manifesti flagitii tenetur Reus, qui crimen juvenis semper aluit, Litteras e manibus ejus dolose & scienter recipiendo, quod si non fecisset, non erat cur interciperet, cum illarum ille nullum usum fecerit, quam illas ad Reum deferre, uti supra notatum est.

678. Quod ad rationem attinet per quam interceptio, de qua modo quæstio, justificari possit, non adfert Reus aliam rationem a Tourteau esse allegatam cur Litteras interceperit, quam quod *omni modo debebat quærere instrumenta defensionis suæ ad verificandas Litteras anteriores, & Librum Resolutionum*, ita Art. 28. suæ *Responsionis ulterioris*.

679. Præterquam quod Reus scire debebat, quod ratio hæc non sufficeret; satis notum est, quod Rector propterea non permisisset spoliare Cursorem.

680. Imo ad *Articulum* 54. dicit, quod ad hoc permittendum *Superior debeat esse informatus*, quod in illis aliquid contineatur *contra Majestatem, cui subsumus*. Qua specie poterat Reus cogitare quod Rector de eo esset *informatus* circa Litteras, de quibus est quæstio, eatenus ut causa cognita eam interceptionem permitteret?

681. Ulterius quod ad personam Superioris istius attinet, Reus qui est Professor Politicus, scire debebat quod Rectori nullum jus aut jurisdictio competat in Cursores aut rem Cursoriam, utpote spectantem ad Dominia seu sacrum Patrimonium Principis: ita ut nulla esset verisimilitudo quod Rector illi se immiscere voluisset.

682. Quod si aliqua Rectori in Cursores esset superioritas, uti est in Nuntios Academicos Epistolas Academicorum deferentes, Rector legitime informatus, indubie tulisset decretum & cum eodem misisset Actorem vel aliquem ex apparitoribus, qui vigore ejusdem manus Epistolis injiceret, easque in judicium deferret, nequaquam vero immisisset juvenem, qui malis artibus illas surriperet.

683. Imo si per impossibile vel potius per absurdum Rector juvenem aliquem immittere voluisset, qui modo prædicto Litteras surriperet, certe ad Reum surreptas recto tramite nullo modo misisset, sed a se deferri curasset, ipse examinasset, & si consilio alicujus uti voluisset, Litteras eidem communicasset.

684. Si igitur Petrus dixerit, se de scitu & licentia Domini Rectoris litteras intercepisse, indubie debebat Reus ipsum cum litteris ad Rectorem mittere, ut hic Litteras, quas interceptas volebat, examinaret, & quid de iis agendum esset, statueret.

685. Sed nihil minus fecit; nam Litteras omnes legit, & penes se retinuit, amicis suis ostendit, plures copias fieri curavit, ad Altiores Potestates (quas contra prætensos conspiratores prævenire volebat) transmisit, ut ubique fatetur, nominatim ad *Art.* 83. Interrogatoriorum & in Responso personali ad Articulos gravaminum supra annotatos.

686. Ad Magnificum vero Dominum non misit nisi postquam res in motu erat, & id quidem vesperi per duos ignotos, superscriptione apposita, charactere insolito, tacendo quod interceptæ forent in domo Cursoris, totumque adornatum erat unice, ut calumniam & perjurium, in quæ miserum juvenem præcipitaverat, adjuvaret, uti ex Informationibus de 9. Martii constat.

687. Dicit quidem Reus, quod semel & iterum miserit ipsum Tourteau ad Magnificum Dominum quatenus ad se venire dignaretur, idque, uti prætendit & persuadere conatur, ut ex ipso Rectore intelligeret, num de ejus scitu & licentia litte-

litteræ apud Cursorem per Tourteau essent interceptæ.

688. Sed quis non judicabit, virum prudentem, & ab omni delirio remotum, qualis vult haberi, velle decipi, dum tali medio utitur, & eo contentus est in re omnium maximi momenti?

689. Quid enim magis ridiculum, quam Juvenem, cui prætendit se diffidere, in propria causa mittere ad testem talem, qualis est Magnificus Dominus Rector, adducendum, & Juveni reverso credere absque ullo ulteriori examine, præsertim attento quod idem Magnificus, uti Tourteau prætenditur retulisse, prima vice non venerat?

690. Quod si exire verebatur Reus, nec poterat Rectorem convenire, saltem scripto cum eo agere poterat, ut quid de rei veritate esset ab eo intelligeret.

691. Imo si forte rem scripto confidere non auderet, aut non vellet, habebat fidum suum ministrum & amanuensem P. Franciscum d'Herbe, qui totius mysterii conscius fuit, ut nihil eum celare debuisset.

692. Quandoquidem ipsemet Reus exhibuerit Actam cum Responsione ulteriore sub *Num.* 14. in qua sub litt. B. intelligitur, quod dictus Pater præsens fuerit, dum Tourteau litteras interceptas ad Reum deferebat, & idem fere deposuit a Reo productus in comparitione sua de 3. Augusti idem R. P. d'Herbe.

693. Quod autem Reus certo sciverit, verum non esse, Magnificum Dominum Rectorem ad hanc interceptionem concurrisse, nec ratione illa, si a Petro Tourteau fuerit allata, permotum esse ad has litteras recipiendas.

694. Hinc evidens est, quod etiam postquam Reus ex ipsomet Rectore intellexit, se hujus spolii esse plane ignarum, non tamen destiterit alias rursus de novo interceptas recipere.

695. Constat enim, in mense Febr. 1707. Rectorem Academicum fuisse Consultissimum Dominum Lunckens, modo in hac causa moderni Rectoris Assessorem.

696. Præterea ex interrogatoriis ex parte Rei dicto Consultissimo proponendis habetur, Reum fateri, quod hic Consultissimus existens Rector ad Reum venerit 23. Februar. accersitus per ipsum Petrum N. Tourteau inter quartam & quintam, ut habet *Art.* 320. provisionalis Intendit.

697. Ulterius ex Articulo 340. & 451. habetur, quod ipse Rector tunc dixerit Reo, se nihil de spoliatione scire aut audivisse.

698. Ergo tunc saltem noverat Reus, interceptionem non esse factam de *licentia & scitu* Magnifici Rectoris.

699. Ad hæc dicit diserte Reus *Art.* 279. suæ *Responsionis ulterioris*: tertium Fasciculum Litterarum Henrici Grasper a Petro sibi allatum esse *die* 23. *vesperi*.

700. Cum igitur inter *quartam & quintam* a Domino Rectore intellexisset Petrum falso dixisse, interceptionem factam esse conscio Rectore, & nihilominus *eodem die vesperi* dictum tertium Fasciculum e domo Cursoris per Petrum surreptum, sibi allatum acceptaverit & penes se retinuerit, & usus sit, evidens est, omnia quæ in sui excusationem de *licentia Domini Rectoris* adduxit Reus, esse mera mendacia a Reo, ut aliquid in suam excusationem dixisse videretur, ficta & excogitata.

701. Præterea si Petrus dixerat Reo, se de *licentia & scitu Rectoris* intercepisse Litteras e domo Cursoris, volebatque Reus per Dominum Rectorem de veritate hujus asserti instrui, quare id non aperte & dilucide Rectori aperuit, dicendo Petrum in justificationem suæ spoliationis auctoritatem Rectoralem inclamare; & quare totum negotium ipsi Rectori non aperuit?

702. Quare a Domino Rectore, priusquam de hoc negotio loqueretur, *requisivit secretum naturale?* uti habet Art. 321. Provisionalis Intendit.

703. Si in suæ expoliationis excusationem Petrus licentiam Rectoris allegabat, certe impertinens erat petere secretum naturale a Rectore, ut veritas haberetur.

704. At omnia volebat Reus sub *secreto*, ne alioquin vel ex inquisitione & interrogatione instrumentum fictitii hujus negotii Petrus Tourteau innotesceret, & sic tota hæc horrenda fabula detegeretur.

705. Denique cur Petrum tanquam furem & expilatorem domus Cursoriæ a se non repulit, saltem postquam a Rectore

intellexit, Petrum falso asseruisse *de licentia & scitu* Rectoris interceptionem litterarum a se factam, sed e contrario apud se retinuit, fovit, quin & ipsius adhuc opera usus est, uti ex Actis ipsis probatur?

706. Quare non mox, ut a Rectore falsitatem intellexit, ipsas interceptas litteras a se dimisit, & Rectori tradidit, Petrumque super hoc nefando crimine interrogandum & puniendum Rectori denuntiavit? Sed a 23. Februarii, quo Rectori locutus fuit, usque ad 8. Martii, qua die occulta denuntiatio (de qua supra) contigit, apud se retinuit?

707. Nequaquam proinde Reus evocavit ad se Rectorem, ut ipsi sincere totum hoc negotium communicaret, atque ex ipso veritatem intelligeret; sed astute Rectorem evocavit, & obscure & sub secreto quædam dixit, ut detecta fictione posset dicere, se Rectori communicasse, & ita, quam inclamat, bonam suam fidem vel in speciem asserere : quem in finem plures similes cautiones adhibuit, uti infra Cap. 7. ostenditur.

708. Allegat ulterius Reus, quod schedulam cum adulterata Rei signatura, per quam Tourteau aliquando Epistolam quamdam apud Cursorem interceperat, nunquam a Magistro Cursorum repetiverit, & desuper Petrum Scheybels Magistrum Cursorum produxit & examinari voluit.

709. Sed quid per hoc intendat, percipere Actor non valet. Velletne forte inde inferre, quod nescíverit, litteras ad se delatas a Tourteau apud Cursorem interceptas fuisse? sed hoc inde nequaquam sequitur, imo contrarium clarissime admisit Reus, & in admissione constanter perseveravit, & circumstantias plures allegavit, & conformes sunt depositiones P. Francisci d'Herbe.

710. An forte vult inde inferre, nescivisse se, interceptas fuisse litteras a Tourteau mediante *adulterato Rei chirographo*? Sed quid hoc ad rem præsentem? Cum id certe constet, Reum scivisse quod (quocumque tandem modo) omnino tamen fuerint interceptæ apud Cursorem.

711. Sed nec ulla ratione inde sequitur; quandoquidem Reus optime sciret, Chirographum illud a se nec scriptum fuisse nec subscriptum, sic ut inde nihil ei foret timendum.

712. Imo plurimum Rei intererat de schedula illa nullam mentionem facere: ne Magistro Cursorum interceptio innotesceret, & ne suspicionem illi præberet, se esse interceptionis conscium.

713. Deinde proderat Reo schedula apud Cursorem delitescens, ut dictum Tourteau sibi obnoxium haberet, dum sciret qualia negotia ei facessere posset ratione talis falsitatis: quin si Tourteau animo mutaretur, & Reum proderet, habebat Reus instrumentum, quo fidem ejus hoc falso instrumento sub falsificata signatura abrogaret.

714. Ex omnibus his verissimis convincitur Art. 16. Libelli Gravaminum, *Quod Reus in eundem finem*, scilicet ut aliquid expiscari posset quo fucum faceret, & nequissimæ suæ fictioni fidem aliquam vel speciem conciliaret, *nec a Cursoribus publicis abstinuerit, sed dictum Tourteau instituerit ad intercipiendas Litteras in domo Cursoris hic Lovanii.*

715. Advertere dignetur Magnificentia Vestra, quod hæ Litteræ omnes ex domo Cursoris malis artibus interceptæ, cum essent clausæ, ad Magnificentiam Vestram allatæ sint apertæ.

716. Ulterius quod hæ Litteræ fasciculo majori sic jam apertæ inclusæ, immediate fuerint allatæ ex quarterio ipsius Rei, ubi & fasciculo fuerunt inclusæ, & fasciculo per manuensem ipsius Rei, ipsoque Reo dictante, imposita inscriptio ad denuntiandum.

717. Itaque Reus habendus est Auctor apertionis harum Litterarum, nisi probet alium esse Auctorem.

718. Dicit quidem, Petrum Tourteau eas omnes aperuisse; sed negat Tourteau, dicitque se duntaxat primum cooperculum aperuisse, Litteras vero inclusas a Reo fuisse apertas.

719. Cum autem non constet, Petrum Tourteau has Litteras apertas habuisse, nec ille probetur eas aperuisse; constet autem eas apertas apud Reum extitisse, eisque usum fuisse Reum, præsumptio manet contra Reum, & ipse habendus est pro apertore, donec contrarium probet.

720. Igi-

720. Igitur verissima & sincera apparet depositio Petri Tourteau de 26. Martii 1707. qua candide fatetur, se apud Cursorem intercepisse tres fasciculos Litterarum, *idque se fecisse ex suasu & instigatione Eximii Patris Desirant, qui Interrogato dixerat in substantia: debes conari accipere Epistolas destinandas ad D. Krys, D. de Swaen, & D. de Graef, D. van den Nesse, ad Domicellam van Bont, D. du Cellier, D. Vice-Pastorem S. Catharinæ, ad videndum an ex eis nihil posset erui pro confirmando Libro Resolutionum.*

721. Confirmat id & depositio Claræ Leemans uxoris dicti Petri de 6. Julii 1707. quæ interrogata, an non adierit P. Desirant vel P. d'Herbe ad petendum consilium, postquam intellexisset, quod maritus suus pateretur difficultates occasione interceptionis Litterarum? Respondit Idiomate Flandrico: (*) *Dat sy in 't beginsel als haren man was geretireert tot de Lieve-Vrauwe-Broeders, is gecomen by P. d'Herbe, ende gevraegt onder andere, wat dat was van die Brieven, die sy hem hadden doen intercipieren in de Posterye, daer men soo veel was van sprekende, ende of dat daer eenige rusten ofte afferens in gelegen waeren? Waer op P. d'Herbe aen haer deponente antwoorde, dat met de geintercipeerde Brieven van Grasper de heele saeke wiert klaer gemaekt, terwylen dat uyt de selve klaerlyk waeren blykende 18. of 20. punsten waer van gesproken wordt in den Resolutie-Boeck. Waer op de deponente repliceerde: Wel Reverende Pater, waerom hebt ghy ghebruykt mynen man tot 't ondernemen van die Brieven, ende niet eenen anderen? Daer op den voorseyden Pater d'Herbe antwoorde: 't is om uwen man de volle eere te geven van dese afferen voor den dagh te brengen, voegende daer by datter geen moeyelykheyt daer in gelegen was, ende dat 't een goedt werck was voor de H. Kercke.*

722. Sicuti Responsa & allegata ipsius Rei fictionem & falsitatem oculis legentium obiiciunt, præsertim si cum suis circumstantiis considerentur, ita e contrario Responsa Petri ejusque uxoris tam cum circumstantiis, quam per se simpliciter considerata, simplicitatem & sinceritatem spirant & legentibus obiiciunt.

CAPUT SEXTUM.

Ostenditur quod Reus Petrum Tourteau ad pejerandum induxerit, & instruxerit.

723. Petrum Nicolaum Tourteau peierasse, idque ex certa scientia, dum quinta Martii coram Magnificentia Vestra præstito juramento deposuit, se scripsisse famosam Epistolam de 10. Januarii ad Dominum Pastorem S. Catharinæ Bruxellis cum Formulario eidem incluso, sub dictamine Clarissimi Domini Z. B. van-Espen, constat ex ipsius Petri ultronea & constanti confessione.

724. Id igitur hic duntaxat quæritur, utrum Reus fuerit principalis Auctor & Instigator hujus perjurii, quemadmodum omnium fuit confictorum & conscriptorum instrumentorum: sive an Reus dictum Petrum induxerit ad hoc perjurium, sicuti ipsum ad scribendum & fingendum dicta instrumenta instigavit, & sub promissis, fallacibus argumentis & prætextibus attraxit.

725. Porro argumenta, quibus probata est inductio Juvenis hujus ad fingendum tot falsa & horrenda instrumenta, sub nomine dicti Clarissimi, eadem probant, & ipsum ad hoc perjurium per Reum fuisse inductum.

(*) Se initio, cum suus maritus confugisset ad Carmelitas, venisse ad Patrem d'Herbe, & quæsivisse inter alia, quid esset de illis litteris, quas ipsum jusserant intercipere ex domo Cursoria, de quibus tam frequens esset sermo, & an ea ex re aliquid molestiarum aut negotiorum posset tacessi? Ad quæ sibi deponenti respondisse Patrem d'Herbe; totum negotium expediri interceptis Epistolis (*Henrici*) Grasper; quandoquidem ex illis paterent 18. aut 20. articuli, de quibus in Libro Resolutionum actum esset. Ad quæ reposuisse deponentem: Bene Reverende Pater, quare usi estis meo marito ad intercipiendas Epistolas, & non aliquo alio? Tum respondisse dictum Patrem: Ut tuo marito daretur honor detegendi hoc negotium: (*addidisse*) insuper, nullam in ea re esse difficultatem, & esse facinus utilissimum Sanctæ Ecclesiæ.

726. Sicuti enim in præcedentibus annotatum est, verisimile non esse, Petrum *proprio motu* voluisse tam horrendas Litteras & Formularia Clarissimo Domino van-Espen falso affingere, eo quod publice notum esset, ut ipse Reus fatetur, Petrum nulla unquam injuria a dicto Clarissimo fuisse affectum, nullamque ipsum inter & Clarissimum simultatem aut discordiam fuisse; ita & hinc evincitur, verisimile non esse, quod ad hanc falsam & juratam accusationem præfati Clarissimi proprio motu prosilierit.

727. Ulterius probatum est, Petrum falsa instrumenta sua sponte & proprio motu non confinxisse, sed spe *lucri aut promotionis* ab aliquo fuisse allectum, eo quod nemo ad perpetranda tam horrenda crimina induci soleat, nisi sibi ex crimine temporale aliquod commodum obventurum saltem imaginetur: idem probat, Petrum ad hoc horrendum perjurium non nisi sub spe alicujus temporalis commodi esse inductum.

728. Evidens autem est, non potuisse Petrum ad falsum hoc juramentum spe lucri aut commodi temporalis instigari, vel falsis rationibus, a dicto Clarissimo, vel aliquo ex prætensis ipsi in hoc negotio fictitio confœderatis induci; cum incredibile sit, ab ipsis Petrum ad perjurium fuisse adactum, quo ipsemet in horrendi contra Statum & Religionem criminis suspicionem adducendi erant.

729. Restat ergo, ut ab eodem Reo fuerit Petrus seductus & inductus ad præstandum hoc falsum jusjurandum, a quo ad fingendum inductum esse abunde probatum est.

730. Sicuti enim in solius ipsius Rei usum & scopum fictio cedebat, ita & hoc perjurium.

731. Vel enim Petrus hoc jurejurando illaqueatus mansurus erat pertinax in perjurio, & tunc scopo per Reum intento plurimum subserviebat juramentum præstitum, nimirum ad persuadendum *Altioribus Potestatibus*, prædictam Epistolam & Formularium revera esse scripta sub dictamine Clarissimi Domini van-Espen.

732. Sin vero Petrus a Reo desciscere, mysteria iniquitatis revelando & Reum prodendo, uti accidit, etiam hoc casu sibi mire profuturum hoc perjurium prævidebat Reus.

733. Sibi enim persuadebat Reus, Petro per hoc perjurium ademtum iri omnem fidem, ita ut nulla ex depositionibus Petri contra Reum probatio haberi posset.

734. Cum autem omnia hæc iniquitatis mysteria clancularie inter ipsum & Petrum peracta essent, putavit, se de crimine nunquam convictum iri, ubi Petri in crimine socii fides esset per hoc perjurium labefactata.

735. Et revera nihil impræsentiarum magis clamat, atque urget Reus, quam quod Petro perjuro contra se deponenti fides haberi videatur.

736. Adeo ut hinc omnibus persuasum sit, hanc fuisse Rei astutiam, ut Petrum ad pejerandum ante omnia permoveret, quo se a discrimine proditionis liberaret.

737. Et sane in decursu hujus Finalis Conclusionis tot tantaque nota sunt mendacia & fallaciæ, malæque artes, quibus fictionis hoc negotium tegere, quin & sustinere, ac tandem se innocentem ostendere studuit Reus, ut mirum videri non debeat, si & ad hoc perjurium moverit Petrum, ut vel fictionis fidem adstrueret in casum, quo Petrus in perfidia constans persisteret, vel se contra Petri proditionem tutaretur in casum, quo omnia aperire, prout gesta erant, vellet.

738. Præsertim cum tristi experientia notum sit, homines magni talenti & ad honores elevatos, dum in crimina aliqua ruere cœperunt, pluribus postmodum sceleribus sensim immergi, ut præcedentia tegant.

739. Ex his admodum verisimilis redditur depositio præfati Petri Tourteau de (*forte* 26.) 27. Martii, qua deponit, *quod sæpius, imo ipsa die quinta Martii, qua ipse vocatus fuit ad Magnificum Dominum Rectorem, primam suam depositionem facturus, Reus ipsi Petro dixerit* IN PRANDIO*: Jam agitur & agetur pro bono, unde debes firmiter persistere, prout in Epistola de* 10. *Januarii* 1707. *& similiter dixit & animavit ut diceret Interrogatus de contentis in pacqueto Magnifico Domino delato: deinde quod dum in præfatis depositionibus Interrogatus requisitus fuit sub juramento depo-*

deponere, & videret interrogatoria in ipsum dirigi quasi in complicem, non putaverit se astringi juramento, ex eo quod Eximius Pater Desirant ratione antedictorum Interrogato dixisset, nullum teneri ea revelare dum non esset fama, ne quidem requisitus sub juramento a Judice, sed quod ea posset tacere sub RESTRICTIONE MENTALI.

740. Et in recollectione sua addidit, quod Eximius Pater Desirant *ipsum quinta Martii vocaverit ad prandium, & quod ipsum egregie inebriaverit, antequam iret ad Magnificum Dominum depositurus.*

741. *Et ut ipsum in perjurio confirmaret, tradidit ipsi postea Zypæum & ostendit ipsi Responsum de visitatione lib. 3. & Responsum lib. 5. de Schismaticis, quem librum Deponens adhuc habet in sua potestate.*

742. Hæc Petri depositio de tradito sibi per Reum volumine Zypæi firmatur & verificatur per consignationem hujus voluminis factam in judicio per ipsum Petrum.

743. Et quidem illud volumen fuisse Bibliothecæ PP. Augustinianorum probat nota primo folio inscripta: quæ licet fuerit deleta, tamen sufficienter videtur, charta lumini apposita.

744. Neque Reus diffitetur hanc notam volumini huic infuisse; ipsumque volumen esse prædictæ Bibliothecæ; sed dicere non veretur, Petrum illud surripuisse ex sua Bibliotheca.

745. Rursus novum est insigne mendacium!

746. Petrus in primis illud surripuisse non potuit postquam ad Conventum Carmelitarum fugit: & consequenter postquam contra Reum deponere cœpit: quandoquidem ab eo tempore semper fuerit detentus; neque unquam Bibliothecam intraverit.

747. Si autem surripiendi sive furandi animum habuisset quando familiariter apud Reum & in ejus quarterio versabatur, nequaquam hoc volumen Zypæi (quod ab alio volumine separatum, nullius pene pretii est) surripuisset; sed librum alium pluris valentem, aut supellectilem aliquam pretiosiorem auferre studuisset.

748. Neque speciem habet, quod Petrus volumen hoc abstulisset e Bibliotheca, ut inde Reum accusare posset, quod ipsum restringere mentaliter, & cum restrictione jurare docuisset.

749. Constat enim, volumen hoc habuisse Petrum, dum adhuc familiariter apud Reum versabatur, & mendaciis fictitia instrumenta ut vera contra prætensos Conspiratores defendebat.

750. Et si præcogitasset per hoc volumen in casu detectæ fictionis se contra Reum tueri; indubie minutam aliquam in hunc finem sibi reservasset & abscondisset: qua multo facilius & directius probasset, Reum esse fictorum instrumentorum primarium Auctorem.

751. Ad hæc incredibile plane est, quod Petrus, qui hactenus juri præsertim Canonico non studuerat, tum scivisset talia in Responsis Zypæi de restrictione mentali haberi: cum ne quidem a provectioribus juris studiosis, & ad gradum Licentiæ accinctis, Zypæi Responsa legi consueverint: quanto minus a juvene, qui vix jus salutaverat, & præ angustia debebat, victum suum quærere currendo de domo in domum ad scribendum copias.

752. Si præallegata argumenta & indicia jungantur cum prædicta simplici & circumstantiata ac constanti Petri depositione, indubitatum apparet, Reum fuisse primarium perjurii Auctorem & Instigatorem, Petrum scilicet ad pejerandum movendo, & artes pejerandi suggerendo, ut proinde ipse Reus potius quam Petrus pœnas perjurii mereatur.

CAPUT SEPTIMUM.

Refelluntur Excusationes & Exceptiones ipsius Rei.

753. Hactenus Auctor evidentibus argumentis & indiciis probavit, Reum fuisse omnium confictorum instrumentorum, quæ in hac tragœdia sunt exhibita, quin & expilationis domus Cursoriæ, primarium Auctorem & suggestorem; Petrum Tourteau, vero fuisse merum instrumentum executionis.

754. Insuper ex ipsa Rei confessione ostensum est, omnia hæc ficta instrumenta & Lit-

& Litteras e domo Cursoris malis artibus surrepta, ad Reum immediate per dictum Petrum Tourteau esse allata.

755. Reum hæc omnia acceptasse, legisse, sibique soli reservasse.

756. Præterea eorum complures copias etiam authenticas confici jussisse.

757. His omnibus pro arbitrio usum fuisse, cum diversis communicando, eo modo, qui fini ipsi proposito congruentior videretur.

758. Quin & omnium eorum copias ad *Altiores Potestates*, quas prætensis conspiratoribus adversas noverat, misisse, idque sub secreto & clancularie.

759. Quæ omnia ex ipsius Rei propria confessione habentur.

760. Porro indubitatum est, non solum jura, sed & ipsam rationem dictare, quod, qui in actione manifeste flagitiosa deprehenditur, qualis indubie est usus litterarum in domo Cursoria interceptarum, a crimine ejusque pœna se expedire nequeat, nisi excusationes & exceptiones admodum fortes & peremptoriæ adducantur, quæ præsumptiones ex actione flagitiosa resultantes elidere queant.

761. Nec sufficit, has excusationes & exceptiones per Reum allegari, sed Reus eas ad sufficientiam Juris probare debet, juxta notissimam Juris regulam, *Reus excipiendo fit Actor:* ita ut quantum ad has exceptiones, sufficiat Actori in negativis consistere, & Reo soli probatio, non Actori, incumbat: & consequenter condemnandus veniat, si in probatione suæ exceptionis deficiat.

762. Videndum igitur restat, quas exceptiones contra evidentissimas probas non tantum ex circumstantiis & indiciis, sed vel præcipue ex ipsa Rei confessione, & testium omni exceptione majorum depositionibus resultantes, Reus adducat, & qualiter eas probet.

763. Prima eaque generalissima exceptio sive excusatio, qua se a formali crimine conatur eximere, est *bona fides*, sive quod egerit *bona fide*, quam exceptionem impendit in suo personali Responso ad Articulos duodecimum, decimum tertium, decimum quartum, decimum quintum, vigesimum, & vigesimum tertium Libelli Gravaminum, & sæpius in Responso ad Interrogatoria & Responso ulteriori.

764. Sed interior animus, a quo hæc *fides* dependet, soli Deo cognitus est, ut nec testibus, nec instrumentis probari queat; ut proinde Reus in vanum laboret, dum ad *Articulum octogesimum primum* sui Provisionalis Intendit plures testes *suæ bonæ fidei* producit, qui nequeunt de *animo* ejus *interiore* testari, sed duntaxat, quid exterius ipsis apparuerit, deponere possunt, uti nec aliud deposuerunt: quæ exteriora frequenter fallere notum est, præsertim in hominibus ad fallendum intentis, qualem esse Reum probant hactenus deducta.

765. Novit Actor, *bonam fidem*, quamvis *in animo* consistat, tamen indiciis & præsumptionibus posse probari: sed & hoc novit, facta, e quibus hæ præsumptiones resultant, esse probanda sicut facta cetera, idest, vel facti evidentia, aut certe legitimis testibus vel instrumentis, non autem nuda Rei assertione.

766. Si & Responsa ipsius Rei ad Interrogatoria, ejusque prolixum Responsum ulterius ad Libellum Gravaminum expendantur, nihil solidi a Reo allegatum, multo minus probatum invenietur, e quo *bonæ fidei* præsumptio resultet.

767. Unum generale adducit in dicto prolixo Responso, Articulo *quadragesimo quinto*, quod scilicet *notorium sit*, *quod ipse hactenus non fuerit in amentiam deductus.*

768. Probat id Articulo quadragesimo sexto, eo quod ipsi *inimicissimi sui adversarii quantumvis pessime intentionati, agnoscant, ipsum esse tam prudentem & cautum, ut multiplicibus eorum conatibus se opposuerit, & frequentibus eorum insidiis felicissime sese hactenus eripuerit.*

769. Sustinet vero Articulo quadragesimo septimo, quod nihil eorum, quæ Libello Gravaminum obiiciuntur, *potuerit fecisse, nisi in singulo actu, in singula circumstantia manifesta stultitia processisset.*

770. Quod de sua prudentia hic etiam ex Adversariorum suorum judicio glorietur Reus, vanum & frivolum est.

771. Illi enim, quos suos Adversarios esse sibi fingit, aliud in ipso non agnoscunt quam insignem mentiendi & imponendi impudentiam.

772. Quod

772. Quod autem ejus mendacia & fallacias non semper detexerint, non tam ejus in agendo prudentiæ & cautelæ imputandum est, quam eorum Christianæ simplicitati, qua tantam mentis perversitatem in homine Sacerdote, Religioso & Doctore Theologo ne suspicari quidem audebant.

773. Exemplum insigne prudentiæ suæ non ita pridem hic dedit Reus, dum Marachallo de Boufflers hic Lovanii cum toto suo Comitatu residente, in Lectione sua publica, & quidem pluribus distinctis vicibus, plura contra personam Regis Galliæ, ejusque circa res bellicas gloriam effutire non est veritus, non obstante præsentia plurium de prima Nobilitate Galliæ, qui, quam Regis suæ gloriæ sint studiosi, vel pueri norunt: ut vel stupidissimus quisque videre posset, quid ei tum immineret; quod & mox evenit, scilicet exilium e Patria.

774. Sit hoc specimen judicii, prudentiæ, & cautelæ, de quibus tantopere Reus gloriatur.

775. Sed licet ipsi Reo tam favorabile esset Adversariorum suorum judicium, quam proprium, nihil tamen argumentum inde desumptum concluderet.

776. Notum enim est, homines facinorosos quantumvis astutos tandem solere serius aut citius, mensura nequitiarum impleta, in manus Justitiæ incaute incidere, Deo ita disponente, & *sapientiam sapientum perdente*: unde & illud antiquum poeticum: *Dii quos perdere volunt dementant.*

777. Nec tamen eousque ad amentiam redactus esse debuit Reus ad faciendum ea, quæ fecit, quam prætendit dicto Articulo quadragesimo septimo.

778. Licet enim in male directo & stupide continuato negotio stultitia quædam appareat, magna tamen astutia est sibi procurare aliquem, qui ipsum tegat, & quem, si res non succedat, possit pœnæ relinquere & noxæ dedere.

779. Ubique hæc Rei apparet vafrities, qua omnia sic direxit, omniaque corrasit, quo in casum detectæ fictionis sibi prospiceret; nec in minimo se palam monstrare voluit, sed omnia sub nomine Petri Tourteau prodire.

780. Hunc in finem sibi a Petro Tourteau, postquam negotium per evulgationem copiæ Epistolæ de decima Januarii moveri cœpit, Declarationem de omnibus dari jussit per Actam Notarialem de vigesima septima Januarii, & a Reo die secunda Maii consignatam, quam a Reo confictam & fabricatam, & a Petro seducto simpliciter signatam esse ostendit Actor supra Cap. 4. Articulo 607. & sequentibus.

781. Eundem in finem expediri jussit per dictum Petrum Actam de quarta & decima quarta Martii: & quod amplius est, ipsum ad pejerandum induxit, uti toto Capite sexto probavit Actor: ut nimirum in casum detectæ fictionis, Petro tanquam perjuro fides ne haberetur.

782. Eodem tendebant Declarationes, quas sibi procuravit a socio suo & in crimine complice Patre d'Herbe, & seniore Tourteau, & Domino Advocato Schaubroeck, & Reverendo Domino Gallot, quas & in sui defensionem exhibuit cum suo Responso ulteriori.

783. Eodem collimasse evocationem Magnifici Domini Rectoris, & obscuram & secretam eidem de hoc negotio propositam quæstionem, ostendit Actor supra Capite quinto Articulo 673. & sequentibus.

784. Et ipse Reus in Scripto, cui titulus: *Vera & sincera relatio*, quod die decima quarta Martii 1707. in sua comparitione dictavit, asserit se omnia semper & statim communicasse cum amicis, aliquando divisim, aliquando conjunctim, partim pro consilio, partim (quod notandum) *ut, si casus exigeret, posset illos adhibere in testes suæ bonæ fidei.*

785. Hæ & similes præcautiones malam fidem in Reo arguunt, & tanto tempore præmeditata excusatio mordentem conscientiam indicat.

786. Ad eandem cautelam referri meretur, quod Reus, apud quem omnia ficta instrumenta reperta sunt, & a quo omnia processerunt, aliis communicando, & ad Altiores Potestates mittendo, quique omnia secreto direxit, nusquam tamen palam compareat, nusquam character ejus conspiciatur, etiam minutis manu ejus scriptis sollicite retractis & combustis.

787. Quin ad ipsam Denuntiationem, ne ipse concurrere videretur, sollicitavit Reverendum Patrem Grauwels; at eo renuente, superscriptionem charactere sui Amanuensis Patris d'Herbe, sed insolito, apponi jussit, & per ignotos Denuntiationem fieri, ut ipse interim lateret.

788. Ex his videt Magnificentia Vestra, nullum plane esse argumentum, quod ex non præsumpto sui delirio, in probationem *bonæ fidei*, adducit & inclamat Reus.

789. Insuper hæc est mentis humanæ natura & conditio, ut assensum firmum, qualis ad bonam fidem requiritur, formare non queat, quantumcumque etiam vellet, mere pro libitu; sed a lumine rationis debet inflecti; considerando & ponderando motiva credibilitatis sive assensus firmi eliciendi.

790. Expendendum proinde est, num ea adducta fuerint motiva & rationes credulitatis, ut Virum prudentem movere potuissent ad firmiter credendum, instrumenta per Petrum Tourteau allata, esse vera & sincera instrumenta.

791. Præcipuum, ne dicam unicum, fundamentum suæ *bonæ fidei*, quod Reus allegat in Scripto suo, cui titulus: *Vera & sincera relatio*, quam in comparitione diei decimæ quartæ Martii dictavit, uti & in suis Responsis ad Interrogatoria, nec non in prolixo Responso ulteriori, pene totum resolvitur in fidem & auctoritatem Petri Nicolai Tourteau.

792. Addit autem Reus in suo Responso ulteriori, Petri fidem fuisse subnixam, quod Dominus *Licentiatus Opstraet tergiversaretur producere Originalem Epistolam de decima Januarii*.

793. Sed nullum esse fidei adstruendæ & firmandæ hoc fundamentum, utpote falsissimo supposito subnixum, scire poterat, & indubie sciebat Reus ex ipsis Actis Sacræ Facultatis per ipsum Reum cum suo Responso ulteriori exhibitis, sub Numero octavo & sequentibus.

794. Mox enim, ut a Facultate requisitus fuit dictus Licentiatus per Bedellum, ut scriberet Bruxellas ad habendum Originale, (id fuit vigesima nona Januarii) mox etiam scripsit. Iterum interrogatus trigesima prima Januarii, respondit: se scripsisse, & eadem die Responsum exspectari.

795. Tertia vero vice, idest, quarta Februarii, respondit humaniter: Dominum Vercouwen Vice-Pastorem Sanctæ Catharinæ, in absentia Domini Pastoris, sibi rescripsisse, dictum Pastorem, ad quem ea de re scripserat, respondisse, quod Originalem Epistolam ob aliquas rationes e manibus suis non esset dimissurus, ut constat ex dictis Actis.

796. Quæ, obsecro, hic tergiversationis species? Nunquid Dominus Pastor Sanctæ Catharinæ ad quem prædicta Epistola scripta, inscripta & destinata erat, ejusdem Epistolæ Dominus erat ad exclusionem cujuscumque alterius?

797. Merito ergo illam periculis viarum exponere nolebat, præsertim postquam jam de ea cum Ministris Regiis agi cœperat; & inaudiebat de illa jam motum aliquem excitari cœpisse.

798. Aut certe si Facultas Sacra illa Epistola originali in Judicio indiguisset, poterat dictum Pastorem per litteras compulsoriales & requisitoriales ad legitimum ejus Judicem ad exhibitionem compellere, non vero dictus Dominus Opstraet, qui nomine proprio eam non petebat, sic ut immerito dicatur tergiversatus. Itaque temeraria & frivola plane est suspicio super eo fundata.

799. Sed vel hinc maxime apparet nequitia ipsius Rei, qui unus erat ex dicta Sacra Facultate, quæ unice originales litteras petere videbatur, uti Reus palam asserebat, ut cognito charactere Auctor deprehenderetur.

800. Reus, qui semper præsens erat, noverat esse characterem junioris Tourteau, & illum testimonio duorum Notariorum poterat probare.

801. Et quod amplius erat, jam tum Actam Notarialem de 27. Januarii penes se habebat, in qua dictus Tourteau fatebatur, se Epistolam hanc scripsisse sub dictamine Domini van-Espen.

802. Nihil de his loquebatur Reus, quamvis persuasum etiam velit, hanc Epistolam dictæ Facultati in persona sua tanquam Vice-Decano seu Seniori dictæ Facultatis fuisse denuntiatam.

803. Ut facile appareat, quod detecta

cta jam Epistola & securus ut putabat de dispositione animi dicti Tourteau hujus Epistolæ Scriptore & Bajulo, uti voluerit ipsa Sacra Facultate, ad procurandam occasionem, ut lusus inchoaretur.

804. Restat igitur sola Petri Tourteau auctoritas pro fundamento & motivo *bonæ fidei*, quam Reus ubique in suam defensionem allegat.

805. Videns autem Reus, quam debile, imo ridiculum esset motivum fidei, quod nudæ & simplici hujus juvenis assertioni inniteretur, solicite excogitavit rationes, quibus persuadere conetur, se fuisse prudenter permotum ut tantam apud ipsum fidem meruerit Petrus, juvenis *necdum natus annos viginti*, *homo conjugatus*, *merus Scriba*, *qui pro pane lucrando ibat de domo in domum ad scribendas copias*, uti eum describit Reus Articulo quadragesimo secundo Responsionis ulterioris.

806. Primo dicit Reus in sua depositione de decima quarta Martii: *quod Petrus fidem apud ipsum meruerit*, *eo quod*, *dum causa Gerberoniana contra Dominum Archiepiscopum Mechliniensem coram Domino Abbate Sanctæ Gertrudis fuit resumpta*, *hoc Petrus Reo triduo ante prædixisset*.

807. Magnum profecto fidei & sinceritatis argumentum! Sed ipsemet Reus illud subvertit Articulo trigesimo tertio Responsionis ulterioris dicens: quod *illud poterat didicisse*, *tum ex Rotula Magnifici Domini*, *tum Perillustris Domini Conservatoris*, *quam assidue loco Patris & cum Patre frequentabat*, *advertens non tantum ad causas*, *quæ illic movebantur*, *verum etiam diligenter observans*, *quæ a Procuratoribus & aliis ibi dicebantur*.

808. Hæc tamen, si Reo credimus, fidem Petri ipsi adstruxerant, fidem inquam illius, qui jam a mense Octobri anno 1706. Reo imposuerat, ut ipse asserit ad Articulum vigesimum nonum Interrogatoriorum, narrando varia de Congregationibus prætense habitis in domo Domini Canonici Vlvien, sive Beggardorum, præsidente Clarissimo Domino van-Espen, & præsentibus Dominis Melis, & aliis pluribus, quod, ut fabula male conficta, explosum fuit a diversis Doctoribus ob absentiam dicti Clarissimi ab urbe, & morbum Domini Melis lecto affixi, quæ Reo exprobrata fuisse deponunt DD. Martin, Renardi, & Parmentier in depositione de vigesima tertia Maii: & tamen ipse Reus fatetur hæc sibi a dicto Petro fuisse relata; & Capite sequenti latius exponetur.

809. Alia argumenta, quibus Petri fidem adstruere conatur Reus, expendamus.

810. Dicit Reus *Articulo* 415. Responsionis ulterioris, præfatum Petrum accusando dictum Clarissimum sustinuisse, eundem dictam Epistolam de decima Januarii sibi dictasse, & subsignasse, *idque tanta energia expressisse sub Juramento*, *ut ipse Advocatus Fiscalis dixerit hæc audiens*, HANC MACULAM JANSENISTÆ NUNQUAM ELUENT.

811. Atque hinc concludere vult Reus, non mirum esse, si & ipse Petri dictis fidem habuerit.

812. Verum hæc potius malam quam bonam fidem in Reo evincunt.

813. Dictus enim Advocatus Fiscalis, nequaquam in hoc Petri dicto acquievit; neque plenam fidem habuit, uti se habuisse Reus simulat: sed mox vocari & audiri dictum Clarissimum petivit; eoque audito, dictum Petrum super circumstantiis loci, temporis, aliisque interrogari & examinari fecit: post quæ opinionem conceptam statim deposuit.

814. Si eadem aut similia media, quæ obvia & naturalissima erant, Reus adhibuisset, quid non potuisset detegere, si eum aliquid latebat, a medio Octobris 1706. usque ad diem, quo se ad Carmelitas ad locum Asyli recepit? Certo certius & sine ulla difficultate totius hujus tragœdiæ fictionem detexisset.

815. At eam detegere noluit, totius hujus negotii tenebrarum primarius Architectus.

816. Altero argumento fidem dicti Petri adstruere conatur Reus, nimirum, quod responsa ipsius ad objecta tam essent subtilia & astuta, ut Reus falsitatem detegere non posset.

817. Volens enim probare Articulo centesimo septuagesimo sui Responsi ulterioris, *quod semper egerit bona fide*, in probationem illius subjungit; Ad Articulum centesimum septuagesimum, *quod Petrus Nicolaus Tourteau tam subtiliter cuncta*

narrabat , *& ad Opponentis objecta tam astute respondebat* , *ut falsitatem vel fictionem non posset Opponens detegere*.

818. Si ad responsa Petri ad objecta, prout hæc a Reo referuntur, Magnificentia Vestra attendere dignetur, videbit, ea esse talia, ut Reus facilius se mente captum fuisse probaturus sit, quam hæc sibi, sanam mentem habenti, Petri fidem adstruxisse.

819. Articulo centesimo septuagesimo Resp. ulter. dicit: quod, dum Petrum urgeret, *Machinationem in necem ejus videri a mente Clarissimi Domini van-Espen alienam*: Articulo centesimo septuagesimo secundo refert pro Responso a Petro dato, *quod Petrus firmissime persistebat*, *quod Clarissimum Dominum melius nosceret*, *quam ipse*. Subtile profecto & astutum Responsum!

820. Rursus Articulo centesimo septuagesimo tertio dicit: quando Petro objiciebat, quod *Epistola de octava Februarii signata Z. B. V. E. ad Pastorem Sanctæ Catharinæ Bruxellis conquereretur*, *quod dictus Pastor ad anteriores non responderet*, *quomodo hoc posset consistere*, *quandoquidem dictus Pastor Lovanii visus sit die sexta Februarii*.

821. Huic objectioni, si Reo credimus *Art.* 174. acutissimum hoc Responsum dedit, idque *ex tempore*, uti notat expresse Reus, *quod fortassis posteriores illæ Litteræ essent ita studio conscriptæ*, *ut permitterentur incidere in ejus manus*, *idque de industria*.

822. Notandum, hanc Epistolam unam esse ex illis, in quibus tractatur de Petro *e medio tollendo*.

823. Quis homo sensatus credat, similem Epistolam scriptam *de industria*, *ut in manus incideret illius*, *de cujus morte tractabatur?* & nihilominus hoc Responsum Doctori Theologo *fuit pro motivo fidei*!

824. Et quod amplius est, si Reo credimus *Art.* 175., Petrus reddebat rationem, ob quam permisissent hanc Epistolam in ejus manus incidere, ut nimirum ex illarum tenore destrueretur veritas anteriorum, quas signantem viderat Clarissimum Dominum præfatum, *prout semper constanter asseverabat*.

825. Insulsa Petri seu potius Rei fictio, quasi hic finis, si a Clarissimo intentus esset, habitus non fuisset, licet de alio quocumque negotio in Epistolis actum fuisset.

826. Interim hæc, si Reo credimus, ipsi acuta solidaque responsa apparebant.

827. Iterum ait *Art.* 177. quando Reus objiciebat, *quomodo hæc consisterent cum tantis percussionis timoribus*, *ut aliquoties non auderet domum redire?* *Petrus*, ait Reus *Art.* 178., *respondit: se non dubitasse*, *quin minatoriæ fuerint sinceræ*. Vere astutum Petri Responsum!

828. *Art.* 179. ait Reus, *quando aliquo tempore ipsi diceret*, *quomodo ergo retulisset*, *se semel fuisse percussum alapa vel baculo*, *& semel gladio petitum vesperi circa octavam decima tertia Februarii*, *si opponens recte meminerit*, *& misisse uxorem suam querulam ad Patrem?* Respondit: *se percussionem sensisse*, *gladium vidisse*, *& uxorem misisse*, *propter experientiam*, *quam constanter affirmabat*. Dignum Petro responsum, & solidum ad fidem ejus adstruendam argumentum!

829. Videbit indubie Magnificentia Vestra, incredibile omnino esse, ut Reo, Doctori Theologo, & in detegendis fallaciis adeo astuto, hisce futilibus, & inanibus responsis fides Petri fuerit adstructa.

830. Sed his ulterius immorandum non censuit Actor: cum nimis clarum sit, hæc uti plurima alia a Reo esse conficta & excogitata quasi a Petro dicta, quorum nihil unquam dictum fuit.

831. Imo tantum abest, ut Reus unquam fuerit in bona fide, ut e contrario ostensurus sit Actor Capite sequenti, Reum ab initio usque ad finem fuisse in *mala fide*, omniaque sollicite & studiose texisse, ne fictio detegeretur, & ut fictioni aliquam veritatis umbram procuraret, quæ hic repetere superfluum esset.

832. Hoc unum attendi rogat Actor, Reum, si vel micam bonæ fidei habuisset, non omissurum fuisse, mox Epistolam de decima Januarii cum Formulario acluso, Librum Resolutionum, aliaque ficta hæc instrumenta sibi tanquam *Vicedecano* Sacræ Facultatis per Petrum Tourteau allata, communicare Facultati, ut juxta stilum Facultatis negotia tanti momenti communi

con-

consilio examinarentur, Bajulus sive delator eorum de omnibus interrogaretur, aliaque ad assequendam negotii veritatem impenderentur necessaria.

833. Sed nihil tale fecit Reus, quia totius fictionis conscius & primarius Auctor erat.

834. Alia generalis exceptio sive excusatio, quam Reus allegat, est, quod de omnibus fecerit *bonum usum*, & *bonum finem* præ oculis habuerit.

835. Quam exceptionem impendit in suo Responso personali ad Articulos 5. 6. 8. 10. 11. 17. 18. & 19. Libelli Gravaminum, & sæpius in suo ulteriori Responso.

836. Usus omnium fictorum instrumentorum, nec non verarum Litterarum apud Cursorem publicum interceptarum per se patet: cum Reus ipse fateatur, se his omnibus usum, tum variis ostendendo, tum eorum copias sumendo, hasque etiam ad Altiores Potestates mittendo.

837. Finis operis dicitur, qui naturaliter natus est sequi ex ipso opere sive quem ipsum opus secum naturaliter trahit.

838. Porro finis naturalis hujus operis, idest, usus horum fictorum instrumentorum, copias authenticas illorum mittendo ad Altiores Potestates, præsertim contra prætensos conspiratores & Jansenistas notorie præventas, est admodum horrendus & atrox, præsertim dum hæc missio & informatio est *secreta* & *clancularia*, ut accusatis & apud similes Potestates infamatis non suppetat via defensionis.

839. Quid hinc aliud erat exspectandum, nisi omnium illorum virorum sic accusatorum oppressio & perditio? præsertim cum ageretur de manifesta conspiratione contra Statum & Religionem, & dirigerentur contra personas, contra quas sciebat Reus, Potestates has esse præoccupatas.

840. Notissimum etiam est, quod in similibus materiis, nulla personarum attenta conditione, soleat etiam ex indiciis & argumentis satis levibus procedi? quare mirum non fuisset, si bonis omnibus exuti extra patriam essent *relegati*.

841. Quis scit, an famosa Decreta, vulgo *Lettres de cachet*, contra sæpe nominatum Dominum Pastorem, Doctorem Hennebel, Licentiatum Opstraet aliosque, similibus scelestis & clanculariis machinationibus ab Altioribus Potestatibus tunc non sint impetrata!

842. Imo forte omnes hi prætensi conspiratores, nihil minus cogitantes in carcerem ducti a se mutuo divulsi fuissent: deinde separatim interrogati, ubi aliquis eorum de innocenti aliquo congressu amicorum aliquid mussitasset, tormentis subjecti fuissent, ad eliciendum quod nesciebant; forte plures in tormentis expirassent.

843. Hæc quidem concernunt res privatorum, sed ipsum Clementissimum Regem & Supremas Potestates ei fœderatas attentatum hoc impetit, utpote natum excitare dissidia inter ipsos.

844. Dum nimirum Potestates ei fœderatæ & amicæ apud ipsum suspectæ redduntur & insimulantur quasi in medio harum ejus ditionum sectam aliquam fovere vellent a se dependentem & sub protectione sua latitantem, & inde adversus Regem & Protectorem Religionis Catholicæ tutam & securam reddere.

845. Denique nata sunt eorundem, scilicet Regis & Confœderatorum, communi causæ maximum adferre dispendium, præbendo adversariis ejus materiam sugillandi fidem Regis apud subditos suavi ejus imperio nondum subjectos, eumque atris coloribus depingendi, quasi in regionibus sibi subditis carissimum illud pignus, Religionem Catholicam negligat, & Acatholicorum machinationibus illam permittat, quo nihil efficacius esse potest ad animos eorum ab eo alienandos.

846. Admittit Reus ad Articulum nonum Libelli Gravaminum hæc omnia inde nata esse sequi, quamvis perperam ad onus Tourteau illud velit reiicere; sed etiam scire debuit, quanti hæc sint momenti, ipse qui in famosissima hac Universitate munus obit Professoris Regii Historiarum & Politices: unde ignorare non præsumitur quod sæpissime maximi successus bellici a minimis causis dependeant, filantur & evertantur.

847. Verum hæc omnia nequaquam ex nuda horum instrumentorum fictione & scriptione, sed ex eorum usu sequi sunt nata.

848. Porro non fuit ipse Petrus Tourteau, qui

qui horum instrumentorum copias fieri jussir, easque clancularie ad Altiores Potestates transmisit, sed Reus: similiter solus Reus usus est Litteris apud Cursorem interceptis.

849. Non ergo tam Petro Tourteau, quam ipsi Reo imputanda sunt, quæ non tam ex fictione & scriptione, quam ex usu naturaliter sequi contingunt.

850. Ulterius Auctor operis censendus est habere sibi præfixum *finem operis*, nisi probet, alium se habuisse in opere illo perpetrando finem præfixum.

851. Quare, nisi Reus probet, se habuisse finem bonum & honestum in usu horum instrumentorum fictorum, censendus erit habuisse finem, qui operi naturaliter est conjunctus; sive voluisse omnia, quæ ex usu dictorum instrumentorum nata erant sequi, & ad quæ talis usus de se naturaliter tendit.

852. Non ergo sufficit nuda & vaga Rei assertio, quod hæc illave fecerit *in bonum finem*.

853. Quin nec sufficit, quod specifice exprimat *bonum finem*; nisi concludentibus saltem indiciis probet, se hunc *bonum finem* habuisse, præsertim quando opus ex se ad malum tendit.

854. Porro Reus vix usquam hunc suum bonum finem specifice expressit, nisi quod alicubi dicat, se copias misisse ad Altiores Potestates *ad detegendam veritatem*, uti sæpius expressit in suo Responso ulteriori, & nominatim *Articulo* 167.

855. In primis nulla plane indicia vel conjecturas adducit, aut in toto hoc processu occurrunt, quibus hunc suum finem probet: adeoque non nisi ex nuda assertione ipsius Rei, cujus fides tot mendaciis & contradictionibus labefactata est, haberi potest.

856. Imo plurima in deductione causæ adducta sunt, quæ evidentissime probant, nihil minus Reum in hac ad Superiores Potestates copiarum missione in animo habuisse, quam detegere veritatem.

857. In primis enim, si Reus communicando copias Altioribus Potestatibus intendisset *detegere veritatem*, debuisset ante omnia totum negotium exposuisse Sacræ Facultati, ut ipsa negotium examinaret & veritatem inquireret.

858. Præsertim cum ipse Reus dicat, Petrum Tourteau omnia ad se tulisse, tanquam *membrum*, imo & tanquam *seniorem* & in ea qualitate *Vice-Decanum* dictæ Facultatis.

859. Fatetur ulterius Reus, quod, dum aliqua deferuntur ad unum de Facultate, tunc *juxta stilum Facultatis* hic non agat negotium illud solus, sed referat ad Facultatem, ut *conjunctim cum aliis* de Facultate negotium illud examinet, & dirigat. In Responso ad *Articulum* 14. *Interrogatoriorum*.

860. Indubitatum igitur est, Reum, si voluisset detegere veritatem, statim negotium hoc tanti momenti delaturum fuisse ad Facultatem, *ut conjunctim*, negotio examinato, consilia opportuna veritatis assequendæ inirent.

861. At nihil horum fecit Reus; sed contra omnia sollicite Facultati occultavit, imo nec ulli quantumvis sibi fido & amico, quidquam ante finem Januarii aut initium Februarii *vel obscure* communicavit, quin & omnia sic direxit, ut Facultati, vel ejus membris negotium non innotesceret, uti late *Capite* 2. notatum est.

862. Præterea, si ad Altiores Potestates Reus misit copias, negotiumque communicavit, *ad detegendam veritatem*, quæ erat Altior Potestas ad id magis idonea, & naturalis, ac per se ordinata, quam Magnificus Dominus Rector Universitatis, cui ipse Litterarum & instrumentorum Bajulus & Scriptor, ipse prætensus Primarius omnium Auctor & Promotor Clarissimus D. van-Espen, ac plerique prætensi conspiratores suberant, & cujus erat inquirere quæ conventicula inter Academicos, atque in ipsa Universitate, ac præsertim contra Statum & Religionem frequentarentur?

863. Et tamen nullas copias ad Rectorem misit Reus, imo nec Rectori ante 23. Februarii de omnibus his fictis Litteris aut Libro Resolutionum quidquam communicavit, nec etiam tunc nisi admodum obscure & sub secreto naturali; ut nulla daretur Rectori veritatem inquirendi occasio.

864. Misit autem ad eas Potestates, quibus vel deerat auctoritas, vel certe occasio & opportunitas inquirendi & examinandi veri-

veritatem non erat, & quas sciebat adversus hos prætensos Conspiratores præventas.

865. Si ergo Reus de veritate inquirenda vel examinanda vel solum cogitasset, omnia in primis ipsi Sacræ Facultati exposuisset, quæ nullo negotio, & quasi in momento fictionem detexisset.

866. Probant id depositiones DD. Daelman & Pauwels, quibus Dominis dum vel aliquid licet obscure de hoc negotio Reus communicavit, mox dixerunt & indicarunt, omnia esse ficta & falsa.

867. Et nonne quasi in momento fictio detecta fuit, mox ut Rectori negotium sub initium Martii denuntiatum fuit?

868. Porro si Reus copias misit Domino Archiepiscopo ad *detegendam veritatem*, quare non etiam ipsi communicavit Actam de 27. Januarii in qua Tourteau declarabat, quod *monitus & requisitus ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi* hanc declarationem seu Actam daret, ex qua de fictione in uno momento fuisset certus?

869. Nihil ergo minus intendit Reus, quam *detegere veritatem*, dum copias ad Altiores Potestates misit.

870. Quod & eventus docuit: si enim intendisset Reus, ut per Potestates illas Altiores veritas detegeretur, nonne detectæ veritati tunc saltem acquiescere debuisset?

871. Et tamen nihil minus præstitit. Sed contra, detecta fictione operis per Amplissimum Dominum van Susteren Vicarium Generalem Domini Archiepiscopi Mechliniensis, cœpit Reus plura, magisque horrenda media impendere, ut fictitio huic operi umbram saltem veritatis in perniciem horum prætensorum Conspiratorum affingeret, uti Capite tertio Actor notavit.

872. Itaque non alius dicendus est fuisse finis ipsius Rei in hac ad Altiores Potestates copiarum missione, quam illas contra hos prætensos Conspiratores præoccupare, & excitare tanquam contra Statum & Religionem rebellantes, & cum adversariis nostræ Religionis Catholicæ conspirantes.

873. Quod autem in suo Responso ulteriori clamat *Articulo* 158. & sequentibus, se omnia communicasse etiam Altioribus Potestatibus *sub secreto naturali*; omniaque sub alto silentio fuisse religiose servata usque ad vigesimam tertiam Januarii, quando copia per Dominum van-Espen missa ad Dominum Canonicum Vivien & communicata Licentiato Opstraet, tandem illo die exhibita fuit Sacræ Facultati.

874. Hinc deducit Reus, infamationem prætensorum Conspiratorum non tam a Reo, quam ab evulgatoribus dictæ copiæ processisse.

875. Tantum abest ut hoc *secretum* minuat ipsum crimen, aut Rei innocentiam astruat, quin potius augeat, Reumque nocentiorem faciat; imo ipsa secreta & clancularia apud Altiores Potestates innocentum delatio & accusatio præcipue atrocitatem criminis facit.

876. Hæc enim est denuntiatio, quæ denuntiatos in summum discrimen adducit: dum defensionis viis subtractis, frequenter inauditi & plane innocentes opprimuntur per Altiores Potestates talibus horrendis & diabolicis clanculariis accusationibus pessime informatas & præventas.

877. Contra has igitur clancularias & nocentissimas criminationes & denuntiationes, tanquam Reipublicæ nocentissimas, & summopere perniciosas agit Actor, & pro merito Reum puniendum esse concludit.

878. De his quoque unice queruntur prætensi Conspiratores: non autem de publica divulgatione copiæ aut infamatione, quæ hinc contingere potuisset.

879. Norunt enim, quod, ubi publice similia innotescunt, sine difficultate possint pro eorum absurditate & accusatorum innocentia refutari & falsitas ostendi, uti mox patuit, ubi negotium innotuit.

CAPUT OCTAVUM.

Ostenditur, quod Reus ab initio fuerit in mala fide, & existens in mala fide fictis instrumentis usus sit.

880. Historiam totius tragœdiæ effingit Reus in scripto, cui titulus: *Vera & sincera Relatio*, quod ipse dictavit in comparitione sua die 14. Martii.

881. In

881. In hac Relatione dicit Reus, quod Petrus Tourteau, quem ad scribendum tunc impendebat, die 18. *vel* 19. *Octobris* 1706. *inceperit dicere, quod apud Clarissimum D. van-Espen celebrarentur sæpius congregationes.*

882. Igitur si Reo credimus, cœpit Petrus Tourteau a mense Octobri narrare Reo de celebratis his fictis *Congregationibus*.

883. Præterea fatetur Reus *ad Articulum* 29. Interrogatoriorum, a Petro Tourteau sibi relatum esse, quod *die* 17. *vel* 18. *Octobris fuisset celebrata una in domo apud D. van-Espen ipso Præsidente*: cui interfuissent præfati Domini *Melis*, *Laderfous* & alii: item quod iterum sequenti die alia habita esset, cui etiam interfuisset Dominus *Sullivane*.

884. De his Congregationibus sub idem tempus coram Doctoribus Sacræ Facultatis loquutus fuit Reus, *non nominando Tourteau, qui tamen id retulerat*, uti ad citatum Articulum diserte fatetur Reus.

885. Deponitque Doctor Martin 23. Maii ad Articulum secundum, quod eodem tempore quo hæc Reus referebat, aliqui ibidem præsentes *interrogarent*, *a quo sciret Pater Desirantius, haberi talia conventicula & resolutiones eorum? Respondebat ille*, (scilicet Pater Desirant) *se illa scire ab uno, qui præsens est, quem nunquam voluit nominare, & alii replicabant, se non credere, quod homines illi sua secreta siderent alicui ipsis non fideli.*

886. Hinc patet, quod Reus ab initio, quo de hoc fictitio negotio agi cœptum est, studiose celaverit Relatorem, cujus fidei prætensæ Congregationes innitebantur: quia certus erat fore, ut si nominasset talem relatorem, mox ab omnibus hæc relatio exploderetur & fictio detegeretur.

887. Constat præterea ex depositionibus Dominorum Martin, Renardi & Parmentier, quod Reo, hæc de habita Congregatione die 18. vel 19. Octobris narranti, dictum fuerit: hæc non posse subsistere ob absentiam D. van-Espen eo tempore ab Urbe, & morbum Domini Melis, qui a sex circiter septimanis non poterat egredi suo cubiculo.

888. Id ipsum non obscure fatetur Reus in suo Responso ad *Articulum* 30. Interrogatoriorum.

889. Addebatque dictus Dominus Renardi pro ratione scientiæ morbi Domini Melis, qui Congregationi interfuisse dicebatur: *quod illo ipso die bibisset Thée cum ipso & sæpius ipsum invisisset affixum suo cubiculo dicto tempore, dum dicebatur interfuisse istis Congregationibus.*

890. Addit in sua depositione dictus Eximius: *& sic inferebat Dominus Deponens, quod omnia illa essent ficta, quæ omnia D. Deponens declarat fuisse dicta in cubiculo Eximii P. Desirant, ipso Eximio P. & aliquibus aliis præsentibus.*

891. Nonne hinc & Reus inferre debuisset, omnia sibi a Petro Tourteau relata (si tamen relata fuerint) *fuisse ficta?*

892. Verum Reus, qui fictitium hoc inchoatum opus perficere & ad finem perducere firmiter statuerat, consequentiam hanc non vidit, aut certe risit, prætulitque seu potius præferre se finxit assertionem hujus miserabilis juvenis, assertioni Viri Eximii, testisque oculati, tot circumstantiis indubitatis & patentibus roboratæ.

893. Dicit enim Reus citato Responso ad *Articulum* 30. Interrogatoriorum, quod hæc objecerit Petro Tourteau, *qui*, ait, *animose persistebat, se illos vidisse.*

894. Hæc Petri *animosa persistentia* prævalebat, ut persuadere vult Reus, constanti & circumstantiatæ assertioni dicti Eximii. Quis homo sensatus credat, id potuisse incidere in talem Doctorem Theologum?

895. Sed quare saltem Reus mox non inquisivit, num ea, quæ de absentia Clarissimi Domini van-Espen & morbo Domini Melis fuerant objecta, revera subsisterent? Respondet Reus in præfato Responso: *Et cum non exiret, non potuit examinare per se.*

896. O hominis impudentia! & inaudita licentia mentiendi! quasi vero hæc examinari non potuissent, nisi Reus *exivisset* & *per se inquisivisset* de absentia Domini van-Espen vel morbo Domini Melis! Nonne de his vel per quemcumque sibi notum Theologum, vel sui Ordinis Fratrem poterat sine ulla plane difficultate statim certior fieri?

897. Quidni potuisset rogare Dominum Parmentier sibi amicissimum ibidem præsentem:

tem: (ut ex hujus depositione *de 23. Maii* constat) ut dignaretur de hac absentia & morbo inquirere & sibi referre?

898. At noluit Reus hæc examinari, ut ipse fatetur in Responso ad Articulum 31. Interrogatoriorum.

899. Ubi interrogatus, *quomodo post hæc dicto Tourteau adhuc fidem habere potuerit, ubi tam splendide imposuerat Interrogato?* Audacter respondit: *quod non fuerit examinata absentia Clarissimi Domini van-Espen, & morbus assertus Eruditissimi Domini Melis.*

900. Nonne fatuus sit oportet, qui hic malam fidem & affectatam ignorantiam ipsius Rei non videat?

901. Jam effluxerant duo & amplius menses, intra quos de absentia Domini van-Espen & morbo asserto Domini Melis potuerat tam per se, quam per alios instrui, quando sub finem mensis Decembris dictus Petrus Tourteau ad Reum tulisse dicitur fictam Epistolam de 20. Septembris signatam Z. B. V. E. & inscriptam Eruditissimo Patri Ballexo, & per Reum die 14. Martii consignatam, ut fatetur in Responso ad Articulum 131. Interrogatoriorum.

902. Præterquam quod fides Petri jam debebat esse Reo suspecta ex illis, quæ per Eximium Dominum Renardi de absentia Domini van-Espen, & morbo Domini Melis erant relata, ipsa quoque hujus Epistolæ contenta fictionem aperte ingerebant.

903. Quod & ipse Reus non obscure fatetur, dum ad *Articulum* 134. Interrogatoriorum, qui erat: *An non videret, quod illa redoleret fictionem, & quare non adverterit fictionem?* Respondit: *Quia non occurrebat.*

904. Acutum Responsum! Reum de affectata ut minus ignorantia evidenter convincens.

905. Si enim Reus veritatem quæsivisset, atque bona fide processisset, nonne Epistolam tanti momenti, & tam extraordinariam sedulo considerasset, & omnia diligenter examinasset, & sic ipsa fictio in oculos incurrisset?

906. Sed Reo fictionis conscio & Architecto, nihil examinare placuit.

907. Illa, quæ de duplicato & deleta signatura sibi narratâ a Petro Tourteau asserit Reus in Responso ad *Articulum* 135. *& seq.* Interrogatoriorum, adeo apertam fictionem præferunt, ut tam facile Reus persuasurus sit se mente captum esse, quam illis, si a Petro dicta fuerint, fidem habuisse.

908. Denique nisi Reus fictionis conscius fuisset, quid ipsi facilius erat, quam per aliquem sibi familiarem sui Ordinis Patrem inquirere, num Clarissimus D. van-Espen aliquando ad dictum Patrem Ballexo scripsisset? Sed nihil curavit Reus, cui mysterium iniquitatis ab initio patuerat.

909. Perrexit interim Reus Petrum pro Scriba impendere; quin & tanta familia ritate colere & fovere, ut ipsum secum mensæ assidere permitteret.

910. Et quidem ipso die 10. Januarii, quo famosa Epistola ad D. Pastorem S. Catharinæ scripta fingitur sub dictamine dicti Clarissimi, & circa horam quintam ejusdem diei ad Reum allata, ipse Petrus apud Reum fuerat in prandio, uti narrat ipse Reus in sæpe citato Scripto *Vera & sincera relatio.*

911. Et quidem tantæ apud Reum fidei perseverabat esse Petrus, ut ex sola ejus fide Epistolam illam de 10. Januarii sua privata auctoritate, nemine consulto, aperire non dubitaverit, tametsi, si Reo credimus, eam apud Cursorem interceptam diceret Petrus; essetque ad Reum tanquam *membrum*, quin & *Vice-Decanum* Sacræ Facultatis allata; pluresque concurrerent circumstantiæ, quæ fictionem omni homini sensato palam ostentarent, uti supra *Capite* 2. late ostensum est.

912. Aliquot diebus post allatam famosam hanc Epistolam, rursus ad Reum accurrit Petrus cum fasciculo de 12. Januarii, cui inclusus erat Liber Congregationum & Resolutionum cum horrendo Formulario de mense Junio, ac duplici impresso, cui titulus: *Deductio Rationum &c.* adjuncta Epistola de 13. Januarii signata Z. B. V. E. & inscripta Jacobo Ignatio Krys Amstelodami, uti narrat Reus in præcitato Scripto: *Vera & sincera Relatio.*

913. Describit & in eodem Scripto, quomodo Petrus dictum pacquetum in granario Clarissimi D. van-Espen surripuerit & Reo attulerit.

914. Qui modus cum suis circumstantiis tam est stultus & exoticus, ut Reus facilius probaturus sit, se tunc delirasse, quam Petro hæc referenti fidem habuisse, uti supra Capite 3. Articulo 483. & sequentibus Actor fusius deduxit.

915. Interim dum hæc, aliaque in hoc fictionis negotio inter Petrum & Reum aguntur, Clarissimus Bruxellis existens, mittit copiam famosæ Epistolæ de decima Januarii, ad Dominum Canonicum Vivien, qui eandem die 22. Januarii communicat D. Licentiato Opstraet, qui eodem die eam tradit Eximio D. Daelman, ut eam communicaret Sacræ Facultati.

916. Itaque die sequenti 23. Januarii dictus Eximius eam copiam exhibet Facultati in Corpore congregatæ præsente ipso Reo.

917. Facultas autem visa hac copia cupidissimam se ostendebat videndi originale, ut eo viso posset forsan ex charactere dignoscere Scriptorem & Auctorem.

918. Reus præsens originalem Epistolam viderat die 10. Januarii, eamque aperuerat & apud se in diem sequentem retinuerat; quin & copias authenticas fieri jusserat, Scriptoremque non tantum ex charactere, sed & ex propria confessione noverat; & tamen quasi omnium illorum ignarus, alto silentio omnia hæc premebat, ne quidem in *generali* aliquid Facultati indicando, cum tamen, si ipsi credimus, hæc Epistola ad ipsum tanquam *Vice-Decanum* ejusdem Facultatis esset allata.

919. Imo, quod amplius est, *ipse Reus cum Stricta Facultate misit rogari dictum Licentiatum Opstraet, ut curaret reproduci originale cum promissione detegendi scriptorem ad convincendam fictionem, vel factionem*: uti asserit Reus ad *Articulum* 13. *Interrogatoriorum*.

920. Missus fuit Bedellus eum in finem ad D. Opstraet, ex resolutione Facultatis, cui Reus interfuerat die 28. & 31. Januarii & 4. Februarii, quando jam ipse Reus habebat declarationem Petri Tourteau coram Notario van Dormael de die 27. Januarii & per Reum exhibitam cum Responso ulteriori *sub num. 6.* qua declarabat Tourteau, se Epistolam hanc scripsisse sub dictamine Domini van-Espen.

921. Nihil tamen Reus omnium illorum Facultati aperit, sed quasi omnium gnarus, una cum aliis Doctoribus cupidum se exhibet videndi originale, ut *Scriptor* dignosci posset, uti hæc fusius deduxit Actor Capite 2. Art. 247. & sequentibus.

922. Hæc sane Rei vafrities, ne dicam infanda nequitia, luce meridiana clarius ostendit, Reum pessima fide in hoc fictionis negotio processisse.

923. Si enim vel micam bonæ fidei habuisset, nonne Facultati dictam Actam ostendisset, & exposuisset qualiter per dictum Petrum hæc sibi tanquam *Vice-decano* fuissent allata & denuntiata?

924. Sed cavebat hæc revelare, non dubitans, certo fore ut fictitium hoc opus, quod huc usque produxerat, destrueretur fictione detecta.

925. Hactenus Doctores S. Facultatis nihil præter hanc dictæ Epistolæ copiam de toto hoc negotio viderant aut audiverant.

926. Nihil enim Doctoribus etiam sibi amicissimis Reus hactenus significaverat de Libro Resolutionum aliisque fictis litteris per Petrum sibi (ut asserit) allatis, sed demum sub finem Januarii & initium Februarii aliqua licet admodum obscure fidissimis suis amicis, scilicet Doctoribus Damen, Daelman & Parmentier, nec non Licentiato Pauwels Plebano Sancti Petri, communicare cœpit, uti ex horum depositionibus de 23. & 24. Maii ostendit Actor Capite 2. Art. 221. & sequentibus.

927. Prædicti amici, etiam ex illis, quæ obscure & superficie tenus communicaverat Reus, circa veritatem eorum se hærere dicebant: imo Dominus Daelman & Plebanus aliis oculatiores, aperte significabant, se omnia habere pro fictis & falsis, licet Reus omnia ut certa & indubitata proferret.

928. Horum Doctorum & amicorum, in hoc negotio minime suspectorum, judicio spreto, pergit constanter Reus in negotio fictionis jam inchoato, unico licet Petri Tourteau testimonio fixus.

929. Post horum enim amicorum judicium de fictione Litterarum & Libri Resolutionum, sub initium Februarii admisit adhuc Reus ex sola fide hujus miserabilis instru-

instrumenti litteras minatorias & conspiratorias de tertia, quinta, & octava Februarii, quarum fictio vel ex ipsa earum inspectione omni homini sensato, nisi fictionis socio, manifesta fuisset, uti latius Capite 4. Art. 543. & sequentibus deduxit Actor.

930. Imo Reus, licet de fictione totius negotii ab intimis amicis monitus, has suspectas & fictionem palam præferentes Litteras non tantum a Petro recepit, & legit; sed ad *Altiores Potestates* misit, uti non obscure fatetur in Responso personali *ad Articulum* 11. Libelli Gravaminum, & expressius *Articulo* 166. Responsi ulterioris.

931. An hic in Reo vel species bonæ fidei est? an non potius apparet scelestissima libido malis artibus opprimendi prætensos Conspiratores?

932. Dum ita in negotio fictitio pergeret Reus, pluraque tanquam certa narraret amicis, quæ tamen ut ficta & falsa habebant, tandem instante D. Doctore Damen venit Lovanium Amplissimus Dominus van Susteren Vicarius Generalis Archiepiscopi Mechliniensis, qui feria sexta primæ hebdomadæ Jubilæi, idest, undecima Februarii sub vesperam, una cum dicto Doctore Damen accessit ipsum Reum, *ubi collatis Litteris famosis sub nomine Domini van-Espen, cum Originalibus Litteris ejusdem Domini van-Espen, quas Amplissimus Dominus van Susteren secum contulerat, dictus Amplissimus Dominus absolute in præsentia dicti Doctoris & ipsius Rei judicavit totam esse falsum & fictum*, uti deponit dictus Dominus Damen in forma probante die 22. Junii 1707.

933. Et idem sibi retulisse dictum Amplissimum Dominum van Susteren, deponunt Licentiatus Pauwels Plebanus, & Eximius Dominus Daelman die 21. Junii 1707.

934. Quis non credidisset, fore ut saltem huic *absoluto* judicio hujus Amplissimi Domini acquiesceret Reus?

935. Nec enim ignorare poterat Reus, nequaquam tam favorabilem esse hunc Amplissimum prætensis Conspiratoribus & Jansenistis in hoc negotio comparentibus, ut ipse in eorum favorem ullam speciem veritatis neglecturus fuisset; nec tale judicium de omnibus his instrumentis mirum in modum prætensos Jansenistas gravantibus laturus, nisi adeo manifesta esset horum instrumentorum fictio, ut in oculos incurreret, nec hominem, licet maxime præventum, fugere posset.

936. Si Reus bona fide processisset; nihilque nisi bonum finem & rei veritatem intendisset mittendo copias ad Altiores Potestates, nonne has Altiores Potestates, quibus has copias communicaverat, quasque per hæc instrumenta sinistre informaverat, melius informasset, & ex eorum animis delere præventionem studuisset, fictione ex judicio tantorum virorum omni exceptione majorum jam detecta?

937. Verum Reus in perficiendo hoc opere totus obfirmatus, novas nec minus horrendas machinas impendit, ut huic suo inchoato negotio vel umbram saltem veritatis affingeret, & Clarissimum Dominum van-Espen, qui in hoc negotio primas partes obtinebat, vel in speciem Auctorem Libri Congregationum & fictarum litterarum faceret.

938. Hunc in finem statim post detectam per Amplissimum D. van Susteren fictionem ex collatione Litterarum originalium ipsius Clarissimi cum fictitiis, cogitavit tentare Jacobum le Jeune famulum dicti Clarissimi, mittens ad eum 12. & 16. Februarii ipsum Petrum Tourteau fidissimum suum ministrum, ut famulum ad Reum conaretur adducere: non dubitans, quin per vafras interrogationes facile aliquid expiscaturus esset ex illo famulo, quod confirmando ficto operi saltem in speciem servire posset, uti Capite 3. Art. 338. ostensum est.

939. Die decima quarta ad Clarissimum misit Tourteau seniorem, Patrem dicti Petri, ut interrogaret Clarissimum, num filius suus aliquando pro ipso, aut sub ipsius dictamine scripsisset, ac mansisset pro hac impensa opera filio suo debitor?

940. Quis non putaret, Reum hic tandem voluisse veritatem inquirere? Sed nihil minus intendebat, ut eventus ostendit. Retulerat dictus Tourteau senior, Clarissimum simpliciter & absolute respondisse, filium suum Petrum nunquam sub ejus dictamine aut pro ipso scripsisse; & consequenter nihil se ipsi pro impensa opera debere.

 941. At

941. At Reus nequaquam intentus ad intelligendam veritatem, sed quomodo aliquid vel in speciem inveniret, quod firmando fictitio operi servire posset, hoc categoricum & apertum responsum Clarissimi neglexit, verba quædam æquivoca & plane innocentia ad alienum sensum retorquens, uti supra Capite tertio Articulo 350. & sequentibus ostendit Actor.

942. Sed hæc parva sunt, si attendatur ad mendacia & fallacias, quibus Clarissimum circumvenire & illaqueare, & fictitio operi veritatem affingere studuit per Patrem Leopoldum a S. Theresia Carmelitam Discalceatum.

943. Accessit hic Pater ex commissione ipsius Rei Clarissimum Dominum die duodecima Februarii die Sabbati primæ hebdomadæ Jubilæi novissimi, idque sub horam undecimam in Scholis publicis post Repetitionem in ordine ad gradum Licentiæ in Jure, uti declaravit Clarissimus octava Martii coram Vice-Provinciali Patrum Discalceatorum, præsente ipso Patre Leopoldo, & duobus Professoribus Philosophiæ, quam declarationem dictus Clarissimus in forma probante recognovit.

944. Dicit quidem Reus, quod hic Pater demum ad Clarissimum venerit die decima sexta Februarii, sive die Mercurii secundæ hebdomadæ Jubilæi novissimi: idemque deponunt dictus Pater Leopoldus, ejusque Frater Pater Silvanus.

945. Si hæc varietas datæ sive diei, qua primum accessit Clarissimum, aliquid ad elucidationem hujus causæ conducere posset; Actor paratus esset probare, quod vera sit in hoc Articulo declaratio dicti Clarissimi, quod nimirum dictus Pater accesserit primum duodecima Februarii cum esset dies Sabbati post Repetitionem cujusdam Martini *Maenen* Falcoburgensis Repetentis de *Pignoribus & Hypothecis*; non autem die decima sexta: sed non credit Actor, quod hæc diversitas circa diem accessus quidquam mutare queat in hac causa: quare ponet, tametsi falso, Patrem Leopoldum demum die 16. Februarii Clarissimum accessisse.

946. Constat, hunc Patrem Leopoldum ad Clarissimum per Reum missum fuisse, ut ageret de restitutione fasciculi de 13. Januarii, quem, si Reo fides sit, Petrus Tourteau Reo attulerat in Januario tanquam a se surreptum in granario Clarissimi Domini.

947. Præterea constat, hunc fasciculum eodem die, quo Reus illum sibi allatum dicit, scilicet 27. Januarii, fuisse apertum in cubiculo Rei, & ibidem contenta in eodem inventarizata per Notarium van Dormael.

948. Ulterius, contenta sic inventarizata sub alio cooperculo reposita mansisse semper apud Reum usque ad 8. Martii, quo per ignotos cum aliis fasciculis missa fuerunt ad Magnificum Dominum Rectorem.

949. Neque Patrem Grauwels Minoritam, cui Petrus die 15. Februarii erat confessus, unquam hunc fasciculum vidisse, aut Petrum unquam de illo huic Patri fuisse loquutum.

950. Et tamen Patrem Leopoldum fuisse missum ad Clarissimum, ut tractaret omnia tanquam procedentia ex secreto sive sigillo confessionis factæ dicto Patri Grauwels, qui tamen nihil de hoc fasciculo audiverat, nec unquam Reo de illo loquutus fuerat, uti late exposuit Actor Capite tertio Art. 449. & sequentibus, ubi ostenditur, quantis fallaciis instructus ad Clarissimum missus sit hic Pater, & quam horrendo modo sigillo Confessionis & Sacramento Pœnitentiæ abusus fuerit Reus, ut Clarissimum caperet in sermone, & sic aliquid inveniret, quo fictitium suum opus vel in speciem assereret.

951. Interea dum hæc nefanda tragœdia per hunc Emissarium agitur, evocari facit, per Petrum Tourteau suum semper fidissimum Ministrum, Magnificum Dominum Rectorem, qui tunc erat Consultissimus Dominus Leunckens.

952. Hic accessit Reum die vigesima tertia Februarii inter quartam & quintam pomeridianam, cui omnia tam obscure & æquivoce sub secreto naturali narravit, ut satis appareat, quod potius ad deceptionem, quam ad cognoscendam veritatem, vel negotium sincere aperiendum fuerit evocatus, uti supra Capite 5. Art. 691. & sequentibus deduxit Actor.

953. Interim ex ipso Rectore suo legitimo

mo superiore & judice tunc 23. Februarii inter *quartam* & *quintam* duo intellexit.

954. Primum, quod signatura Clarissimi Domini, prout erat efformata in fictitiis litteris, esset conficta, nec esset conformis characteri dicti Clarissimi, quem ad majorem certitudinem ipsi Reo dedit dictus Magnificus, uti ex Interrogatoriis dicto Consultissimo Ex-Rectore per Reum propositis constat.

955. Secundo ex ipso tunc Rectore intellexit, falsum esse, quod ipsi a Petro Tourteau dictum fuerat; scilicet Petrum intercepisse litteras Domini Grasper ex Domo Cursoris de *scitu* & *licentia* Rectoris, uti latius notatum est dicto Capite 5. Articulo 693. & sequentibus.

956. An saltem sic per ipsum Rectorem de fictione & falsitate instructus ab incepto opere destitit, & juvenem tam splendide & horrendo modo imponentem abegit? Nullo modo: sed operi perficiendo constanter institit, & opera hujus insignis instrumenti uti perrexit.

957. Eadem die, scilicet *vigesima tertia Februarii* VESPERI post discessum Rectoris Petrus Reum accessit cum *tertio* fasciculo Litterarum Domini Grasper e domo Cursoris surrepto, quem Reus eodem modo, quo ante binos litterarum fasciculos similiter e domo Cursoria malis artibus receperat, lætus admisit, & penes se retinuit, pro suo arbitrio eo utens: tametsi jam per Rectorem intellexisset Petri fictiones & falsitates, splendidaque mendacia.

958. Ad nihil scilicet intentus erat Reus, nisi ut opus suum quocumque tandem modo efformaret, & aliquam ei veritatis umbram affingeret.

959. Unde & post detectam & ipsi manifestatam tam per Dominum van Susteren, quam ipsummet Rectorem Universitatis totius hujus negotii falsitatem & fictionem aggressus est insulsam illam & nequissimam *Concordantiam* inter litteras Domini Grasper apud Cursorem interceptas & fictitia instrumenta præsertim Epistolam de 10. Februarii & Librum Resolutionum, licet eorum fictio ipsi per Dominum van Susteren & Rectorem Magnificum objecta & ostensa esset.

960. Ex hac interim Concordantia patescit, quomodo Reus intentus fuerit undequaque exsugere, quod huic fictitio operi speciem aliquam daret.

961. Habemus ulterius ex litteris Rei datis prima & secunda Martii ad dictum Patrem Leopoldum & per Reum in Judicio recognitis, qualiter ad decipiendum & ducendum in errorem Clarissimum Dominum van-Espen instruxerit sæpe dictum Patrem Leopoldum, scripseritque *se gaudere, quod hic Clarissimus esset in errore;* prout hæc latius deduxit & Rei nequitiam ostendit Actor citato Capite tertio Articulo 406. & sequentibus.

962. Imo etiam post indicatam ipsi Reo, tam per Dominum van Susteren, quam Rectorem Magnificum, aliosque sibi amicissimos, instrumentorum fictionem, & Petri falsitatem, obfirmatus mansit animus, per hoc efformatum suum opus adversarios suos prætensos Conspiratores vexandi, diffamandi, vel etiam, si posset, opprimendi, ita tamen, ut ipse lateret.

963. Hunc in finem tentavit inducere R. Patrem Matthiam Grauwels Minoritam, ut horum fictorum instrumentorum esset Denuntiator.

964. Ut hoc assequeretur, rursus impendit suum fidum ministrum Petrum Tourteau, eum mittens ad Confessionem ad hunc Patrem cum Libro Resolutionum, uti exponit dictus Petrus.

965. Interrogatus enim, *qua occasione ipse tulerit præfatum Librum Resolutionum ad R. P. Grauwels?* Respondit: *Se eum tulisse ad præfatum Patrem de suasu Eximii P. Desirant dicentis: Tradas hunc Librum originalem quasi Copiam Confessario tuo, qui tunc me accedet, & tum ipsi consulam ut denuntiet.*

966. Complura sunt quæ probant hanc Petri depositionem esse sinceram.

967. In primis dictus P. Grauwels productus ex parte Rei deposuit 21. Julii ad *Art.* 60. & 64. quod dictus Petrus *non nisi illo die* 15. *Februarii fuerit sibi confessus.*

968. Porro verisimile non est, futurum fuisse, ut *proprio motu* hunc Confessarium, rejecto suo ordinario, in re tanti momenti accederet, nisi Reus hunc ipsi suggessisset tanquam sibi notum, & ad exequendum

inita

inita inter Petrum & Reum contra prætensos Jansenistas consilia apprime idoneum.

969. Et quis qualisque esset hic Pater, sufficienter ipse insinuat in Acta de 4. Martii per Reum 2. Maii 1707. consignata & inventarizata in Actis sub *Litteris YY.* ubi Patrem Desirant & alios de Facultate Theologica vocat, de *Parte Romano-Catholica* : quasi reliqui minus essent *Romano-Catholici*.

970. Quod antem Reus desideraverit, ut hic Pater esset fictitii hujus negotii Denuntiator, habetur in primis ex allegata Acta de 4. Martii, ubi asserit, quod allatum ad se Librum contulerit & cum Reo egerit *ad detegendam veritatem & instituendam* Denuntiationem.

971. Deponit insuper dictus Pater Grauwels die 14. Martii 1707. quod circa sextam Martii ipsum accesserit Petrus Tourteau cum majori fasciculo, cui omnia ficta instrumenta, item Litteræ Grasper erant inclusa, quod est annotatum sub numero 1.

972. Rursus idem Pater interrogatus, *An dictus Petrus Nicolaus Tourteau non requisiverit Deponentem, ut ferret dictum pacquetum* majus *annotatum sub Num.* 1. *ad Magnificum Dominum Rectorem?* Respondit: *Se accepisse pacquetum, sed noluisse deferre ad Magnificum Dominum: unde postea delatum est ad Eximium Patrem Desirant per Deponentem vel socium.*

973. Ex his manifestum est, dictum Patrem Grauwels non dubitasse, quin hæc solicitatio ad faciendam *Denuntiationem* fieret per Reum, ipseque esset totius hujus negotii Director: ut propterea nec dubitaverit, quin ad ipsum Reum referrendum esset *pacquetum*, ut ipse de modo denuntiationis despiceret.

974. Fatetur quoque Reus ad *Articulum 61.* quod deliberationes complures habuerit cum dicto Patre super modo Denuntiationis; quodque ipsum eum in finem adduxerit ad Collegium Trilingue.

975. Si Reus bona fide in hoc negotio procedebat, credebatque hæc instrumenta sincera esse, sibique tanquam Vice-Decano Sacræ Facultatis allata; quare tam studiose hunc Patrem ad faciendam Denuntiationem sollicitabat? Cur hunc fasciculum cum omnibus acclusis non dedit Sacræ Facultati, ut per eam potius, quam per dictum Patrem fieret Denuntiatio, quæ tunc indubie majore auctoritate facta fuisset?

976. Sed noverat Reus, hanc denuntiationem non esse sperandam a Facultate: quandoquidem jam ejus amicissimi & prætensis Jansenistis minime favorabiles judicassent, omnia esse fictitia, tametsi non nisi obscure negotium ipsis fuisset expositum. Hunc autem Patrem credebat satis simplicem & contra prætensos Jansenistas præventum, ut cæco modo & sine examine hanc denuntiationem susciperet.

977. At ipsum opinio sua fefellit.

978. Nam hic Pater forsan fictionem subodoratus, vel a suis monitus ne scabioso huic negotio se involveret, Denuntiationem facere recusavit.

979. Reus autem omni modo hoc opus perficere solicitus, præsertim propter novum recenter ultima Februarii electum Rectorem, quem opera & favore suorum Amicorum ad Lectionem Medicam promotum sciebat, alium Denuntiationis modum excogitavit: scilicet per aliquos incognitos; & modo, quo poterat, secretiore.

980. Inscriptionem majoris pacqueti uti & minorum eidem inclusorum scripsit ejus Amanuensis Pater d'Herbe, charactere tamen insolito, idque sub dictamine ipsius Rei, uti fatetur ipse Reus ad *Articulum* 59. Interrogatoriorum.

981. Pacquetum sic inscriptum, & ad denuntiandum paratum, latum fuit die 8. Martii sub vesperam ad ædes Domini Rectoris per duos ignotos milites.

982. Hinc rursus videt Magnificentia Vestra malam conscientiam Rei, quæ tenebras quærit, negotiumque tenebrarum sub ignotis militibus tegere studuit.

983. Et quidem tantæ impudentiæ fuit, ut hæc facere attentarit postquam etiam de fictione horum instrumentorum & mendaciis Petri Tourteau fuerat plane informatus, & certior factus per Amplissimum Dominum van Susteren die 11. Februarii, & per Magnificum Dominum Rectorem die 23. ejusdem mensis; & consequenter noverat, fictionem his Dominis esse notam.

984. Quin adeo etiam post sic detectam fictionem fovit Petrum tanquam in hoc opere

opere suum fidissimum Ministrum, ut *ea ipsa die* 5. *Martii*, quando fuit vocatus ad Magnificum Dominum Rectorem, & falsum Testimonium dedit contra Clarissimum Dominum van-Espen, apud ipsum Reum prandisset, & largiori haustu vini fuisset exceptus, uti non tantum ex ipsius Petri depositione, sed & Rei Responso ad *Articulum* 119. Interrogatoriorum constat.

985. Sub idem indubie tempus Petrum instruxit, quomodo cum restrictione mentali jurare posset, eum in finem ei tradendo Responsa Zypæi, ut latius Capite sexto deduxit Actor.

986. Ulterius postquam Petrus in judicio in tantum esset de falsitate convictus, ut decretum apprehensionis contra personam ipsius esset latum, nec tunc carissimum suum in fictitio opere socium deserere voluit, ipsi suadens, ut pro loco asyli acciperet Conventum Carmelitarum ad S. Catharinam, uti fatetur & narrat Reus in Responso ad *Articulum* 123. Interrogatoriorum.

987. Eundem ibidem existentem fovit, etiam pro expensis ipsius respondendo, uti fatetur ad *Articulum* 124. Interrogatoriorum.

988. Quin & quod amplius est, ipsi varias subministravit instructiones, quibus se a convictione falsitatis & fictionis tueri posset; minutasque Actarum & Declarationum, quas Petrus in suam defensionem in judicio exhibuit, correxit, correctas per seniorem Tourteau ad filium misit, quæ non tantum habentur ex depositione senioris Tourteau de prima Aprilis 1707. sed etiam ex Responsis ipsius Rei, nominatim ad *Articulos* 128. & 129. Interrogat.

989. Ita usque in finem hoc opus & operis instrumentum sustinere studuit Reus, quousque instrumento & misero operis fundamento subsidente, opus suum ulterius sustinere non potuit: nimirum postquam Petrus pœnitentia ductus mysterium iniquitatis palam cum omnibus suis circumstantiis revelare cœpit.

990. Tunc desperans Reus de operis consummatione & adversariorum suorum per illud intenta oppressione, unice cogitare cœpit, quibus artificiis præmuniret, ne sub ruina ædificii & operis ipse opprimeretur.

991. Non dubitat Actor, quin ex hactenus deductis evidens futurum sit Magnificentiæ Vestræ, quod Reus ab initio hujus negotii, sive a mense Octobri, quo Petrus Tourteau, si Reo credimus, de prætensis Jansenistarum Congregationibus ipsi loqui cœpit, fuerit in mala fide, & affectata ignorantia; sciveritque, omnia esse falsa & ficta.

992. Ulterius videt Magnificentia Vestra, quod Reus omnibus his fictis instrumentis usus sit; imo & tanquam sincera & vera denuntiari curaverit Magnifico Domino, postquam certus esset de eorum fictione & falsitate, & mendaciis dicti Tourteau.

993. Præterea quod Reus, etiam post ipsi demonstratam & intimatam fictionem & falsitatem, totum se impenderit, mediaque etiam nefanda excogitaverit, adhibueritque, quibus hoc fictitium opus sustinere posset, eique aliquam veritatis umbram affingere.

994. Quis vere sensatus vel dubitabit, illum esse operis Architectum & primarium Auctorem, quem ita sollicitum videt operi perficiendo & sustinendo, ut talia etiam nefanda media impendat, qualia Reus in finem usque impendit?

995. Si vero vel Petro vel Reo hic monstrosus fœtus adjudicandus sit, quis homo sanæ mentis non judicabit, eum potius Reo quam Petro adjudicandum esse?

996. Reus enim est, qui totum se impendit, mediaque excogitavit, quibus hunc fœtum sustineret & formaret;

997. Reus est, qui Petrum ad famulum Clarissimi Domini misit;

998. Reus est, qui seniorem Tourteau ad Clarissimum misit;

999. Similiter Reus est, qui Patrem Leopoldum tot mendaciis & fallaciis instruxit, & sic instructum ad dictum Clarissimum destinavit;

1000. Ipse est, non autem Petrus, qui ad denuntiandum hæc fictitia instrumenta solicitavit Patrem Grauwels;

1001. Denique ipse est, qui denuntiationem tandem perfecit.

1002. Si ergo sapientissimus Rex Salomon non dubitaverit adjudicare prolem vivam

vam mulieri, cujus viscera super ea moveri conspiciebat; quidni & Judex hunc fœtum adjudicet Reo, qui tanto affectu & studio fœtum hunc sustinuit, & ne interiret tam sollicite cavit, ut perspicuum sit, quod eum in visceribus suis continuo portaverit.

CAPUT NONUM.

Mendaciorum & falsitatum convincitur Reus.

1003. Plurima narrat Reus, quorum falsitas ex circumstantiis & modo narrandi in oculos incurrit; & nonnulla tanquam sibi a Petro Tourteau relata, quæ Petrus a se dicta constanter negat circumstantias addens, quæ dictorum suorum veritatem quodammodo legentibus obiiciunt, & e contra falsitatem ex parte Rei palpabilem reddunt, prout in hac Conclusione finali sæpius annotatum est.

1004. His nihilominus omissis, solas falsitates & contradictiones referre constituit Actor, de quibus vel per propriam confessionem vel per depositionem testium omni exceptione majorum, & quos ipsemet produxit, convincitur.

1005. In primis Reus ad Articulum quintum Interrogatoriorum dixit, quod die *undecima* Januarii 1707., idest, immediate sequente eam qua Epistolam de decima Januarii accepit, illam communicaverat ad capiendum consilium *Doctoribus Parmentier, Damen, & Domino Plebano*. Et ad Articulum 13. dixit, quod hæc consilia *cum prædictis de Stricta Facultate duraverint usque ad vigesimam tertiam Januarii.*

1006. Hic falsitatis & mendacii convincitur Reus ex depositione dictorum Dominorum, qui tum singuli, tum simul cum aliis de Stricta Facultate Doctoribus deposuerunt, nihil se unquam audivisse de hac Epistola ante 23. Januarii, quando ejus copia Facultati exhibita fuit, non per Reum, sed per Dominum Daelman, qui eam acceperat a Licentiato Opstraet:

1007. Item ex propria confessione Rei, qui sibi in mendaciis non constans, in Responso ulteriore Articulo 399. fatetur, *quod ex parte sua nihil revelatum fuerit, ne quidem Eximiis Dominis Damen, Daelman, & Plebano & aliis, usque ad 23. Januarii*. Hæc omnia deduxit Actor *Capite* 2. Articulo 225. & seq.

1008. Ulterius interrogatus dicto Articulo 13., *Quare loco quod remitteret Epistolam dictam* (de decima Januarii) *ad Cursorem, non misit ad Magnificum Dominum Rectorem, ut Auctor hujus facinoris propria manu convinceretur, puniretur cum omnibus suis complicibus, & Congregationes & Conspirationes tales dissiparentur?* Respondit: *Quod in re tanti momenti judicaverit præmittenda consilia cum prædictis de Stricta Facultate.*

1009. Falsitatis convincitur ex depositione Doctorum Damen, Daelman, & Parmentier, & Domini Pauwels Plebani, in depositione die 23. & 24. Maii ad Articulum *quartum*, qui erat: *An dictus Pater Desirant. cum Domino Deponente vel cum aliis inïverit consilia, an Epistola de decima Januarii 1707. esset communicanda Magnifico Domino Rectori, & an hæc consilia duraverint usque ad 23. Januarii?* ubi unanimiter deponunt, *Se nihil de dato vel petito consilio scire*; uti dicto *Capite* 2. latius exposuit.

1010. Ad Articulum 15. Interrogatoriorum dixit, quod dum misit copias Epistolæ de decima Januarii & Libri Resolutionum ad Altiores Potestates, non adhibuerit quidem *consilium Corporis Facultatis, sed tantum aliquorum.*

1011. Quantum ad secundam partem, qua significat, se in hac missione ad *Altiores Potestates* adhibuisse consilium *aliquorum de Facultate*, mendacii convincitur ex eorumdem Dominorum depositione (quibus solis, tanquam fidis suis amicis aliqua de hoc fictitio negotio communicavit) ad Articulum quintum qui erat, *An de consilio D. Deponentis eadem Epistola missa sit ad Altiores Potestates?*

1012. Ad hunc Articulum respondit D. Parmentier: *Se nunquam dedisse illud consilium, nec scivisse id fieri, scivit autem post factum, missam esse copiam ad Illustrissimos DD. Internuntium & Archiepiscopum*. Reliqui simpliciter responderunt *negative.*

1013. Interrogatus Articulo 35. *An adhi-*

adhibuerit aliquas diligentias ad veritatem indagandam, & quas? Respondit: *Se adhibuisse consilia Amicorum.*

1014. Interrogati amici unanimiter deposuerunt ad Articulum septimum: *Nullum consilium petitum vel datum esse.*

1015. Ad Articulum 33. Interrogatoriorum dixit, quod de veritate Epistolæ de decima Februarii *licet ipse dubitaret, tamen alii dicerent se non dubitare.*

1016. Super hoc Articulo interrogati prædicti Amici deposuerunt unanimiter ad *Articulum sextum*, quod nunquam viderint Reum de veritate hujus Epistolæ dubitare.

1017. Imo deponit D. Plebanus, quod Reus *e contra semper dixerit, se non dubitare de veritate illius Epistolæ*: & Dominus Damen dixit, quod *Reus nunquam dixerit, se dubitare de veritate Epistolæ, sed e contra ostendit, se persuasum de veritate illius Epistolæ*: addens, *Deponentem semper declarasse quod dubitaret de veritate illius.*

1018. Dominus Daelman deponit, quod nunquam dixerit Reus Deponenti, *se dubitare de veritate; quin e contrario sæpius dixerit Deponenti, se velle esse tam securum de sua salute, quam de veritate istius Epistolæ.*

1019. Judicet Magnificentia Vestra, quam speciem veritatis habeat quod respondet ad Articulum 57. quod nulli unquam miserit copiam Libri Resolutionum *tanquam rem certam, sed semper addiderit, adhiberi diligentias pro invenienda veritate.*

1020. Quantum ad secundam partem, quod scilicet *alii dicerent se non dubitare*, dixit D. Daelman, *se hoc nunquam dixisse Patri Desirant, nec scire aliquem, qui hoc ipsi dixerit.*

1021. En quam turpia mendacia! sed nondum finis. Interrogatus enim *Articulo* 35. *Quare omnia etiam non ostenderit Eximio Domino Renardi, cui est Eximius Pater admodum familiaris?* Respondit: *Quia alii amici dissuadebant.*

1022. Interrogati amici rursus Reum falsitatis convincunt, nihil de simili dissuasione se scire asserentes ad *Articulum octavum*; additque Dominus Daelman: *Se nescire, quod unquam fuerit facta mentio de Eximio Domino Renardi quoad hoc negotium.*

1023. Articulo 40. interrogatus, quare non egerit *cum aliquibus vel aliquo ex prætensis illis conspiratoribus per se vel per alium, ad detegendam veritatem?* Respondit: *Propter compromissum cum amicis.*

1024. Turpe rursus mendacium, ut constat ex depositione amicorum, qui interrogati *Articulo nono* qui erat: *Num inierint aliquod simile compromissum cum Patre Desirant, aut sciant dictum Patrem habuisse compromissum aliquod cum amicis?* Responderunt: *Se nihil de simili compromisso scire.*

1025. Rursus ad Articulum 60. Interrogatoriorum dixit Reus, *quod dictaverit propositos Titulos pro duobus pacquetis, ponens Titulos juxta intentionem Sacræ Facultatis ad detegendam veritatem.*

1026. Super hoc interrogati prædicti Doctores & amici, ad *Articulum* 13. qui erat, *An Tituli pacquetorum inclusorum in majori pacqueto continente denuntiationem, facti sint de scitu & juxta intentionem Sacræ Facultatis?* Responderunt *negative, nec esse factos de scitu & juxta intentionem Sacræ Facultatis.* Respondit in primis D. Parmentier, *se nunquam vidisse illos Titulos, nisi in cubiculo Magnifici Domini Rectoris post denuntiationem factam, nec esse factam de intentione, aut scitu Sacræ Facultatis neque ipsius Deponentis.*

1027. Alii responderunt simpliciter *negative.*

1028. Hic videt Magnificentia Vestra, quot mendaciis & falsitatibus usus sit Reus etiam contra amicissimos suos Collegas, ut ipsos (imo & Facultatem ipsam) complices & socios hujus fictitii negotii redderet.

1029. Nec his contentus, mendacia mendaciis cumulavit.

1030. Interrogatus enim *Articulo* 46. An non miserit Patrem Leopoldum ad Dominum van Espen, ut ageret de pacqueto de 13. Januarii? respondit, *id ideo factum ut saltem per unum incognitum detegeret veritatem, & ut Clarissimus Dominus sciret factum, quod contra ipsum attentabatur.*

1031. Mendacii enim impudentissimi hic Reum convincunt propriæ ejus Epistolæ de

de prima & secunda Martii ad dictum Patrem Leopoldum, a Reo in judicio recognitæ.

1032. In his enim Patrem Leopoldum unice instruit, qualiter omnia ipsi Clarissimo tegere debeat, & eum in errorem inducere, nefanda audacia scribens: *Se gaudere quod Clarissimus esset in errore*: suggeritque Patri Leopoldo, quæ dicere debeat, ut Clarissimus in errore confirmetur.

1033. Cum Reus sciret, in fasciculo, de cujus restitutione agebatur, contineri horrendum Formulare de mense Junio, & Librum Resolutionum, nequissimam contra Statum & Religionem Conspirationem exhibentia, tamen diserte monet suum Emissarium, ut Clarissimo Domino dicat, *quod in istis chartis nihil forsan contineatur momentosi*.

1034. Et in aliis monet eundem suum Emissarium, ut simpliciter dicat Clarissimo, *quod viderit Librum Resolutionum in manibus alicujus alterius personæ, a qua accepit veniam hoc dicendi isti Viro, non tamen* (ait) *faciat mentionem illorum, quæ continentur, quia nullo modo est conveniens ut per Paternitatem vestram intelligat, quid in illo Libro habeatur*.

1035. Ecce quam sincere miserit Reus hunc Patrem, *ut Clarissimus Dominus sciret factum, quod contra ipsum attentabatur!*

1036. Unice rogat Actor Magnificentiam Vestram, ut has litteras integras evolvere & considerare, & cum omnibus, quæ inter dictum Leopoldum & Clarissimum acta esse, Capite 3. ostensum est, conferre dignetur; nec dubitat quin luce meridiana clarius cognitura sit, hanc missionem Patris Leopoldi ad Clarissimum unice a Reo fuisse inventam & executioni mandatam, ut Clarissimus in errorem & deceptionem induceretur.

1037. Qualiter ad hanc deceptionem abusus fuerit sigillo & secreto Confessionis, atque mendaciter asseruerit, a R. Patre Grauwels Reum electum esse ad restituendum fasciculum de 13. Januarii, ex licentia pœnitentis dicto Patri data, similiter probavit Actor citato *Capite* 3.

1038. Hinc & videt Magnificentia Vestra, quæ fides sit habenda Reo in suis dictis, præsertim nulla alia probatione aut conjectura subnixis, imo pluribus indiciis & argumentis de falsitate suspectis, uti sunt ea, quæ de sua *bona fide*, & *bono usu* continuo clamat, & reiterat Reus.

1039. Legantur Acta hujus causæ a capite ad calcem; nulla vel in speciem probatio *bonæ fidei* aut *boni usus* reperietur.

1040. Imo quæ Reus in probationem adducit, talia sunt, ut potius malam fidem adstruant: eo quod tam infirma & parum verisimilia sint, ut impossibile appareat, Reum hisce fidem habuisse.

1041. Sed hæc ex post facto ad obscurandum & involvendum negotium esse a Reo inventa & fabricata.

1042. Similiter ea, quæ de adhibita diligentia ad inquirendam veritatem inclamat Reus, unice innituntur ipsius dictis sine probatione.

1043. Quæcumque enim Reus se ad inquirendam veritatem egisse jactat, si propius attendantur, non tam ad eam detegendam, quam potius obscurandam, & fictitio operi aliquam veritatis umbram affingendam impensa esse, facile apparebit: ut in missione junioris Tourteau ad famulum Clarissimi Domini van-Espen, & senioris Tourteau, nec non Patris Leopoldi ad Clarissimum Dominum, atque evocatione Magnifici Domini Rectoris, ostendit Actor.

1044. Ut proinde quidquid in sui excusationem adduxit Reus, unice innitatur ipsius fidei tot mendaciis & falsitatibus labefactatæ.

CONCLUSIO.

1045. Duo sunt crimina, de quibus in hac criminali causa præcipue quæritur, & ad quæ cetera referuntur.

1046. Primum est crimen falsi, commissum in falsificatione signaturæ Clarissimi Domini van Espen, & confectione atque conscriptione plurium fictarum Epistolarum & Formulariorum sub ficta ejus signatura, nec non suppositione infamis & monstrosi partus, scilicet horrendi Libri Congregationum & Resolutionum, prædicto Clarissimo aliisque prætensis conspiratoribus in illo nominatim annotatis falso adscripti.

1047. De

1047. De ipso crimine *falsi* admisso hic non quæritur : hoc enim perpetratum esse, dictaque omnia instrumenta sub falsa & conficta signatura præfati Clarissimi conficta esse constat.

1048. Præterea instrumentum harum falsitatum & impiæ confictionis scitur ex ultronea & constanti Petri Nicolai Tourteau judiciali confessione, qui super hoc suo attentato crimine clementiam Judicis implorat.

1049. Unicè proinde inquiritur, quis harum falsitatum primarius Auctor & Instigator fuerit, atque hoc misero instrumento usus sit, illudve impenderit, induxeritque ad tam horrendum falsi crimen attentandum.

1050. Sperat autem Actor, fore ut ex Informationibus, Testium Depositionibus, productis Instrumentis, ipsius Rei propria confessione, ceterisque Actis & Actitatis hujus causæ, exposita sint in hac Conclusione Finali Magnificentiæ Vestræ indicia & argumenta, quibus luce meridiana clarius ostensum sit, Reum esse, qui prædictum Petrum Tourteau ad confingenda prædicta falsa instrumenta induxit, eoque in hoc toto fictitio negotio tanquam instrumento usus est, eumque direxit & instruxit.

1051. Quin nec temeritatis se arguendum sperat, si dicat, non facile repertum iri, ut quis talium criminum in occulto patrari consuetorum fuerit convictus tantis tamque evidentibus & concludentibus Indiciis & Argumentis, quam ipse Reus in hac causa convictus est criminum horum Auctor & Instigator primarius, atque totius hujus fictitii operis Director.

1052. Imo ex ipsa propria confessione Rei, ejusque propriis litteris in judicio recognitis, testiumqne depositione, directa probatione convictus est Reus.

1053. Primo, quod omnia falsa & ficta Instrumenta fuerint ad ipsum allata per dictum Petrum, idque (si Reo credimus) tanquam *membrum* imo *Vice-Decanum* sive *Seniorem* Facultatis Theologicæ.

1054. Secundo, quod ipse hæc omnia Instrumenta acceptaverit, & sibi retinuerit.

1055. Tertio, quod fictorum Instrumentorum complures copias etiam authenticas pro suo beneplacito fieri jusserit.

1056. Quarto, quod has copias partim sibi reservaverit, partim ad Altiores Potestates miserit, & quidem ad eas, quas noverat contra prætensos Conspiratores & Jansenistas esse præventas.

1057. Quinto, quod de his ipsis falsis instrumentis sua auctoritate tanquam suis privatim dispofuerit, alia sibi reservans, alia ad personam, cui inscripta erant, mittens, & copias duntaxat sibi reservans, uti de Epistola de 10. Januarii factum est, alia etiam, ut ipse asserit, comburens.

1058. Sexto, quod dicta instrumenta communicaverit Amicis tempore & modo, quibus ea communicari ad fines sibi propositos congruere judicabat.

1059. Septimo, quod tandem hæc ficta Instrumenta tribus distinctis minoribus fasciculis inclusa cum inscriptione ab ipsomet dictata & per suum Amanuensem Patrem d'Herbe charactere insolita scripta, uni majori fasciculo conclusa, fecerit die 8. Martii clancularie Magnifico Domino Rectori tanquam vera & sincera Instrumenta denuntiari.

1060. Octavo, probatur non tantum ex indiciis & conjecturis, sed etiam ex propria ipsius Rei confessione, ac propriis litteris ad Patrem Leopoldum in judicio recognitis, testiumque depositione, quod non tantum simpliciter falsis Instrumentis fuerit usus, sed quod insuper plura horrenda, quin & sacrilega media impenderit, (præsertim sacrum sigillum Confessionis) ut hisce falsis Instrumentis aliquam speciem veritatis affingeret, falsitatesque umbra sinceritatis adumbraret.

1061. Porro notum est Magnificentiæ Vestræ, crimen falsi non tantum ipsa falsificatione aut falsi instrumenti conscriptione committi, sed vel præcipue nefario usu falsi & conficti instrumenti.

1062. Neque enim tam nocet, & perniciem infert ipsa fictio aut confectio falsi instrumenti, quam ipse nefarius usus instrumenti.

1063. Unde ait Antonius Faber in Codice lib. 9. tit. 13. definit. 6. *Falsi pœna non minus tenetur, qui sciens falsis instrumentis utitur, quam qui falsitatis machinator* fuisse

fuisse probatur. Et in nota 2. definitionis decimæ: *Qui sciens, a quo falsum admissum fuerit, non potest nisi sciens usus fuisse falsis instrumentis, quæ res facit eum obnoxium pœnæ ordinariæ Corneliæ.*

1064. Similiter Julius Clarus lib. 4. Sentent. §. FALSUM Num. 18. ait: *Utens falso instrumento, dicitur falsum committere.*

1065. Notatque Antonius Matthæus de Criminibus lib. 48. tit. 7. N. 3. non solum eum, *qui Testamentum adulterinum fecerit, sed & qui eo usus fuerit, lege Cornelia teneri.*

1066. Et quid plura? Jampridem enim tanquam indubitatum asserit S. Ambrosius lib. 3. Offic. C. 11. lege publica falsi pœna teneri, qui falso utitur instrumento. *De eo loquor* (ait) *qui ex Testamento, quod ab aliis licet factum, falsum tamen cognoverit, hæreditatem sibi vel legatum vindicat, & lucrum quærit alieno crimine, cum leges publicæ eum qui sciens falso utitur, tanquam Reum adstringant facinoris.*

1067. Imo uti recte observat celeberrimus hujus Academiæ quondam Doctor & Legum Antecessor Antonius Perezius ad legem Corneliam de Falsis Num. 3. *Qui falso utitur instrumento, indubie præsumitur falsi Auctor, vel particeps criminis, nisi suam innocentiam probet.*

1068. Tantum autem abest, ut Reus in usu horum Instrumentorum suam innocentiam probaverit, ut potius ea ipsa, quibus suam innocentiam & bonam fidem adstruere voluit, ipsum de mala fide & nefario usu convincant, uti multis ostendit Actor toto Capite septimo.

1069. Et licet, ut Perezius notat, solus usus falsorum instrumentorum, ipsum falsi Auctorem vel participem criminis constituat, pœnisque falsi criminis obnoxium reddat, nisi ipse probet suam innocentiam, tametsi Actor malam fidem non probaret;

1070. Nihilominus ex abundanti probavit Actor in hac Finali Conclusione, non solum ex indiciis & argumentis indubitatis, sed & ex propria Rei confessione, & Testium depositione, præcipue Capite octavo, Reum toto tempore quatuor mensium, quibus hoc fictitium negotium duravit, fuisse in mala fide, notitiamque fictionis & falsitatis habuisse, pessimaque fide studuisse per nefaria etiam & excogitata media ad finem intentum perducere.

1071. Ut proinde nihil restet, quam ut declaretur Reus pœnam tanto crimini debitam incurrisse.

1072. Pœnam autem certam huic crimini generali lege decretam non esse passim notant Interpretes, eo quod variæ sint hujus criminis species, & quia ex varietate circumstantiarum, major vel minor est criminis hujus malitia.

1073. *Et sane* (ait Antonius Matthæus loco citato *Num.* 3.) *cum innumeræ prope falsi species sint, singulæque suis quibusdam modis aut aggraventur aut eleventur, longe æquior hæc vindicandi ratio est, quam si una eademque omnes pœna vindicarentur. Hanc ego* (pergit Matthæus) *causam existimo, cur J. C. quoque Veteres non uno loco responderint, crimen pro modo admissi vindicandum.*

1074. Quidquid sit de Veterum, circa pœnam hujus criminis, opinione; hoc constat, hodiernis moribus, præsertim Belgii, pœnam *falsi* esse arbitrariam, sive majorem vel minorem pro qualitate & enormitate admissi criminis.

1075. Ita notat citatus Antonius Perezius *Num.* 18. quod apud Veteres varia fuerit pœna pro diversitate falsi, *sicut* (ait) *variatur hodiernis moribus pro qualitate circumstantiarum.*

1076. Similiter Gudelinus de jure noviss. lib. 5. Capite 11. *numero* 4. scribit pœnam hujus criminis *hodie variari pro qualitate circumstantiarum.*

1077. Et novissime Dominus Libertus Christinæus in notis ad Bugnyon lib. 1. *Sat.* 189. multis citatis Pragmaticis notat, quod *criminis hujus pœna propter circumstantiæ varietatem fere arbitraria sit.*

1078. In præsenti autem casu, si crimen falsi cum suis circumstantiis rite expendatur, facile credit Actor, quod luce meridiana clarius apparebit, nullum in hac specie falsi facile reperiri posse gravius & execrabilius.

1079. In primis falsitas, non circa unum duntaxat instrumentum, sed plura distincta, & quidem diverso tempore, commissa reperitur; & his omnibus ipsum esse usum constat;

stat : ut proinde unum hoc crimen pro numero falsitatum multiplex merito reputetur.

1080. Materia, circa quam hoc *falsi* crimen versatur, gravitatem criminis mirum in modum aggravat.

1081. Omnia quippe falsa & conficta instrumenta unice tendebant, ut non unus duntaxat, sed supra viginti Viri præstantissimi Ecclesiastici tam Seculares quam Regulares, nec non Laici nonnulli Viri præclarissimi horrendæ contra Statum & Religionem conspirationis, & eum in finem nefandorum conventiculorum rei probarentur.

1082. Circa crimina attendendum quoque, quo animo & motivo criminis Auctor inductus sit: utrum scilicet subita aliqua passione, aut etiam premente paupertate, aut familiæ alendæ necessitate, quæ ad lucrum etiam malis artibus conquirendum subinde quemquam, tametsi animi non omnino perversi & corrupti, violenti quodam modo impellunt.

1083. At nihil simile hic occurrit: nec enim ex subita aliqua passione & commotione crimen hoc perpetratum est a Reo, sed animo plane pacato, integris sex mensibus, id est, a mense Octobri 1706. usque ad Martium 1707. huic fictitio operi perficiendo incubuit.

1084. Idque unice, ut circumstantiæ loquuntur, ex inveterato odio adversus Clarissimum Dominum van-Espen, aliosque ipsi prætense sociatos Conspiratores, nec non, quam sibi persuadebat a quibusdam sui Ordinis Patribus illatam injuriam, vindicandi libidine.

1085. Quod ad Personarum circumstantias attinet, hæc machinatus est Religiosus, Sacerdos, Doctor Theologus, Sacræ Facultatis ViceDecanus seu Regens senior, & in ea qualitate, ad alios in pietate & justitia erudiendum & formandum obstrictus.

1086. Idque adversus Consacerdotes, adversus ejusdem sui Ordinis præcipuos Patres, adversus ejusdem Academiæ Doctores & Alumnos, quibuscum pacem servare & concordiam fovere in sua Academica immatriculatione, juxta receptum morem, jurejurando se obstrinxerat.

1087. Attendenda præterea sunt media, quæ ad perficiendum & consummandum crimen, Auctor attentati criminis impendisse convincitur.

1088. Horrendas in primis fallacias, & media etiam sacrilega Reus impendisse noscitur, ut Clarissimum Dominum van-Espen circumveniret, & eum in sermone caperet, quo posset fictitio operi & falsis instrumentis fidem conciliare, umbramque aliquam veritatis affingere.

1089. Hæc si attendere dignetur Magnificentia Vestra, apparebit vel hoc ex capite execranda hujus criminis malitia.

1090. Accedit, quod & Petrum Tourteau juniorem annos vix natum novemdecim, pauperem & rerum omnium egenum, qui de domo in domum currere cogebatur ad scribendum Copias ad panem lucrandum, induxerit, ut hujus nefandi operis esset instrumentum, quin & ipsum ad pejerandum subministrato volumine Zypæi instruxerit.

1091. Non parum quoque Reum gravant mendacia, quibus Judicem ipsum fallere, & varios Doctores, aliosque Viros sibi amicissimos, quasi ipsi in hoc opere consilio & opera astitissent, & ita quasi horrendæ hujus tragœdiæ complices, involvere studuerit, ut a se crimen hoc aliquatenus avertere posset, aut certe persuadere, se illorum in hoc negotio consilia sequutum bona fide egisse, prout *Capite secundo & octavo* fuse exposuit Actor.

1092. Secundum crimen, de quo in hac causa inquiritur, est expilatio publici Cursoris.

1093. Hoc crimen duplici modo perpetrari potest. Nimirum per violentiam ipsum Cursorem vel domum Cursoriam spoliando: vel secreto malis artibus e domo Cursoria surripiendo; quemadmodum in casu præsenti contigit.

1094. Sive uno, sive altero modo perpetretur, indubie crimen est valde perniciosum, quo nimirum Status publicus, humana societas, atque publicum rerum omnium commercium turbantur, & quodammodo invertuntur.

1095. Quapropter crimen hoc inter crimina Status, & hæc Litterarum surreptio non simplex reputandum est furtum, sed qua-

qualificatum sua pernicie multum communia furta excedens.

1096. Quod hujus expilationis, non secus ac falsi criminis instrumentum fuerit præfatus Petrus Tourteau, ex ultronea & constanti ejus confessione similiter constat.

1097. Neque minus evidentibus indiciis & concludentibus argumentis probatum est ex Actis & Actitatis hujus causæ, Reum etiam hujus expilationis æque ac falsificationis instrumentorum primarium Auctorem & Instigatorem fuisse, ipsumque esse, qui per Petrum tanquam suum ministrum & instrumentum e domo Cursoria litteras malis artibus surripuisse dicendus sit. Quod toto Capite 5. Actor deduxit.

1098. Ad hæc non tantum ex indiciis & conjecturis, probisque, ut aiunt, artificialibus, sed ex propria ipsius Rei confessione, & testium depositionibus habetur.

1099. Primo, quod omnes Litteræ per Petrum apud Cursorem interceptæ immediate fuerint ad Reum allatæ.

1100. Secundo, quod Reus eas acceptaverit.

1101. Tertio, easdem sibi retinuerit, legerit, earum copias fieri jusserit.

1102. Quarto, quod illis usus sit pro suo arbritrio, idque privata auctoritate.

1103. Quinto, quod illas multis ostenderit.

1104. Sexto, earum copias miserit ad Altiores Potestates, nominatim ad DD. Internuntium & Archiepiscopum Mechliniensem, quibus domus Cursoriæ cura non incumbebat.

1105. Septimo, quod nunquam de attentata hac Litterarum surreptione monuerit Magistrum domus Cursoriæ, ut sibi in posterum contra hæc attentata provideret.

1106. Octavo, quod has litteras impenderit, ut falsis & fictitis instrumentis fidem conciliaret, & speciem aliquam veritatis affingeret, per insulsissimam suam Concordantiam, quam cum Responso ulteriori exhibuit.

1107. Nono, quod has litteras furto surreptas die 8. Martii una cum fictis instrumentis denuntiari fecerit *clancularie* Magnifico Domino Rectori pro *confirmanda veritate* dictorum falsorum & fictorum instrumentorum.

1108. Decimo, quod eas acceptaverit, non tantum sciens e domo Cursoria per Petrum earum Bajulum malis artibus esse surreptas, sed etiam postquam per Magnificum Dominum Rectorem fuerat certior factus, quod Petrus ipsi falsa imposuisset (si tamen imposuit) surreptionem hanc contigisse *de scitu & licentia* Magnifici Domini Rectoris.

1109. Undecimo, *quod* iisdem usus fuerit ad confirmandam veritatem falsorum instrumentorum, postquam non tantum per fidissimos suos amicos sed etiam per Dominum van Susteren Vicarium Generalem Domini Archiepiscopi, & Magnificum Dominum Rectorem de fictione signaturæ falsorum instrumentorum plene esset instructus & certioratus.

1110. Duodecimo, constat has surreptas litteras, dum ad Magnificum D. Rectorem fuerunt e quarterio ipsius Rei allatæ, fuisse omnes apertas. Cum autem Reus non ostenderit, Petrum Tourteau aliquid aperuisse præter exterius cooperculum fasciculi, cui litteræ clausæ erant inclusæ, hactenus Reus pro earum apertore habendus est, uti Capite 5. notatum est.

1111. Si igitur Auctor falsi habendus sit, qui probatur falso instrumento usus, quidni furti sive hujus nefandæ expilationis Auctor habeatur, qui res furtivas, idest, litteras e domo Cursoria surreptas acceptavit, iisque usus fuit, quin & de ipsis quasi suis propriis rebus disposuit, licet sciret eas esse furto surreptas.

1112. Præsertim dum constat, uti in casu præsenti, quod actualis & manualis interceptor nullum rerum surreptarum usum fecerit, nisi eas ad Receptatorem deferendi, qui de reliquo omnem earum rerum usum sibi privative attribuit.

1113. Notum est insuper Magnificentiæ Vestræ, quod non tantum ipsi fures, sive qui res furto surripuerunt, pœna furti sint plectendi, sed & furum, item rerum furtivarum receptatores. Toto titulo Digestorum *de Receptatoribus*.

1114. Quæro (inquit Julius Clarus Sentent. l. 5. §. fin. quæst. 92. Num. 9.) *Qua pœna puniatur Receptator?* Respondet: *In furibus seu furtis receptans, dicimus, quod Receptatores tenentur eadem pœna, qua ipsimet fures.*

1115. Imo

1115. Imo recte notavit famosus ille Flandriæ Pragmaticus Judocus Damhouderus in Praxi rerum criminal. *Cap.* 118. *Receptatores, qui furibus ullum solatium, subsidium, consilium, aut juvatorium famulatum prabent, aut furti fuere participes, aut furtiva bona in domum receperunt, aut ex iis cum furibus comissati sunt, scientes eos esse fures, & bona eo allata furto esse ablata, tales omnes simili pœna cum veris furibus plectendos esse, quin & aliqua in parte esse furibus sceleratiores.*

1116. Convictus est autem Reus, quod non tantum Petrum Tourteau cum Litteris furto e domo Cursoria in suum quarterium receperit, & una cum ipso Litteris furto surreptis usus fit: sed quod ipse sibi soli omnem Litterarum furtivarum usum retinuerit, atque de his quasi de propriis disposuerit, cum sciret esse alienas & malis artibus e domo Cursoria surreptas.

1117. Et quidem quod his furtivis Litteris usus sit, *pro confirmanda veritate* falsorum instrumentorum in perniciem & oppressionem non unius, sed plurimorum innocentium & præstantissimorum Virorum.

1118. Gravitatem etiam criminis auget, quod non semel duntaxat, sed tribus ut minus diversis vicibus furem cum Litteris non simpliciter furtivis, sed e publica domo Cursoria surreptis receptaverit, Litterasque surreptas retinuerit, iisque improbe usus fuerit.

1119. Denique *quisquis alterius resignat, aut recludit improbe Litteras, aut legendas tradit, contentaque aliis prodit, ob quod vel Scriptor, vel is ad quem scribuntur Litteræ, aliquid detrimenti, damni, aut verecundiæ patitur, is falsitatem committit, & puniendus est arbitrarie*, ait Damhouderus loco citato Capite 124. *Numero* 19.

1120. Quod Reus Litteras alterius, scilicet Domini Grasper, & quidem ex domo Cursoris surreptas improbe legerit, legendas tradiderit, contentaque prodiderit, ex confessione Rei, Testiumque depositione constat.

1121. Præterea, si Petrus revera retulerit Reo, quæ sibi a Petro relata dicit, eisque fidem habuerit; habetur ex propria ejus confessione, quod plures Epistolas tanquam alienas, & ut e domo Cursoris ereptas, sibi a Petro allatas, nominatim illam de 10. Jannarii (de qua actum *Capite* 2.) & illam de 10. Februarii (de qua *Capite* 4.) propria auctoritate resignaverit, recluserit, aliis legendas tradiderit, contentaque aliis prodiderit in maximum discrimen Scriptoris, & eorum, ad quos scriptæ erant.

1122. Nihil proinde superest, quam ut qualitate, & enormitate tot horrendorum criminum in oppressionem tot innocentium, Reus debitas pœnas luat.

1123. Attento, quod ea deprehendatur in excessibus & criminibus Rei obstinatio & impudentia, ut ubi humiliter culpam agnoscere, & Judicis clementiam implorare deberet, contra impudentissimis mendaciis Judicem fallere, & in alium crimina derivare ubique studeat.

1124. Quin & virulentissimis conviciis insurgere pluribus locis ausus fuit in ipsos Ministros Justitiæ, in facto Officii eorum, in quo sunt sub Salvaguardia publica, nominatim vero in hic infrascriptum, quem indignissime tractavit, tam in Scripto Responsionis Ulterioris, & plurimis Terminis apud Acta servatis, quam in incidente communicatorie instructo super prætensa relaxatione, item in materia suspectationis &c.

1125. Sic ut Actor merito speret, fore ut Judices in ferenda sententia horum rationem habeant, pœnamque eo nomine aggravent, ac specialem reparationem indicant.

1126. Itaque cum Reus omnem Clementiæ viam sibi occluserit, quid superest, nisi ut Magnificentia Vestra ceterique Judices amplissimi, adversus eum meritas pœnas decernant.

1127. Et quidem cum evidenter constet, Reum esse, qui totum hoc horrendum negotium direxit, mediaque nefandissima ad illud sustinendum impendit; ipsumque Petrum Tourteau juniorem, quem a vitiis retrahere, & ad meliorem vitam excitare debuerat, ad tam horrenda flagitia induxit, ipsoque ut instrumento usus sit; videt Magnificentia Vestra, quas præ misero & hoc seducto instrumento ipse Reus pœnas mereatur.

1128. Et sane luculentam pœnam exspectat Belgium universum, præcipue Universi-

versitas nostra Lovaniensis, quæ technis non dissimilibus tanto tempore agitata fuit, & Viris præclarissimis orbata.

1129. Et nisi talia crimina severe puniantur, nullius certe fama, fortuna, libertas, imo nec vita ipsa in tuto esse poterunt.

1130. Quin & Religio Catholica, præsertim hoc tempore, pœnas severas requirit: ne alioquin Religionis nostræ Adversariis occasio detur, eam insimulandi, quod Vestis aut Professio Religiosa, Statusque Ecclesiasticus præbeat delinquendi impunitatem & libertatem.

1131. Denique nomine Officii sui, omnium vice deposcit Actor, omnia tamen cum debita reverentia correctioni Magnificentiæ Vestræ, & Amplissimorum Dominorum Judicum subiiciens.

Signatum.

H. MALCORPS

APPENDIX

Ad Caput V.

SÆpenumero se jactavit Reus apud Amicos, & bonam suam fidem probare nititur ex Concordantia Litterarum Domini Grasper de 16. 20. & 23. Februarii 1707. cum Libro Resolutionum & duabus Epistolis signatis Z. B. V. E. 10. & 13. Januarii 1707., quam Concordantiam illum in finem exhibet Reus sub numero primo cum suo Responso Ulteriori.

Verum tantum abest ut per hanc, quam nequiter finxit Concordantiam, Reus bonam fidem suam vel in minimo astruat, ut contra pessima ejus fides & insignis vafrities non uno ex capite inde evincatur: ut Actor, hoc ad singulos Concordantiæ Articulos Responso, ostendet.

Ad §. I.

Cum constet in litteris Domini Grasper nihil prorsus tractari eorum, quæ tractantur in Libro Resolutionum cum Annexis; aliud ex Concordantia a Reo exhibita concludi non potest, quam Reum esse in arte fingendi magistrum omnibus numeris absolutum, qui sciat Concordantiam ibi fingere, ubi certum est, Concordantiam non esse.

Ad §. II. *De Inscriptionibus Epistolarum.*

Nulla Litterarum Concordantia colligi potest ex eo, quod inscribantur ad eundem: cum ad eundem inscribi possint litteræ diversissimæ, ut erant litteræ, de quibus hic; sed ideo Concordantiam inde collegit Reus, quod qualecunque pessimæ suæ fidei præsidium quæreret.

Ad §. III. *De Paritate materiæ.*

De iisdem negotiis non tractant utræque Litteræ, sed tractare eas fingit Reus, eo artificio, ut quæ in Litteris Domini Grasper dicuntur de negotiis Cleri Hollandici, ea ipse negotiis suis fictitiis accommodet; quod sibi difficile non fore præviderat Reus, si modo litteras aliquas in Hollandiam vel ex Hollandia scriptas interciperet.

Nam in primis, non poterat ignorare Reus, qui partes magnas in turbis illis excitandis habuisse fertur, graves in Ecclesia Romano-Catholica exortas esse dissensiones & turbas, occasione suspensionis Illustrissimi Domini Archiepiscopi Sebasteni, & surrogationis in locum ejus, primo D. Theodori Cockii, deinde D. Adami Damen.

Neque ignorabat Reus, dissensiones illas præcipue versari inter Primarios e Clero Hollandico ab una, & Jesuitas aliosque Religiosos Sacerdotes & nonnullos e Clero Jesuitis adhærentes ab altera parte; illis jurium & privilegiorum suorum defensionem prætexentibus, his cæcam erga Pontificis jussa exigentibus, obedientiam.

Dubitare igitur non poterat Reus, quin illi e Clero ad communem Ecclesiæ suæ causam tuendam consilia conferrent, & ea sibi mutuo communicarent, eademque etiam pete-

paterent ab iis suis Amicis; quibus negotiorum & turbarum istarum cognitum esse sciebant, & denique quin se mutuo ad jurium suorum strenue prosequendam defensionem adhortarentur.

Noverat pariter Reus, plures e Clero Hollandico hic Lovanii commorari, qui proinde notos suos & Amicos, uti fieri consuevit, non modo per litteras informabant de negotiis Academicis aliisque affinibus, sed qui pariter instrui cupiebant & certiores reddi de statu, in quo versarentur res Ecclesiæ Hollandicæ, uti & de circumstantiis notabilioribus, quæ in dies ea occasione occurrerent.

Atque his omnibus instructus Reus non dubitabat, quin si posset litteras Hollandorum aliquas intercipere, eas totas singulari suo fingendi artificio in suam causam conversurus esset.

Speraverat Reus, scopum suum attingere, si potestas ipsi facta fuisset Adversariorum suorum cubicula & scrinia visitandi: verum postquam spe illa exciderat (præcipue ex quo Amplissimus Dominus van Susteren undecima Februarii in præsentia Rei, adstante Domino Daemen, judicaverat Epistolas & Instrumenta esse ficta, uti notatum est supra Cap. tertio, Articulo 338.) aliud medium Reus excogitavit.

Cum probe sciret, ut supra Actor advertit, dissensiones in Ecclesia Hollandica occasione novi Vicarii Apostolici Damen eo recens ablegati, quam maxime flagrare, nec proinde dubitaret, quin illa occasione ultro citroque variæ litteræ mitterentur: atque insuper notas haberet primarias illas Personas e Clero Hollandico, ad quas Lovanienses ex eodem Clero vel alii ipsis noti litteras suas plerumque dirigerent, induxit ac misit Petrum Nicolaum Tourteau, ut, quascumque posset, litteras e Domo Cursoris Regii surriperet, ac ad se deferret, quæ ad nominatas illas Personas forent inscriptæ.

Sperabat etenim Reus, facile in litteris illis occursurum aliquid vel de mediis, quibus Clerus sibi invito obtrusum Vicarium amoliretur, vel etiam de aliis ejusmodi negotiis, quæ hic Lovanii aut Bruxellis agerentur, quibus, qualemcumque ex Litteris illis intercipiendis Concordantiam cum Libro Resolutionum condando, pro sua nequitia abuti posset ad fucum faciendum tum imperitoribus, tum contra prætensos Conspiratores præventis.

Et sane mirum non est, nonnulla attingi in Litteris Domini Grasper, de quibus mentio pariter fit in confictis his Litteris & Libro Resolutionum: quandoquidem impossibile foret, ut prædictus Dominus Grasper, vel quivis alius potuisset de novis Academicis aliisque affinibus quidquam indicare, quin (vellet nollet) incideret in puncta quædam, de quibus in prædictis confictis Litteris & conficto Libro Resolutionum agitur, quandoquidem in illis omnia omnino attingantur quocumque modo ad res Academicas spectantia, vel ad causas aliorum, puta Pastoris S. Catharinæ, Quesnelli, Gerberonii, Patrum Augustinianorum, Du Cellier, &c.

De quibus tamen quatuor postremis negotiis, uti & multis aliis, ne verbum quidem in Litteris Domini Grasper occurrit.

Vel ex his solis colliget Magnificentia Vestra, quam nequiter prætensam istam suam Concordantiam adornaverit Reus, & quam male ex illa bonam suam fidem adstruere fuerit conatus.

Plura e contrario occurrunt in Litteris prædicti Grasper, quæ ipsum Reum omnino convincere poterant & debebant, Litteras illas de 10. & 13. Januarii, uti & Librum Resolutionum esse mere ficta instrumenta, nisi ipse Reus illius fictionis complex & Auctor fuisset.

Primo enim nulla in Epistolis illis *signa* occurrunt, quibus nomina Amicorum deinceps exprimenda esse Liber Resolutionum indicat.

Secundo nulla etiam nomina ficta, qualia Liber Resolutionum exhibet, cum Dominos Hennebel, Melis, Opstraet & Cinck suis nominibus exprimant.

Tertio de multis mentio fit in litteris Domini Grasper, nominatim de iis, qui habitant in Hollandia, qui non sunt noti in Libro Resolutionum.

Imo nec illi ipsi, qui reperiuntur in libro Resolutionum, nominibus iisdem indigitantur.

Nam

Nam Dominus Opstraet hic vocatur *Platearius*, Dominus Pastor Sanctæ Catharinæ vocatur hic *Bruxellensis*.

Quarto nulla in illis mentio de celebratis aut celebrandis Congregationibus, vel de Resolutionibus in iis captis, cum tamen hæc, si vera fuissent contenta Libri Resolutionum, omissurus non fuisset Amicis indicare Dominus Grasper, utpote, sicut Reus affirmat, stabilitus ut a Domino Krys acciperet litteras Amicis exhibendas.

Hinc rursus aliud evidens habebat Reus argumentum fictionis Libri Resolutionum: quia si revera, ut Reus asserit, Dominus Grasper fuisset stabilitus ad illum finem, ipsius saltem nomen inter *nomina* Amicorum, uti & ipsius nominis signum, in Libro Resolutionum fuerat exprimendum; neque ille contenta dicti Libri & nomina Amicorum permissus fuisset ignorare, adeoque nec idem Dominus Grasper omisisset ficta illa Amicorum nomina in Litteris suis exprimere.

Quinto in Libro Resolutionum constanter commissio ad scribendum Amicis, & nominatim Domino Jacobo Krys, datur Clarissimo Domino van-Espen, qui in eodem Libro sæpius Litteras à Domino Krys accepisse fingitur, & tamen, ut Reus affirmat, Dominus Grasper stabilitus fuit, ut à Domino Krys acciperet litteras.

Sola supradictorum consideratio, quemcumque alium, quam Reum, convicisset, dictum Librum confictum esse. Verum scopus ipsius Rei erat, ut quocumque demum modo, & quibuscumque mediis huic suo fictitio partui, Libro inquam Resolutionum, aliisque confictis litteris, fidem conciliaret, ut genuinæ crederentur.

Ad §. IV. *De exhortationibus Domini Krys ad unanimiter pugnandum ad eiiciendos Adversarios.*

Manifestum erat, litteras Domini Grasper agere de negotio Ecclesiæ Hollandicæ, adeoque non nisi *mala fide* hic Concordantiam fingit Reus inter exhortationes Domini Krys contictas in Libro Resolutionum, & exhortationes Domini Grasper.

Ad §. V. *De modo scribendi ad unum per eundem communi nomine tanquam pro causa communi.*

Tantum abest, ut hic Concordantiam invenire potuerit Reus, ut, si bonæ fidei fuisset, non potuisset non videre discordantiam; nam in Libro Resolutionum stabilitur D. van-Espen, per quem communi nomine scribatur ad Dominum Krys, uti & ad ipsum vicissim à Domino Krys scribitur: hic autem contra Librum Resolutionum colligit Reus, *quod*, ut ipse hic ait, *Dominus Grasper fuerit stabilitus, ut à Domino Krys reciperet Litteras Amicis exhibendas.*

Ad §. VI. *De Novo Formulario.*

Hic iterum discordantia Reo debebat esse manifesta; cum ignorare non posset, in Litteris D. Grasper tantum agi de Formulario Alexandri VII. & nequaquam de Formulariis mensium Junii 1706. & Januarii 1707.

Sed scopo Rei conveniebat invenire aliqua, quibus, quocumque demum modo, publico persuaderet, Adversarios suos subscripsisse vel saltem consensisse subscriptioni bini illius horrendi & execrandi Formularii de mense Junio 1706. & de 10. Januarii 1707. Itaque hoc ex Litteris Domini Grasper verisimile reddere nititur ex verbis Epistolæ de 20. Februarii, in qua scribit: *Van 't Formulier ist noch stil, doch wy hopen ons hier in soo kloeck te draegen, als U sich in 't ander gequeten hebt. Manifeste*, inquit Reus, *hic supponuntur duo Formularia, num loquitur de uno & alio.*

Manifeste hic Reus imponit, cum evidens sit, ex præcitatis verbis Domini Grasper, illum de unico tantum Formulario agere. *Si de uno & alio* egisset, sive de *duobus*; non poterat simpliciter dicere *'t Formulier, ist noch stil*, sed dicere debuisset, *van 't eerste Formulier ist noch stil, oft van 't tweede, of van ons Formulier &c.*

Deinde, tametsi supponeretur Dominus Grasper egisse de duobus Formulariis; ne tunc quidem, nisi pessima fide Reus inferre potuisset, Dominum Grasper egisse de con-

fictis Formulariis mensium Junii 1706. & Januarii 1707.

Etenim Reus ignorare non poterat, primarios e Clero Hollandico fortiter restitisse invectioni Formularii Alexandri VII, in Ecclesiam Hollandicam, illamque invectionem ab ipsis Statibus Hollandiæ fuisse vetitam: imo scire poterat Reus, plures e Clero Hollandico cum Litteris dimissoriis defuncti Vicarii Apostolici Potcamp ad suscipiendos Sacros Ordines Coloniam missos, maluisse non susceptis Ordinibus reverti, quam ad eosdem, mediante juramento Formularii Alexandri VII., promoveri.

Noverat insuper Reus, antiquum Formularium a Facultate sua Theologica hic fuisse immutatum quodque plures Theologi Clero Hollandico adscripti aliique a suscipiendis gradibus in Theologia fuerint deterriti.

Ex his itaque sensum naturalem & obvium verborum Domini Grasper colligere poterat Reus, etiam dato, quod in utraque periodi suæ parte de Formulario egerit: sensus namque tum hic esse poterat obvius & naturalis: *De Formulario hic etiamnum tranquillum est: interim speramus nos in eo non recipiendo seu jurando tam generosos fore, quam vos fueritis in illo recusando quod vobis obtrudebatur.*

Verum ut Actor supra advertit, de unico tantum Formulario agere censendus est præcitato Epistolæ suæ loco Dominus Grasper, qui ibidem non laudat fortitudinem, quam Dominus Krys & alii ostendissent in aliquo simili Formulario *altero*, ut hic contendit Reus; sed in *alio negotio*, adeo ut sub verbo *'t ander* verbum *werck*, idest *negotium* intelligi debeat, prout ex aliis ejusdem Epistolæ locis, uti & ex litteris in Hollandia scriptis & eidem fasciculo inclusis manifestum est, scilicet in verbis Domini Grasper laudari Dominum Jacobum Krys aliosque a fortitudine, quam ostenderant in negotio non admissionis Novi Vicarii Damen.

Et sane ipse Reus in mendaciis sibi non constans, Interrogatorio 27. hunc esse sensum verborum Domini Grasper agnoscit in verbis: *qua Epistola ejus prima absoluta, supponitur hic, ut infra ex aliis ejus Epistolis plenius probabitur, quod Dominus Grasper cum bonis amicis suis sive bene intentionatis laudent, approbent, & urgeant prosecutionem duorum præfatorum memorialium juxta tenorem trium prædictarum Epistolarum.*

Et rursus idem Reus Interrogatorio 67. fortitudinem, quam laudat Dominus Grasper, illam intelligi debere censet, quæ in Memoriis & Litteris exprimebatur his verbis: *Epistola Domini Grasper ad Dominum Krys data sic habet: De* MEMORI-*Maeckers syn geen van beyde uyt myne gissinge gegaen, de wel meenende prysen uwe dapperheyt.* Ad litteram: *Neuter* MEMORIALIUM *Confector fefellit conjecturam: bene sentientes laudant fortitudinem vestram.*

Nequiter proinde Reus hoc Articulo 6. supponit fortitudinem, quam Dominus Grasper laudat in Amicis suis Hollandis, eam esse, quam illi ostendissent *in aliquo simili Formulario altero*, quod pari nequitia ibidem innuit esse alterum e Formulariis confictis mensium Junii & Januarii.

Verum, inquit Reus ibidem, non potest Formulare, de quo agit Dominus Grasper, *intelligi de Formulario Alexandri VII.; nam nolle huic Lovanii resistere criminosum est, & quia causa Formularii Alexandri VII. est publica, & praxis ejus jam est regulata juxta Constitutionem Clementis XI. feliciter regnantis.*

Quousque vera & sincera sint hæc ultima asserta Rei, Magnificentiæ Vestræ expendendum relinquit Actor ex sequentibus.

Primo notandum est, quomodo non ita pridem Facultas Theologica antiquum suum Formularium ab Alexandro VII. ejusque Successoribus probatum & laudatum immutaverit.

Secundo, quod mutatio illa facta sit contra disertam prohibitionem isti Facultati intimatam a Prædecessore Magnificentiæ Vestræ Eximio Domino Claes, de unanimi consensu omnium quinque Facultatum, & quidem sub gravi mulcta, & contra prohibitionem Illustrissimi Bussii tunc temporis Bruxellis Internuntii Apostolici.

Tertio, quod ne hactenus quidem constet de Mandato Pontificis, illam immutationem præcipientis.

Quarto, quod multo minus constet de placetata per Regiam Majestatem Constitutione Clementis XI., juxta quam interim Facultas Theologica sua auctoritate Formularium Alexandri VII. publicare, ejusque praxim regulare ausa fuit.

Quinto notorium est, plures Academicos & praecipue Clero Hollandiae adscriptos per immutationem illam antiqui Formularii Facultatis, etiam Superioribus ipsorum consciis & assentientibus, a suscipiendis Gradibus in Theologia abstinuisse.

Haec omnia ignorare non poterat Reus, adeoque nec dubitare, quin Formularium, de quo ageret, & in cujus negotio se fortiter acturum scribebat Dominus Grasper (si nimirum vel ipse vel alii e Clero ad gradus Theologicos suscipiendos a suis respective Praesidibus cogerentur) esset Formularium, quod Reus cum suis propria auctoritate in Facultatem Theologicam invexerat.

Denique evidens est, in praedictis verbis D. Grasper agi de Formulario, quod timebant sibi impositum sive a se exactum iri; & contra quod se viriliter oppositoros scribunt.

Porro evidens debebat esse Reo, id non intelligi de fictis Formulariis: quandoquidem nulli invito illa imponerentur, neque timendum esset, ne quisquam ad subsignandum adigeretur.

Consequenter non erant excitandi Amici ad resistendum casu quo exigeretur, quemadmodum in litteris significatur; sed potius significasset D. Grasper, numerum signantium aut ad signandum se offerentium crescere, & ad signandum se animare.

Itaque clarum debebat esse ipsi Reo, in praedictis Epistolis agi de Formulario Alexandri VII. per Facultatem Theologicam introducto, quod D. Grasper ejusque amici Theologi de Clero Hollandico metuebant sibi impositum iri, & contra quod se animabant, & generosum suum animum ostendere volebant.

Ad §. VII. *De Causa Eruditissimi Domini van den Nesse.*

Stultum est, eruere Concordantiam ex eo quod aliquid de causa Domini van den Nesse misceat litteris suis Dominus Grasper: quis enim de causa ista tam celebri in Belgio non scriberet ad Amicos suos?

Ad §. VIII. *De contemptu Consilii Status Bruxellensis, & exspectatione Deputatorum Hollandiae ad supprimendos Adversarios.*

Contemptum Consilii Status Bruxellensis hic more suo Reus affingit Domino Grasper, qui nihil aliud dicit, quam quod *Consilium sit nonnihil flaccidum*, quod nihil aliud significat, quam Consilium tardius procedere, quam ipse vellet, quod non est Consilium contemnere.

Porro quod ad Concordantiam hic attinet, eam tam in litteris quorumcumque aliorum invenire potuisset Reus, quam in litteris Domini Grasper, cum non agatur nisi de noviscommunibus & publicis, quae scribunt omnes.

Ad §. IX. *De Causa Doctoris Hennebelli.*

Idem Responsum sufficiat.

Ad §. X. *De Correspondentia Domini Licentiati Opstraet.*

Nec ulla bona fide, aut specie consequentiae potuit hinc Reus concordantiam elicere; nullo enim modo sequitur: In Libro Resolutionum Dominus Opstraet habetur inter praecipuos, & in litteris Domini Grasper fit mentio de Domino Opstraet: ergo Liber Resolutionum & litterae Domini Grasper concordant.

Ad §. XI. *De Causa Eximii Patris Desirant.*

Et quis quaeso de causa Eximii Patris Desirant ad Amicos non scriberet? Ideone ipsius litterae concordabunt cum Libro Resolutionum?

Ad §. XII. *De Auctoritate Sedis Apostolicæ impugnata*.

In Libro Resolutionum impugnatur quidem Auctoritas Sedis Apostolicæ, sed Liber iste ab ipso Reo confictus est, adeoque & impugnatio Sedis Apostolicæ innocentibus ab ipso afficta est: in Memorialibus vero istis non defenduntur nisi jura Cleri Hollandici, proinde nulla inter hæc & Librum Resolutionum Concordantia.

Ad §. XIII. *De Contemptu Ministrorum Ecclesiæ*. Idem.

Ad §. XIV. *De Vilipendio Superiorum Ecclesiasticorum*. Idem.

Ad §. XV. *De Congregationibus*.

Ne verbum quidem de Congregationibus in Litteris Domini Grasper: unde nec ex his nisi fide & consequentia pessima eas eruit Reus, ac in primis eruere eas nititur Articulo quinto suæ Concordantiæ, ex eo, quod Dominus Grasper communi nomine scriberet, in verbis: *Non possit autem intelligi, quod de tot & tantis communi nomine scribat, nisi ii, quorum nomine scribit, alibi & aliquando conveniant, ecce Congregationes, quæ per unum sua sensa scribunt ad eundem*, inquit Reus.

His insinuatum cupit Reus, Lovanii dictas Congregationes fuisse institutas, quæ per Dominum Grasper sua sensa scriberent ad eundem, nimirum ad Dominum Jacobum Krys: sed jam ante advertit Actor, in Libro Resolutionum illam commissionem scribendi ad Dominum Jacobum Krys & alios, constanter affingi Clarissimo Domino van-Espen, non autem Domino Grasper, ut hic rursus Reus significat.

Deinde facile Reus intelligere poterat, Dominum Grasper de tot rantis negotiis communi nomine scribere potuisse, etiamsi illi, quorum nomine scribebat, non convenirent *alibi & aliquando*, modo scilicet illos seorsim adiret dictus Dominus Grasper. Pessima igitur consequentia est, quam Reum in supra allegatis verbis fecisse jam ostensum est.

Pejore etiam fide Congregationes illas *alibi* (vult dicere *alicubi*) institutas fuisse contendit Reus ex Epistola scripta Leydæ nona Februarii, in qua Scriptor Amico suo, ad quem Epistolam dirigit, dilucide & clare significat, se Hagæcomitis fuisse, & ibi adiisse omnes illos, quibus de negotio illo loqui consueverat. Verba Scriptoris sunt: *Kome soo uyt Hoffstadt, alwaer de gewoone ronde geschiet is*: quæ verba Reus homo Flander Flandricæ linguæ scientissimus solita sua fide ita vertit hoc ipso Articulo decimo quinto: *Jamjam venio ex Hoffstadt, ubi solita* CONGREGATIO *facta est*. Quis post hæc miretur, Reum simili artificio ex quovis posse colligere quidlibet: adeoque inter res diversissimas potuisse Concordantiam tali methodo exhibere?

Quid enim affine dictis verbis: *gewoone ronde*, cum *congregatione*? Imo si fuisset *congregatio*, non opus fuisset facere circuitum solitum, *de gewoone ronde*.

Quis mortalium non judicabit, hominem illum profligatæ fidei esse, qui adeo multa & evidentia pessimæ suæ fidei argumenta præbet, etiam tunc cum bonam suam fidem adstruere nititur? Sed nondum mendaciorum finis.

Ad §. XVI.

Nihil familiarius in Epistolis, quam salutare *Amicos*, & *Amicos* appellare homines notos: sed nihil stultius, quam hinc colligere Concordantiam Epistolarum Domini Grasper cum Libro Resolutionum, in quo similiter de Amicis fit mentio.

Rursus interim pro more suo insigniter imponit Reus hoc ipso Articulo dum ait: *In Epistola ejusdem Grasper de eadem 16. Februarii ad Petrum Josephum Boede, & in altera ibidem ad Mendert Boede, qui ut apparet non habent partem in negotiis, nomen* AMICORUM *nullibi comparet*: cum tamen ad calcem citatæ Epistolæ ad Petrum Josephum Boede habeatur in terminis: *De groetenis aen alle vrienden*.

Ad

Ad §. XVII. *De continua exhortatione ad concordiam & fortitudinem & initiendum Inimicis terrorem.*

Manifestum erat, in Litteris Domini Grasper exhortationes tantum dirigi ad fortiter tuenda Jura Cleri Hollandici, & bonum istius Ecclesiæ; in Libro autem Resolutionum exhortationes tendunt ad tuenda impia Formularia contra Religionem & Statum: proinde nullam nisi fide pessima in iis fingere poterat Concordantiam. Sed nunquid potiori jure Concordantia statui posset inter dictum Librum Resolutionum & Epistolas Rei scriptas ad Reverendum Patrem Leopoldum a Sancta Theresia; in quibus dictum Patrem ad *fortitudinem* hortatur, idque ad promovendum iniquitatis suæ mysterium?

Ad §. XVIII. *De Signaturis Epistolarum per solas primas Litteras nominis & cognominis.*

In Litteris Domini Grasper nulla signatura est similis iis signaturis, quæ præscribuntur in Libro Resolutionum: unde nulla prorsus inter litteras Domini Grasper & Librum Resolutionum Concordantia est. Quod vero hic citat Reus ex Congregatione de decima quinta Augusti 1706. signari oportere per primas litteras tantum, id in posterioribus Congregationibus jam pridem mutatum erat, quando in Februario 1707. scribebat Dominus Grasper; constitutumque scilicet, ut in posterum signaretur per ficta nomina & signa.

Ad §. XIX. *De fictis Nominibus.*

Fictis nominibus uti in Epistolis, omnibus familiare est: unde pessime ex eo colligitur Concordantia Epistolarum cum Libro Resolutionum, qui similiter fictis nominibus utitur.

Ut summum aliqua species consequentiæ esset tunc, cum eadem ficta nomina utrobique occurrerent: jam vero cum nomina ficta in litteris Domini Grasper omnino diversa sint a nominibus fictis Libri Resolutionum; omnino etiam sequitur, Reum fide pessima inde Concordantiam finxisse.

Ad §. XX. *De Domino Cinck.*

Pessima fide, ut jam sæpius dictum est, & pejori consequentia sic argumentatur Reus: Litteræ Domini Grasper mentionem faciunt de Domino Cinck, & Liber Resolutionum mentionem facit de Domino Cinck, ergo Litteræ Domini Grasper & Liber Resolutionum concordant.

Ad §. XXI. *Excedentia & Excessa.*

Hic plura recenset ipse Reus, quæ continentur in Litteris Domini Grasper & non in Libro Resolutionum, aut Litteris annexis; & vicissim plura, quæ continentur in his & non in istis: proinde seipsum hic de mala fide convincit, debetque fateri, Concordantiam, quam fecit, veram non esse, sed fictam.

Ad Interrogatoria.

Speraverat Reus per hanc suam commentitiam Concordantiam & Interrogatoriorum farraginem, quam subnectit, pulverem oculis offundere, & divertere Judicem a causa principali, & hisce suis figmentis deludere, seseque ex Reo Actorem facere: sed ubi jam constabat, Librum Resolutionum cum annexis Epistolis confictum esse, stultum fuisset illius Concordantiam cum Epistolis Domini Grasper examinare, quam similiter fictam esse oportebat.

Ceterum ex fictitia illa Concordantia videbit Magnificentia Vestra, quantus in fingendo Artifex sit Reus; & quid non commentorum & cum suis fictitiis Instrumentis Concordantiarum fuisset fabricaturus, si datum fuisset illi, ut speraverat, scrutari chartas eorum, quos fecerat Libri Resolutionum & fictitiorum Formulariorum ac Epistolarum Auctores. Sub Censura.

(*Signatum*)

H. MALCORPS.

VON-

VONNIS

IN SAECKE TUSSCHEN

Den PROMOTOR der Universiteyt van Loven, Aenleggere,

ENDE

Den Doctoor in de H. Godtheyt Pater BERNARDUS DESIRANT, Gedaeghde.

GEsien by de HEEREN VAN DE JOINCTE geordonneert door den Raede van Staet gecommitteert tot de Generaele Regeringhe deser Nederlanden, ingevolghe van het Decreet van den 5. October 1707. aen den Souvereynen Raede van Brabant toegesonden, den Brief van den 10. Januarii van den selven Jaere, onderteeckent Z. B. V. E. met het Formulier contrarie aen den Staet ende Religie, ende eene Liste van de Persoonen die het selve bereyt souden geweest zyn te onderteeckenen, daerinne ghesloten, addresserende aen Guilielmus vande Nesse Pastoor van Sinte Catryne binnen deser Stadt Brussele: Gesien d'Informatien daer over genomen den vyfden Meert daer naer, en de volgende daeghen: Gesien het groot Pacquet behelsende dry cleyne Pacquetten in de welcke onder andere bevonden zyn de Brieven van den derthiensten der voorschreve Maendt Januarii onderteeckent Z. B. V. E. ende van den thiensten Februarii daer naer, onderteeckent Z. B. van-Espen, beyde addresserende aen Jacobus Ignatius Krys tot Amsterdam, met een ander Formulier oock contrarie aen den Staet ende Religie, 't gene verscheyde voornaeme Persoonen aldaer met hunne respective naemen uytgedruckt alreede souden onderteeckent hebben in de Maendt Junii 1706. daerinne gesloten: Gesien sekeren Boeck daer inne insgelijcx gesloten, geintituleert *Liber Resolutionum*, behelsende de geheyme Vergaederingen ende Resolutien de welcke alle die aensieneliicke Mannen in de selve Vergaederingen met

SENTENTIA

IN CAUSA INTER

PROMOTOREM Universitatis Lovaniensis, Actorem,

ET

Patrem BERNARDUM DESIRANT S. Theol. Doctorem, Citatum.

VIsa per DOMINOS DE JUNCTA, *ordinata a Consilio Status commisso ad Regimen Generale hujus Belgii, conformiter ad Decretum de 5. Octob. 1707. Supremo Consilio Brabantiæ transmissum, Epistola de 10. Januarii ejusdem anni, signata Z. B. V. E. cum Formulari Statui & Religioni contrario, & quodam Catalogo Personarum, quæ eidem Formulari paratæ fuissent subscribere, inibi inclusis, directa ad Guilielmum Vande Nesse Pastorem S. Catharinæ hujus Civitatis Bruxellensis: Visis Informationibus desuper captis 5. Martii sequentis, & diebus sequentibus: Viso magno fasciculo, continente tres parvos fasciculos, in quibus inter cetera repertæ sunt litteræ de 13. suprascripti mensis Januarii signatæ Z. B. V. E. & de 10. Februarii sequentis signatæ Z. B. van-Espen, ambæ directæ ad Jacobum Ignatium Krys. Amstelodamum, cum quodam alio Formulari etiam Statui & Religioni contrario, cui variæ notabiles Personæ nominibus suis respective ibi expressæ, jam tum subscripsissent mense Junio 1706. inibi incluso: Viso quodam Libro inibi similiter incluso, intitulato* Liber Resolutionum, *continente clancularias Congregationes & Resolutiones, quas omnes illæ spectabiles Personæ in iisdem Congregationibus suis respective nominibus designa-*

hunne respective naemen beroepen van tyde tot tyde presenteliick souden genomen hebben tot naedeel van den Staet ende de Religie : Gesien voorders de dry Brieven onderteeckent Henricus Grasper, daerinne oock gesloten met verscheyde andere : Gesien alnoch d'Informatien daer over genomen den negensten der voorschreve Maendt van Meert en de volgende daegen: Gesien diversche stucken door den Gedaeghde ten Processe gheconsigneert, mitsgaeders de Acten ende Notulen in saecke gehouden, als oock de Requeste by den Aenleggere gepresenteert den achtentwintichsten Aprilis daernaer, metten Appoinctemente daerop gevolght, behelsende provisie van daeghsel personneel tot laste der Gedaeghde, de Interrogatorien begonst den vierthiensten Meert 1707. ende de Responderinge des Gedaegde daerop ghevolgt: Gesien voorders die Feyten van belastinge, ende de personnele Antwoorde des Gedaeghde van den negensten Mey daernaer, beneffens sijne Schrifture van naerdere schrifteliicke Antwoorde, Replicque des Aenleggers, mitsgaeders de Verbaelen ende loco Termini des Gedaeghde daer tegens gehouden: Gesien het Decreet van den Rector Magnifieck van d'Universiteyt van Loven van den elfsten Junii van den selven jaere, daer by den Gedaeghde provisioneliick wierde verboden t'intervenieren in eenige Academiecke Acten ofte Lessen t'exerceren, geconfirmeert metten Vonnisse van de Joincte van den vierden Novembris lestleden: Gesien het Vonnis Interlocutoir gegeven den achthiensten Junii van den selven jaere, waer by den Aenleggere wiert geadmitteert ten thoon, den Gedaeghde geheel in sijnen thoon ter contrarien : Gesien dyenvolgens den thoon van Partyen hinc inde geproduceert met de Reprochen ende Salvatien daerop gevolght, die Schrifture geintituleert *Conclusie Finael*, by Partyen overgegeven, eentsaementliick die Requeste Civile Des Aenleggers van den 16. Februarii lestleden, mette redenen van Impertinentie des Gedaeghde daer tegens gedient. Op alles geleth : Die Heeren vande Joincte, ter interventie van het Officie Fiscael van den voormelden Souvereynen Raede van Brabant, vuegende die

gnatæ, identidem prætensim cæpissent in præjudicium Status & Religionis: Visis ulterius tribus Epistolis signatis Henricus Grasper, *inibi etiam inclusis cum variis aliis: Visis insuper Informationibus desuper captis nona suprascripti mensis Martii & diebus sequentibus: Visis variis instrumentis per Citatum in lite consignatis, nec non Actis & Notulis in causa habitis, prout etiam Libello supplice per Actorem oblato vigesima octava Aprilis sequentis cum Apostilla desuper secuta, continente provisionem citationis personalis ad onus Citati; Interrogatoriis cœptis* 14. *Martii* 1707. *& Responsione Citati desuper secuta: Visis ulterius Factis gravaminum, & Responsione personali Citati de nona Maii sequentis, cum Scripto ipsius ulterioris Responsionis in scriptis, Replica Actoris, nec non Verbalibus & Loco termini Citati in contrarium habitis: Viso Decreto Rectoris Magnifici Universitatis Lovaniensis de undecima Junii ejusdem anni, per quod Citato provisionaliter interdicebatur ullis Academicis Actibus interesse, aut Lectiones ullas exercere, confirmato per Sententiam* Junctæ *quarta Novembris ultimo elapsi: Visa Sententia interlocutoria data decima octava Junii ejusdem anni, per quam Actor admittebatur ad probandum Citato salva sua probatione contraria: Visa consequenter probatione partium hinc inde producta, cum reprobationibus & salvationibus desuper secutis, Scripto intitulato* Conclusio Finalis *per Patres tradito, & pariter Libello supplice civili Actoris de* 16. *Februarii ultimo elapsi, cum rationibus impertinentiæ per Citatum in contrarium exhibitis: Omnibus consideratis:* Domini de Juncta, *interveniente Officio Fiscali prædicti Supremi Consilii Brabantiæ, jungentes liti suprascriptum Libellum supplicem Civilem, declarant suprascriptas Epistolas de decima*

tertia

voorschreven Requeste Civile totten Processe, Verclaeren die voorschreven Brieven van den thiensten ende derthiensten Januarii, ende thiensten Februarii 1707, beneffens de voorsz. Formulieren ende Resolutien alle gemaeckt door Petrus Nicolaus Tourteau (ten Processe geroert) verdight, valsch, scandaleus, ende seditieus; Ordonnerende dyenvolgens dat de selve publieckeliick sullen verbrant worden door de handen van den Scherprechter, ende houdende den Gedaegde voor suspect van geconcurreert te hebben beneffens den voornoemden Tourteau tot het fabriceren van de voorschreve Brieven, Formulieren, ende Resolutien, mitsgaeders voor geconvinceert van te hebben doen maecken verscheyde Notariale Copyen van de voorschreve valsche Brieven, ende de selve als geauthentiqueerde Copyen van de pretense waerachtighe Brieven van den Doctoor Zegerus Bernardus van-Espen ter quaeder trouwe gesonden te hebben ad Altiores Potestates, ende sich voorders daer van bedient naer sijn goet-duncken, als oock van te hebben doen maecken verscheyde Notariale Copyen van de gemelde gefabriceerde Formulieren ende Resolutien, ende de selve als ene waerachtigh werck voorts-commende van den gemelden Doctoor van-Espen, ende van andere Persoonen aldaer genomineert, beneffens de voorschreven ghecopieerde ende geauthentiqueerde Brieven, oock ter quaeder trouwe gesonden te hebben ad Altiores Potestates, ende andersints gebruyckt te hebben tot hun groot naedeel: Houdende hem voorders voor suspect van geinduceert te hebben tot dry differente reysen den gemelden Tourteau tot het intercipieren uytte Posterye van de voorschreven dry cleyne Pacquetten Brieven geschreven door den voornoemdem Henricus Grasper aen verscheyde Persoonen: Ende voor geconvinceert van de selve dry Pacquetten telcker reyse hem door den gemelden Tourteau als geintercipieert uyt de Posterye toegebrocht, oock voor alsulcke t'elcke reyse al willens ende wetens aengenomen te hebben, tot hem behouden, ende sich daer van bedient te hebben naer siine geliefte; mitsgaeders van de voorschreven

tertia Januarii & decima Februarii 1707., simul cum suprascriptis Formularibus & Resolutionibus, quæ omnia confecta sunt a Petro Nicolao Tourteau (de quibus in lite mentio) conficta, falsa, scandalosa, & seditiosa: Mandantes proinde ut eadem publice manu Tortoris comburantur, habentesque Citatum tanquam suspectum, qui concurrerit simul cum prænominato Tourteau, ad fabricandum præscriptas Litteras, Formularia & Resolutiones, nec non convictum quod jusserit fieri varias Copias Notariales suprascriptarum falsarum Epistolarum, & quod easdem tanquam Copias authenticas prætensarum verarum Epistolarum Doctoris Zegeri Bernardi van-Espen mala fide transmiserit ad Altiores Potestates, iisque ulterius usus sit pro libitu suo, deinde quod etiam fieri jusserit varias Copias Notariales prædictorum fabricatorum Formularium & Resolutionum, eademque tanquam verum opus procedens a dicto Doctore van-Espen & ab aliis Personis ibidem nominatis, una cum præfatis descriptis & authenticatis Epistolis etiam mala fide transmiserit ad Altiores Potestates, iisque alias usus fuerit in magnum ipsorum præjudicium: Habentes eum ulterius suspectum, quod tribus diversis vicibus induxerit præfatum Tourteau, ut interciperet ex domo Cursoria suprascriptos tres parvos fasciculos Litterarum scriptarum per prænominatum Henricum Grasper ad varias Personas: Nec non convictum quod eosdem tres fasciculos qualibet vice ad se per dictum Tourteau delatos tanquam ex domo Cursoria interceptos, etiam tanquam tales qualibet vice sciens & volens acceptaverit, penes se detinuerit, eosque in usum suum pro libitu suo converterit; nec non quod suprascriptis Epistolis, Formularibus, Resolutionibus & Fasciculis fuerit in evidens periculum ruinæ omnium Virorum prætactorum; Et finaliter quod commiserit ulte-

Brieven, Formulieren, Resolutien, ende Pacquetten gebruyckt te hebben tot evident peryckel van het verlies van allen de voor-geroerde Mannen; Ende eyndeliick van begaan te hebben voordere excessen ten Processe naerder vermelt: DIE HEEREN VANDE JOINCTE verclaeren den Gedaeghde vervallen van alle de Lessen, Beneficien ende Officien, de welcke hy binnen de Universiteyt van Loven is besittende, bannen hem ten eeuwigen daege uyt alle de Landen van de Gehoorsaemheyt van Syne Majesteyt, op pene van arbitraele straffe, condemnerende hem in alle de costen ende misen van Justitie. Aldus gedaen binnen dese Stadt Brussele den 18. May 1708. *Ende was onderteeckent:*

BODRY.

ulteriores excessus, propius in lite memoratos, DOMINI DE JUNCTA *declarant Citatum excidisse omnibus Lectionibus, Beneficiis, & Officiis, quæ in Universitate Lovaniensi possidet, damnant eum exilio perpetuo extra omnes Ditiones Suæ Majestati subjectas, sub pœna arbitrariæ punitionis, condemnantes eum in omnes expensas litis & executionis Justitiæ. Actum in hac Civitate Bruxellensi die decima octava Maii* 1708. Et erat signatum:

BODRY.

Relatio executæ Combustionis.

OP den 15. Junii 1708. zyn de Brieven, Formulieren ende Resolutie-Boeck, in den bovenstaande Vonnisse vermelt, verbrandt geworden op de Savele binnen deser Stadt Brussele, door handen van den Scherp-rechter, ten overstaen van den Heere Raedt ende Rapporteur Eelkens, den Heere Raedt ende Advocaet Fiscael van den Souvereynen Raede van Brabant, den Heere Malcorps Fiscael van d'Universiteyt van Loven, ende van my onderschreven Greffier, ende ter presentie van veele Ommestaenderen.

Ende was onderteeckent,

BODRY.

H*Odie 15. Junii 1708. Epistola, Formularia, & Liber Resolutionum in suprapposita Sententia memorata, combusta sunt in Sabulone in hac Civitate Bruxellensi, per manus Tortoris, intervenientibus Domino Consiliario & Relatore Eelkens, Domino Consiliario & Advocato Fiscali Supremi Consilii Brabantiæ, Domino Malcorps Fiscali Universitatis Lovaniensis, & me Grafiario infrascripto, multisque circumstantibus præsentibus.*

Et erat signatum,

BODRY.

M O N I T U M.

N*E miretur Lector videns ex præmissa Conclusione finali, quod Causa instructa sit coram Magnifico Domino Rectore Universitatis Lovaniensis, & tamen Sententia prodeat sub nomine alicujus* JUNCTÆ*: monetur, ortum fuisse conflictum Jurisdictionis inter Universitatem ex una & Ministros Regios ex altera parte, prætendentes Causam hanc privative ad cognitionem Regiam spectare: unde habitis pluribus tractatibus, tandem, ne justitia ex hoc sisteretur; ordinatum est a Consilio Status, ut, Causa coram Rectore Universitatis plene instructa, Rector duos Assessores Bruxellas mitteret, qui simul cum tribus Consiliariis Supremi Consilii Brabantiæ designandis, cum interventione Advocati Fiscalis dicti Consilii, Causam deciderent.*

IN-

INSTRUMENTA CONFICTA

De quibus in Sententia fit mentio,

E T

Quæ manu Lictoris palam flammis exusta sunt Bruxellis 15. Junii 1708.

E P I S T O L A

De decima Januarii 1707. & FORMULARIUM *illi acclusum*.

Eruditissime Domine,

SAlute prævia, non mihi est dubium quin novissimæ meæ Litteræ redditæ sint Eruditissimæ Dominationi Vestræ, quibus cognoscere potuisti, nostra negotia optimo in statu esse posita, si unanimes permaneamus; & in signum unanimitatis composui hoc Scriptum introclusum, ab omnibus Amicis signandum: nescis quantam utilitatem nobis sit allaturum hoc Scriptum, dum signatum erit. Unanimiter nostro nomine offeremus supplicam Statibus Hollandiæ, ut sub eorum protectione valeamus esse; & referemus, Adversarios nostros esse homines, qui cum Gallis commercia tenent, & qui in necem & in ruinam Hollandiæ Statuum conspirant: exponemus fautores nostrorum Hostium esse homines, qui Gallis maxime addicti sunt: obsecrabimus, ut adscribi numero Civium Amstelodamensium possimus, ut hoc modo majori protectione frui possimus; & non dubito, quin fruituri simus protectione Hollandica præferenda omnibus aliis. Hoc modo poterimus evadere Romanorum & inimicorum nostrorum oppressiones, quæ imminent. Amici nostri approbarunt, & postquam Bruxellis signaveritis, nos pariter hic signabimus, transmissuri postea Mechliniam, Gandavum, ut etiam signent ibidem Amici nostri. Dignaberis signare cum aliis Amicis, & mihi quamprimum transmittere, ut brevi omnia ad finem bonum possimus perducere. Nostra Caterva crescet & terrorem inferet Adversariis nostris. Nomina pagina sequenti scripta sunt, qui subsignabunt. Interim subscribor ex corde, *Infra habebatur*: Eruditissime Domine. Vester humillimus servus, *Et erat signatum*: Z. B. V. E. *In margine habebatur*: Lovanii 10. Januarii 1707.

In pagina sequenti scripta erant sequentia.

Clarissimus Dominus van-Espen,
Doctissimus Dominus Goethals,
Reverendus Dominus Pastor Begginasii Magni Lovanii,
Reverendus Dominus Heemans Vice-Pastor Sancti Quintini,
Reverendus Dominus Melis Præses Collegii Hollandici,
Eruditissimus Dominus Opstraet,
Eximius Dominus Hennebel,
Doctissimus Dominus Cinck,
Dominus Vivien,
Dominus Verniel,
Reverendus Pater Baert,
Reverendus Pater De Fraye,
Eruditissimus Dominus Vande Nesse,
Reverendus Pater De Hondt & alii ejusdem Religionis,
Dominus Du Cellier,
Eruditissimus Pater Ballexo,
Reverendus Pater Van Wavre,
Reverendus Pater Tax & alii ejusdem Religionis.

Et innumerabiles alii signabunt, quorum nomina nimis longum foret repetere. *Superscriptio erat* : Eruditissimo Domino D. Vande Nesse Pastori Vigilantissimo S. Catharinæ Bruxellis &c.

Sequitur Scriptum introclusum.

Nos infrascripti vovemus & promittimus Statibus Hollandiæ toto tempore vitæ nostræ obedientiam, nobis mutuo semper adhærere & opem ferre, nullos Delegatos Sanctæ Sedis ad nos huc missos veluti Ministros ejusdem esse habituros, nulla Decreta eorumdem esse observaturos; nos semper defensuros fidem nostram, & præclaras Propositiones Jansenianas. Insuper asserimus, nos contentos esse adscribi numero Civium Amstelodamensium, ut frui protectione Hollandica valeamus. Hanc signavimus hac . . . . .

EPISTOLA

De 13. *Januarii* 1707.

Myn Heer,

NAer een hertelliike groetenisse, soo come ick U. E. door desen Brief kenbaer maecken den staet van myne goede dispositie, het selve verhopende van U. E., en van alle de andere Vrienden in Hollant: en om te voldoen aen uwen lesten Brief, soo sende ick U. E. nu over eene waerachtige copye van woordt tot woordt van onse gehoudene Congregatiens ende genomene Resolutiens sedert de maendt May 1706. tot nu toe: waer uyt U. E. sult konnen bespeuren de groote eendrachticheyt van ons altemael en de groote liefde ende affectie die wy tot malcanderen draeghen. Voorders soo sende ick U. E. over eene copye, ofte pampier, die van woordt oock tot woordt gecopieert is uyt de Formuliere van alle de Vrienden geapprobeert ende onderteeckent, uytgenomen weynige, van geensints te willen van malcanderen afwycken, ofte reverenderen die Pauselycke Bullen, die aen ons en aen onse Leeringe contrarie zyn ofte sullen wesen. Ick laete U. E. oock weten, als dat ick besich ben met eene nieuwe Formuliere te doen teeckenen van onse Vrienden, die soo groote cracht in sich selven heeft, als die welckers copye ick un afsende. Hier hebt Gy alle dingen uyt de welcke U. E. sult connen claerliick sien, als dat wy noch altyt van goeden moet zyn, het selve verhopende van U. E. ende van alle de andere Vrienden.

Domine,

POst *cordialem salutationem venio te per hanc Epistolam informatum de statu bonæ meæ dispositionis, idem sperans de vobis & omnibus bonis Amicis in Hollandia : & ut satisfaciam Epistolæ tuæ ultimæ, mitto vobis jam veram copiam de verbo ad verbum Congregationum a nobis habitarum Resolutionumque captarum a mense Majo* 1706. *hucusque : unde poteritis discere magnam Concordiam omnium nostrum, magnumque amorem & affectum, quem erga nos mutuo gerimus. Ulterius mitto Vobis Copiam, sive chartam, quæ de verbo ad verbum transcripta est ex Formulario approbato & subsignato ab omnibus Amicis, exceptis paucis, de non volendo ulla ratione desciscere a* (nobis) *invicem, aut revereri Bullas Pontificias, quæ nobis & doctrinæ nostræ contrariæ sunt aut erunt. Etiam vos certiores facio, me esse occupatum faciendo subsignari ab Amicis novum aliquod Formulare, quod tantam in se vim habet, quantam illud, cujus Copiam jam transmitto. Hic habetis omnia, ex quibus clare videre poteritis nos esse hucusque bono animo, idem sperantes de vobis & omnibus aliis Amicis. Spero negotia nostra optatum successum habitura, etiamsi inimici nostri contraria spargant. Statuimus Congregationes nostras continuare pristino more; sed in domo aliena & ignota, ne noti fiamus. Jussi etiam fieri parvam cistam cum tribus firmis seris, in quam jam imponimus*

omnes

Ick hope dat onse affairen naer onsen wensch sullen uytvallen , al ist dat onse Vyanden contrarie dingen versspreyden . Wy zyn van sin onse Vergaederingen te continuereu op onse oude maniere , maer in een vrempt ende onbekent huys , uyt redene dat wy niet en souden bekent worden . Ick hebbe oock eene cleyne kiste doen maecken met drye stercke sloten , in de welcke wy alle onse pampieren nu doen , en ick hebbe heden die kiste doen by iemant van onse Vrienden draegen , die in een vrempt huys woont , in welckers huys dan onse Vergaederingen in posterum sullen wesen , gelijck hier boven geseyt is . Ick hebbe dese copyen doen uytschryven door eenen van myne grootste Vrienden , die ick soo wel betrauwe , als my selven . Alle onse pampieren en Brieven sal ick selver schryven daer naer , uyt reden dat ick dien quant niet meer en betrauwe , die onse Brieven geschreven heeft , mits hy te dickwils affairen heeft met onse Vyanden : maer ick hope als dat hy ons niet en sal verraeden . Soo haest als die leste Formuliere sal wesen geteeckent , soo sal ick U. E. copye af-senden. Ick recommandere U. E. als dat Gy ons geluck wilt waernemen by de Heeren Staeten van Hollant . Ick soude U. E. meerdere dingen schryven , maer ick cryge instantelijck eenen Brief van Brussele , als dat ick moet sonder uytstel naer Brussele gaen om myne affairens tegens de Stricte Collegie vande Rechten , soo dat my den tydt ontbreeck om meerdere dingen te schryven. U. E. en moet niet verwondert wesen , dat desen Brief soo audt is ; den Brenger deser die en wist niet precies wanneer hy naer Amsterdam soude gaen , en om dat ick dese goede occasie niet en soude verliesen , soo hebbe ick desen Brief veerdich gemaeckt , op dat hy hem soude konnen hebben , alswanneer dat hy vertrock . Ondertusschen blyve ick , *Onderstont :* Myn Heer U. E. bereeden ende onderdaenigen Dienaer , *Onderteeckent* : Z. B. V. E. *Onderwaerts stont* : Myn Heer ick sende U. E. die twee Boecken , eenen voor U. E , en eenen om te geven aen iemandt van onse andere Vrienden volgens U. E. versoeck. *In margine stont :* Loven desen 13. Jan. 1707.

De superscriptie was: Myn Heer, Myn Heer Jacobus Ignatius Krys tegenwoordigh tot Amsterdam .

omnes nostras chartas , jussique hodie deferri illam cistam ad aliquem Amicorum nostrorum , qui nunc habitat in domo aliena , in cujus itaque domo in posterum erunt nostræ Congregationes , uti supra dictum est . Has copias jussi transcribi per aliquem ex maximis meis Amicis , cui ita fido uti mihi ipsi . Omnes nostras chartas & Epistolas scribam ipse postea , quia non amplius fido isti socio , qui scripsit Epistolas nostras ; quandoquidem nimis sæpe habeat negotia cum nostris inimicis ; sed spero fore ut nos non prodat . Simul atque ultimum illud Formularium erit subsignatum , transmittam vobis copiam . Commendo vobis ut dignemini felicitatem nostram procurare apud Præpotentes Ordines Hollandiæ. Scriberem vobis plura ; sed hoc momento accipio Epistolam Bruxellis , quod debeam sine dilatione ire Bruxellas , propter mea negotia contra Strictum Collegium utriusque Juris ; ita ut desit mihi tempus ad plura scribenda . Non debetis mirari hanc Epistolam esse tam antiquam ; Lator hujus non sciebat præcise quandonam Amstelodamum esset iturus : & ut hanc bonam occasionem non amitterem , præparavi hanc Epistolam , ut eam habere posset quando discederet . Interea maneo , Infra habebatur *: Domine Vester paratus & obediens Famulus*, Signatum : *Z. B. V. E.* Magis infra habebatur : *Domine mitto Vobis duos istos Libros, unum pro Vobis, & unum ut detur alicui aliorum nostrorum Amicorum , secundum vestram petitionem*. In margine habebatur *: Lovanii hac 13. Januarii 1707.*

Superscriptio erat *: Domino Domino Jacobo Ignatio Krys , Amstelodami commoranti*.

EPI-

EPISTOLA

De decima Februarii 1707.

Eerweerdigh Heere,

Ick sende U. E. over de copye van onse Congregatiens en Resolutiens, volgens U. E. versoeck. Ick en twyfele niet, oft dien persoon die U. E. die twee boecken gebrocht heeft met de copye van de Formuliere geteeckent in Junio lestleden, U. E. vertelt heeft ons malheur, van dat pacquet, die ick gereet gemaeckt hadde. Daer en is niet aen gelegen, al ist dat het in quaede handen gevallen is: sy en sullender geen profyt mede connen doen die het hebben: en op dat wy niet geaccuseert worden, soo sal men dien schelm die het wegh genomen heeft en onse dingen geschreven heeft, moeten van kant helpen. Wy syn altyt van goeden moet, en wy syn altyt eendrachtigh, wy helpen malkanderen: alle onse affairen syn noch in goeden staet, gelijk dien persoon U. E. sal oock geseyt hebben. Wy en verwachten maer Myn Heer Vanden Berge om onse affairen met eenen grooteren vigueur te vervolgen, en om onse vyanden met een grootere gewelt aen te grypen. En in cas dat wy vervolght worden van de Romeynen, die Formuliere van de maendt Januarii 1707. konnen wy maer gebruycken, welckers Copye U. E. oock ontfangen heeft. Onse vyanden soeken ons vervaert te maeken, maer al te vergeefs. Daer en is noynt geene grootere eendrachticheyt gevonden geweest als de onse. Dien persoon die U. E. die twee boecken gebrocht heeft, sal U. E. van alles onderricht hebben. Ick sou meer schryven, maer den tydt is my te kort. Ick sal op alles antwoordt verwachten met den eersten. vrienden die doen U. E. en alle de andere Die vrienden seer groeten. Ondertusschen blyve Ick, *Onder stont:* Eerw. Heere U. E. bereeden dienaer ende geaffectioneerden Vriendt. *Was onderteeckent:* Z. B. van-Espen *met dit vierkant lanckworpigh teeken* [ ]. *Op de kant stont:* Loven desen 10. Feb. 1707.

Reverende Domine,

Mitto vobis copiam nostrarum Congregationum & Resolutionum secundum vestram requisitionem, & non dubito quin illa persona, quæ vobis tulit istos duos Libros cum Copia Formularii signati in Junio ultime elapso, Vobis narraverit nostrum infortunium de isto fasciculo, quem paraveram. Nihil refert etsi ceciderit in malas manus; non proderit illis qui habent: & ut non accusemur, iste nebulo, qui illum surripuit & negotia nostra scripsit, debebit de medio tolli. Semper sumus bono animo; juvamus nos invicem: omnia nostra negotia sunt adhuc in bono statu, sicut illa persona etiam vobis dixerit. Tantum exspectamus Dominum Vanden Berge, ut negotia nostra majori cum vigore prosequamur, & ut inimicos nostros majori vi arripiamus. Quod si nos persequantur Romani, Formulario isto de mense Januario 1707. tantum debemus uti, quorum copiam etiam recepistis. Inimici nostri conantur nos terrere, sed frustra; nunquam inventa est major concordia quam nostra. Illa persona, quæ vobis duos istos Libros tulit, de omnibus vos instruxerit. Scriberem plura, sed tempus est mihi nimis breve. Ad omnia responsum exspectabo quamprimum. Amici jubent vos & omnes alios Amicos multum salvere. Interea maneo, Interius habebatur: *Rev. Domine, vester paratus famulus &* (bene) *affectus Amicus.* Signatum *Z. B. van-Espen*, cum hoc signo quadro oblongo [ ]. In margine habebatur: *Lovanii hac decima Februarii 1707.*

FOR-

FORMULARIUM

De Mense Junio 1706.

NOs infrascripti hisce declaramus, nequaquam a nobis esse honorandas Bullas Romanas contrarias Propositionibus Jansenianis, & cum recognoverimus has illustres Jansenianas Propositiones fidei nostræ nequaquam esse contrarias, ita hisce vovemus & promittimus nos eas semper esse defensuros, occulte autem si aperte impediamur eas tueri; & ad evitandas omnes oppressiones, quæ nobis hanc ob rem evenire possunt, eas Bullas Romanas exteriori signo reverebimur, at interiori signo respuendas esse censemus. Quapropter Bullas & Formularia Alexandri VII. & hujus Pontificis revereamur omnes ficte & tanquam dolose impetratas ab Adversariis nostris: insuper nobis mutuo fidelitatem perpetuam promittimus secundum resolutionem a nobis captam per litteras & alia instrumenta. Ulterius nobis mutuo opem ferre paratos esse asserimus. Hanc signavimus in mense Junii 1706. *Signatum erat:* Van-Espen, Hennebel, Melis, Opstraeten, Goethals, Heemans, Claessens Pastor Magni Begginagii Lovanii, Baert, De Fraye, Santerre, Ballexo, Tax, Van Wavre, De Hondt, Vande Nesse, Du Cellier, Vernielen, Vivien, Cinck Philosophiæ Professor, &c. *Infra habebatur:* Concordantiam cum Formulari consignato Attestor.

Et erat signatum:

BARTH. HENDRICKX Secret.

LIBER RESOLUTIONUM.

Amici, qui interfuerunt Congregationibus anno 1706. apud Clarissimum Dominum Zegerum Bernardum van-Espen, sunt annotati pagina sequenti.

Pagina sequenti scripta erant sequentia.

NOMINA AMICORUM.

CLarissimus Dominus Bernardus van-Espen J. U. Doctor &c.

Reverendus D. Melis Præses Collegii Divæ Pulcheriæ.

Reverendus D. Alardus Vanden Steen Præses Collegii Milii.

Doctissimus D. Goethals Professor Primarius Philosophiæ.

Doctissimus D. Ladderfous Philosophiæ Professor Primarius.

Doctissimus D. Cinck Philosophiæ Professor.

Reverendus D. Pastor S. Quintini.

Reverendus D. Pastor Magni Begginasii Lovanii.

Reverendus D. Vice-Pastor S. Quintini.

Eximius D. Verschuren Præses Collegii Alticollensis

Ex Ordine S. Augustini tres sequentes.

Reverendus Pater Baert Prior.

Reverendus Pater Visitator De Fraye.

Reverendus Pater Santerre &c.

Reverendus D. Verniel.

Reverendus D. Vivien.

Reverendus D. Van Heck Regens Gymnasii SS. Trinitatis.

Domi-

Dominus Laddereer Magister Poeseos in Gymnasio SS. Trinitatis.
Clarissimus D. Peeters Medicinæ Doctor.
Magister Denique noster Impressor.
Consultissimus D. Essinck Advocatus &c.

A mense Octobri interfuerunt.

Reverendus D. Opstraeten.
Eximius D. Hennebel S. Theol. Doctor &c.

1706.

Tertia Junii renovatæ sunt Congregationes Lovanii Amicorum nostrorum in ædibus Clarissimi D. Zegeri Bernardi Van-Espen J. U. Doctoris & Canonici D. Petri Lovanii &c.

Congregatio tertia Junii 1706.

Convenerunt Amici, & Clarissimus Dominus Zegerus Bernardus van-Espen proposuit Amicis, utrum eis placeret iterum renovare Congregationes Amicorum.

Et ab Amicis resolutum est, eas denuo renovare, & primam indixerunt in quintam diem hujus currentis Mensis, ad deliberandum serio super Propositionibus faciendis a Clarissimo Domino Van-Espen.

Congregatio 5. Junii 1706.

Convenit Amicorum major & sanior pars, & Clarissimus D. Van-Espen proposuit, utrum placeret gratias agere Deo, quod nos liberasset a gravi jugo Gallorum, & quod preces nostras audivisset.

Et resolutum fuit, rogandum esse Clarissimum D. Van-Espen, ut hæc iterum proponere dignetur in proxima Congregatione, donec omnes Amici convenerint.

Et proximam Congregationem indixerunt in 15. currentis Mensis.

Congregatio 15. Junii 1706.

Convenerunt 5. aut 6. Amici, & petivit ab eis Clarissimus D. Van-Espen, utrum illis placeret Propositio facta quinta currentis mensis, & resolutum fuit, in hac Congregatione nondum posse desuper deliberari, cum fere nulli Amici comparuissent.

Et proximam Congregationem indixerunt in vigesimam quintam currentis mensis.

Et rogarunt Clarissimum Dominum van-Espen, ut dignetur curare in statutum diem convocari omnes Amicos, ut omnia debito modo peragantur.

Congregatio 25. Junii 1706.

Convenerunt omnes Amici & denuo proposuit Clarissimus Dominus van-Espen, utrum placeret agere Deo gratias, quod nos liberaverit ab isto gravi jugo Gallorum, & quod nostras preces exaudivisset?

Et resolutum fuit, agendas esse gratias Deo, & in eum finem parvum celebrandum esse Sacrum 27. currentis in Ecclesia Divi Petri, hora undecima, ad quod Amici invitantur.

Et cum tempus elapsum esset ad ulterius deliberandum super negotiis a Clarissimo Domino van-Espen proponendis, indixerunt proximam Congregationem in quartam Julii, & rogarunt Clarissimum Dominum van Espen, ut non gravetur se parare ad proponenda in proxima Congregatione negotia ista, super quibus mature deliberandum existit.

Congregatio 4. Julii 1706.

Convenerunt Amici, quibus Clarissimus Dominus van-Espen proposuit, utrum Amicis non placeat ante omnia conficere catalogum nominum omnium Amicorum Lovanii residentium, ad videndum numerum eorum, qui defecerunt, & qui nostræ catervæ adscribi velint?

Et unanimi consensu resolutum fuit, placere, & rogatum fuit ut Clarissimus D. van-Espen dignetur conficere istum catalogum, quandoquidem ipse de omnibus sit instructus.

Et in hunc finem indixerunt primam Congregationem in octavam currentis mensis, volentes ut omnes Congregationes postea fiant post meridiem, si ita fieri possit.

Con-

Congregatio 8. Julii 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit ante omnia Clarissimus Dominus van-Espen catalogum omnium Amicorum a se confectum, cujus tenor & copia huic Libro nostrarum Congregationum & Resolutionum de verbo ad verbum habetur inserta modo sequenti.

Catalogus omnium Amicorum jam Lovanii residentium.

In primis reperitur Clarissimus Dominus Zegerus Bernardus van-Espen J. U. Doctor &c.

Doctissimus Dominus Goethals Philosophiæ Professor Primarius in celeberrimo Pædagogio Falconensi &c.

Reverendus Dominus Pastor S. Quintini Lovanii.

Reverendus Dominus Vice-Pastor S. Quintini Lovanii.

Reverendus Dominus Pastor Magni Begginasii Lovanii.

Doctissimus Dominus Laddersous Philosophiæ Professor Primarius &c.

Doctissimus D. Cinck Philosophiæ Professor &c.

Doctissimus ac Reverendus Dominus Melis Præses Vigilantissimus Collegii divæ Pulcheriæ (Holl.)

Reverendus Dominus Alardus van den Steen Præses Collegii Milii.

Reverendus Dominus van Heck Regens Gymnasii SS. Trinitatis.

Doctissimus Dominus Laddereer Professor Poeseos in Gymnasio SS. Trinitatis.

Eximius Dominus Verschuren S. Th. Doctor, Præses Collegii Alticollensis. (Ultraj.)

Reverendus Dominus Vivien Canonicus Divi Petri Lovanii &c.

Reverendus Dominus Verniel &c.

Reverendus Pater Baert Prior Conventus S. Augustini &c.

Reverendus Pater De Fraye Visitator Ordinis S. Augustini Lovanii.

Reverendus Pater Santerre Regens studii Conventus S. Augustini Lovanii.

Magister Denique Impressor noster.

Consultissimus Dominus Essinck Advocatus. &c.

Et Clarissimus Dominus Peeters Medicinæ Doctor &c.

Et Amici, viso hoc catalogo, egerunt gratias Clarissimo Domino van-Espen, læti numerum esse auctum, & cum tempore auctiorem fieri: insuper rogarunt Clarissimum Dominum van-Espen, ut dignetur scribere Amicis in aliis civitatibus, ut ipsi pariter catalogum conficiant, ut cerni possit numerus Amicorum in Belgio habitantium, quo catalogo viso & examinato, pergent serio de negotiis suis deliberare, agentes Clarissimo Domino van-Espen gratias, quod hunc catalogum huic libro inseruisset in perpetuam rei memoriam.

Et proximam Congregationem indixerunt in 19. currentis mensis, ut interea præfatus catalogus haberi possit.

Congregatio 19. Julii 1706.

Convenerunt Amici, & Clarissimus Dominus van-Espen prælegit Epistolas, quibus indicatur, numerum Amicorum hic & ibi degentium esse auctum & quotidie augeri: quibus Epistolis lectis proposuit Clarissimus Dominus van-Espen, quid ulterius circa inquisitionem numeri Amicorum sit adhuc faciendum.

Et Amici dixerunt, prælectas Epistolas sibi ipsis sufficere.

Et rogarunt Clarissimum Dominum van-Espen, ut in proxima Congregatione aliqua proponere dignetur, super quibus mature deliberandum existit.

Et proximam Congregationem indixerunt in 28. currentis mensis.

Congregatio 28. Julii 1706.

Convenerunt Amici, & Clarissimus Dominus van-Espen proposuit Amicis, quandoquidem Bellum his in partibus ex optato succedat & fortuna ab Hollandica Gente stet, & pervenerimus sub istud suave jugum Hollandorum Statuum, ad quod tamdiu anhelavimus, utrum non censeant, primo negotia Domini Gerberonii contra Archiepiscopum Mechliniensem in materia Appellationis coram Amplissimo Domino Abbate S. Gertrudis esse prosequenda omni vigore, & Archiepiscopum per hanc

hanc litem summopere esse vexandum, cum pars sit in causa, quandoquidem ipse mandatum dederit in hac causa Procuratori Tourteau: Secundo tentandum esse reditum P. Quenelli in hoc Belgium, ut ipse via juris Archiepiscopum super injuriis & aliis rebus invadere possit: Tertio executioni curandum esse mandari sententiam latam in favorem Caroli Du Cellier, contra Promotorem nostrum: Quarto tentandum esse reditum Domini Opstraeten & Eximii Domini Hennebel in Universitatem Lovaniensem: Quinto litem Domini Gautii contra Eximium Patrem Desirant esse denuo in Consilio Brabantiæ prosequendam: Sexto litem Clarissimi Domini van-Espen, scilicet meam contra Strictum Collegium jurium omni vigore esse prosequendam: & septimo negotia Eruditissimi Domini Van der Nesse contra Archiepiscopum esse iterum prosequenda, & ita cetera omnia negotia Amicorum esse expedienda, cum nimis longum foret, de uniuscujusque in particulari negotiis proponere.

Et resolutum est, omnes ante dictas propositiones esse executioni mandandas, & ad omnes Amicos copias hujus Resolutionis esse mittendas.

Ulterius proposuit Clarissimus Dominus van-Espen, utrum Amici sint parati sibi mutuo opem ferre per consilia & nummos & alia instrumenta?

Et Amici responderunt se esse paratos: quibus auditis Clarissimus Dominus van-Espen omnibus Amicis egit gratias.

Et proximam Congregationem indixerunt in 3. Augusti 1706.

Congregatio 3. Augusti 1706.

Convenerunt Amici, & eis propositum fuit, primo, utrum semper unanimes sint permansuri; secundo, utrum adhuc velint approbare Resolutiones in novissima Congregatione captas.

Et Amici persistunt in Resolutionibus suis in præcedenti Congregatione sumptis.

Et proximam Congregationem indixerunt in undecimam Augusti, si fieri possit.

Congregatio 11. Augusti 1706.

Convenerunt omnes Amici, quibus Clarissimus Dominus van-Espen retulit, se recepisse ab aliquibus Amicis Litteras, quibus indicatur, Capitulum Augustinianorum quamprimum celebrandum fore Mechliniæ, quam ob rem dignaremur deliberare super negotiis Eximii Patris Desirant in illo Capitulo ad onus ejusdem definiendis.

Quibus auditis, iterum resolutum fuit, unanimes permanere, & a se mutuo nunquam deficere.

Deinde resolutum fuit, congregandos iterum esse Amicos in 15. diem currentis Mensis, ad denuo deliberandum super negotiis se mutuo concernentibus, & super negotiis Eximii Patris Desirant, nimirum de horto, cubiculo intercepto, de famulo suo *Fidele*, de Secretario suo Patre d'Herbe, de Rheda, & de aliis rebus eum concernentibus, deinde habebatur: Congregatio erit 15. Augusti, uti ante resolutum est.

Congregatio 15. Augusti 1706.

Convenerunt omnes Amici, & eis proposuit Clarissimus Dominus van-Espen, quale medium possit adhiberi, ne Epistolæ Amicorum ad se mutuo scribentium intercipiantur, & ne postea possent inde oriri difficultates.

Et resolutum est, fingi debere signa, vel tantum debere scribi semper primas litteras suorum nominum.

Et eodem die compositum fuit Formulare sequens, præsentibus omnibus Amicis.

Formulare, quomodo nomina nostrorum Amicorum ad se mutuo scribentium debeant scribi vel notari in Epistolis & chartis, ne fiant noti, si illæ litteræ intercipiantur.

Dum Clarissimus D. van-Espen scribit, ponat ita cum pronominibus,	Z. B. V. E.
Dum D. Heemans scribit,	Æ. H.
Dum D. Melis scribit,	P. M.
Dum D. van den Steen scribit,	A. V.
Dum Magister Denique scribit,	Æ. D.

Dum

Dum Pater Ballexo scribit, E. B.
Dum Pater van Wavre scribit, P. V.
Dum Pater Tax scribit, P. T.
Dum Pater Baert scribit, J. B.
Dum Pater De Fraye scribit, A. D.
Dum Du Cellier scribit, C. D.
Dum D. van den Nesse scribit, V. N.
Dum D. Cinck scribit, vel aliqui alii, semper scribant primas litteras suorum nominum.

Et ut brevi absolvamus, pro omnibus Amicis datur hæc generalis Regula, ut omnes Amici ponant tantum semper primas litteras suorum nominum, ne postea fiant noti, & hoc modo facillime poterunt omnes difficultates vitari.

Formulare signorum, si qui tantum signum fingere seu scribere volunt.

Dum Clarissimus D. van-Espen signare vult, signo ita hoc modo.

Dum D. Vernielen signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Vivien signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Heemans signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Opstraeten signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Pastor Begginasii Magni Lovanii signare vult, ita hoc modo.

Dum Eximius D. Hennebel signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Melis signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Goethals signare vult, ita hoc modo.

Dum D. van den Steen signare vult, ita hoc modo.

Dum Magister Denique signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Cinck signare vult, ita hoc modo.

Dum D. van Heck signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Laddereer signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Pastor S. Quintini signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Du Cellier signare vult, ita hoc modo.

Dum Pater De Hondt signare vult, ita hoc modo.

Dum D. van den Nesse signare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater de Fraye signare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater Baert signare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater Santerre signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Laddersous signare, ita hoc modo.

Dum Eximius D. Verschueren signare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater Ballexo signare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater Wynants signare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater van Wavre signare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater Tax signare vult, ita hoc modo.

Dum D. Krys signare vult, ita hoc modo

Et ita illi, quorum signa hic non sunt ficta, poterunt sibi fingere signa, singulis Amicis ante omnia ea significare tenebuntur, ut illa possint noscere: longum enim nimis foret, omnia signa singulorum Amicorum notare.

Ulterius resolutum fuit, mittendas esse Copias horum instrumentorum ad omnes Amicos ubique, ut illa noverint.

Denique resolutum fuit, characterem cujusque Amici debere mutari & variari, ne postea noscantur propter characteres, vel quisque debet curare per unum fidelem hominem sub juramento sua negotia scribere, si facultates habeat.

Deinde resolutum fuit, inhaerendum esse anterioribus Resolutionibus, de unanimitate Amicorum.

Deinde resolutum fuit, omnia Amicorum proposita executioni fore mandanda quamprimum, nimirum litem D. Leonardi Gautii contra nostrum Eximium. Patrem Desirant esse prosequendam, litem Clarissimi Domini van-Espen contra Strictum Collegium Jurium esse resumendam, & in omni vigore juris esse pergendum, negotia Domini Hennebelli contra Regentes Strictae Facultatis Theologicae, & maxime contra Eximium Dominum Martin esse agenda omni vigore Juris, & ita de omnibus ceteris, pront dictum est in Resolutionibus captis 28. Julii praeteriti.

Et cum tempus foret elapsum ad deliberandum super negotiis Eximii Patris Desirant, prout latius in Congregatione de 11. currentis mensis, ideo proximam Congregationem indixerunt in 23. currentis mensis, cui omnes Amici interesse tenentur.

Congregatio 23. *Augusti* 1706.

Convenerunt omnes Amici, & Clarissimus Dominus van-Espen proposuit Amicis, utrum eis placeret deliberare super negotiis Eximii Patris Desirant, pront resolutum fuit in duabus antecedentibus Congregationibus, quandoquidem in novissima Congregatione de decima quinta mensis hujus tempus defuerit ad desuper deliberandum.

Et unanimi consensu resolutum fuit, ante omnia Eximium Patrem Desirant Bruxellas aut ad alium Conventum curandum esse amoveri, eique injungendum esse a suo Superiore, ut chorum & refectorium frequentet, veluti unus alter Monachus, hortum suum funditus esse evertendum, suum famulum expellendum esse, Secretarium suum Patrem d'Herbe, & Confessarium esse dimittendos, prohibendum esse ei sub praecepto obedientiae ne rheda amplius utatur, vel si Capitulum Eximium Desirant amovere aliquas ob rationes nolit, resolutum fuit ulterius, creandum Lovanii esse Superiorem ei offensum, & qui in eum animadvertere non deerit, ei assignandum esse socium, qui omnia explorare & referre poterit suo Superiori, quid agat, quo tendat & quae negotia habeat, & a quibus visitetur.

Deinde ulterius resolutum fuit, has Resolutiones indicandas esse isti proximo futuro Capitulo seu Definitorio; demonstrando, non posse meliora media excogitari ad frangendam audaciam istius hominis perturbatoris omnium Amicorum, quam haec ante dicta, sicuti Definitorium etiam poterit colligere.

Et proximam Congregationem indixerunt in primam mensis Septembris 1706.

Congregatio 1. *Septembris* 1706.

Convenerunt Amici & Doctissimus Dominus Goethals nomine Clarissimi Domini Zegeri Bernardi van-Espen proposuit, utrum nollent Eximium Dominum Sullivane inducere, ut pariter via juris aggrederetur Eximium Dominum Daelman, ad ita simul obruendum negotiis totam Strictam Facultatem Theologicam, quandoquidem certo suscepturа sit partes Eximii Domini Martin & Eximii Domini Daelman.

Et resolutum fuit, rogandum esse Clarissimum Dominum van-Espen, ut ipsemet inducere dignetur Eximium Dominum Sullivane ad opus praedictum; demonstrando ei, omnia ex optato successura esse, protectionem Hollandicam nobis non esse defuturam: ulterius dicere poterit, quod nequaquam Archiepiscopum Mechliniensem vereri debeamus, cum Hollandica protectio praeferenda sit protectioni istius Archiepiscopi, qui nos semper prosternere conatus fuit:

fuit: & plura alia Clarissimus Dominus referre poterit, ut eum ad præfatam operam inducat.

Et indixerunt proximam Congregationem in diem quartam hujus mensis.

Congregatio 4. Septembris 1706.

Convenerunt Amici & proposuit Clarissimus Dominus van-Espen, utrum sint parati Eximium Dominum Sullivane adjuvare, si aggrediatur Eximium Dominum Daelman via Juris, ut detrudatur ex Stricta Facultate Theologica?

Et unanimi consensu resolutum est, se semper esse paratos ad juvandum Eximium Dominum Sullivane.

Qua Resolutione visa Clarissimus Dominus van-Espen egit gratias Amicis, promittens se Eximium Dominum Sullivane ad præfatum opus esse inducturum.

Et proximam Congregationem indixerunt in decimam sextam currentis mensis.

Congregatio 16. Septembris 1706.

Convenerunt omnes Amici, & proposuit eis Clarissimus Dominus van-Espen: Primo, utrum semper sint conservaturi fidem sibi mutuo datam, maxime hoc tempore; cum omnia Amicorum negotia sint in manibus Judicum posita &c.

Secundo, utrum ipsis placeat adhuc, ut mittantur copiæ istarum Resolutionum captarum adversus Eximium Patrem Desirant in Congregatione de 23. Aug. novissimi, aut ut in Epistola scribenda ad Eruditissimum Patrem Ballexo Provincialem nostræ Resolutiones significentur, quandoquidem Capitulum Provinciale RR. PP. Augustinianorum instet.

Ad primum articulum resolutum est, sese inhærere prioribus Resolutionibus. Ad secundum articulum resolutum est, hoc comitti Clarissimo Domino van-Espen.

Et proximam Congregationem indixerunt in 20. currentis mensis ante meridiem.

Congregatio de 20. Septembris 1706. ante meridiem.

Convenerunt Amici, & prælegit eis Clarissimus Dominus van-Espen Epistolam mittendam super negotiis Eximii Patris Desirant ad Eruditissimum Patrem Ballexo Mechliniam, & ex eis quæsivit, utrum mittenda sit eo modo, quo prælegit.

Et unanimi consensu responderunt esse mittendam eo modo, quo jam prælecta fuit.

Et proximam Congregationem indixerunt in 29. Septembris 1706. post meridiem.

Congregatio 29. Septembris 1706.

Post meridiem convenerunt Amici, & prælegit Amicis litteras, quas ex Hollandia a Reverendo Domino Krys recepit, quibus nobis unanimitatem commendat, & a Reverendo Domino Quenello, quibus nos summopere rogatos habet, ut ipsius reditum in Belgium procuremus, ut ulciscatur injurias nobis & sibi per Illustrissimum Dominum Archiepiscopum illatas.

Quibus litteris lectis resolutum est, prælatis Dominis indicandum esse, se muneri suo his in partibus non esse defuturos.

Et proximam Congregationem indixerunt in diem posterum post meridiem, quandoquidem tempus deesset in hac Congregatione ad deliberandum super aliis negotiis.

Congregatio 30. Septembris 1706.

Convenerunt Amici, & proposuit eis Clarissimus Dominus van-Espen, utrum sint contenti sese permittere adscribi numero Civium Amstelodamensium, ad vitandas oppressiones Romanorum, & ut ita frui possint protectione Hollandorum Statuum præferenda omnibus aliis, cum jam sint Dominatores totius Belgii.

Et resolutum fuit, prius desuper mature esse deliberandum, & ab aliis Amicis Bruxellis & alibi degentibus petendum fore, quid ipsis de hac propositione videatur.

Et ulterius resolutum est, agendas esse gratias Eruditissimo Patri Ballexo, quod nostras Resolutiones adversus Eximium Patrem Desirant captas pariter in Definitorio Capituli Provincialis resolvi curaverit.

Et

Et proximam Congregationem indixerunt in 7. mensis Octobris 1706.

Congregatio 7. Octobris 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit eis aliquis nomine Clarissimi Domini van-Espen gratas Litteras ex Hollandia a Revendo Domino Krys, quibus indicatur, si unanimiter pugnemus contra nostros hostes, nos certo futuros dominatores.

Et resolutum est, respondendum esse, nos semper pugnaturos acriter cum hostibus nostris, & nos bella esse indicturos eorum Fautoribus.

Deinde resolutum fuit, negotia Amicorum esse summopere expedienda quamprimum, & inter alia processum D. Gerberonii contra Illustrissimum Dominum Archiepiscopum esse prosequendum, cum diu quieverit, & hoc negotium commissum fuit Clarissimo Domino van-Espen, qui terminos & scripta conficere non dedignabitur ad prosecutionem hujus causæ appellationis.

Ulterius resolutum fuit, procurandum esse via Juris reditum R. D. Quenelli, prout ei addictum est per nostras Epistolas, ut ipse invadere possit Archiepiscopum, adeoque eum & Asseclas omni negotiorum genere obruere.

Et proximam Congregationem indixerunt in 17. currentis mensis.

Congregatio 17. Octobris 1706.

Convenerunt Amici & proposuit Clarissimus Dominus van-Espen, utrum adhuc inhæreant anterioribus Resolutionibus de prosecutionibus negotiorum Amicorum?

Et unanimi consensu resolutum est, omnia negotia esse expedienda, & sese adhuc inhærere anterioribus Resolutionibus, volentes ut tam bene contra Archiepiscopum Mechliniensem agatur, quam contra alios, quandoquidem per Hollandiæ protectionem multa negotia modo faustum exitum habuerint.

Et proximam Congregationem indixerunt in 30. currentis mensis Octobris.

Congregatio 30. currentis mensis Octobris 1706.

Convenerunt Amici, & relatum est Eximium Patrem Desirant appellasse a Resolutionibus captis in Definitorio Capituli Provincialis Mechliniæ celebrati ad onus ejus, ad Reverendissimum Patrem Generalem Ordinis, quam ob rem Patres Definitorii summopere esse perturbatos.

Et unanimi consensu resolutum fuit, ideo adhuc pergendum esse contra Eximium Patrem Desirant.

Ulterius resolutum est, se paratos esse Patres Definitorii adjuvare.

Et cum tempus elapsum esset, ita ut non posset deliberari super negotiis adhuc proponendis, ideo proximam Congregationem indixerunt in tertiam sequentis mensis Novembris 1706.

Congregatio 3. Novembris 1706.

Convenerunt Amici, & proposuit Clarissimus Dominus van-Espen, utrum hoc tempore omnes Resolutiones in anterioribus Congregationibus captas velint generoso animo curare executioni mandari, quandoquidem nullus sit, qui ipsis resistere valeat, cum Internuntius jam sit miles sine armis, cum Archiepiscopus ipsemet protectione Statuum Hollandiæ egeat, & cum totum Belgium sit turbatum, & cum nostri hostes sub protectione sint nulla.

Et Amici deliberarunt, se contentos esse ut omnes Resolutiones executioni mandentur, prout adhuc ante toties resolutum fuit.

Et proximam Congregationem indixerunt in 13. currentis Mensis.

Congregatio 13. Novembris 1706.

Convenerunt Amici, & eos rogavit Clarissimus D. van-Espen, ut nequaquam obtemperent Internuntio, quandoquidem sit homo perfidus, qui contra omnes Amicos, cum Archiepiscopo, aperto marte vult agere, qui partes maximorum hostium suscepit, nimirum Desirant & aliorum, qui ipsos prosternere tentabit, prout Archiepiscopus tentavit: si enim non vult indicere

cere bellum, qua de causa suscipit partes Desirantii qui maximus est hostis? Insuper rogatos habuit Amicos, ut impediant confirmationem Internuntii, cum, si confirmetur, majori vi & fortioribus armis sit contra ipsos pugnaturus.

Et Amici hac oratione audita, responderunt, se nequaquam esse obtemperaturos Internuntio, & se daturos operam, ne confirmetur.

Hac Responsione visa, Clarissimus D. van-Espen indixit in 15. Novembris 1706. proximam Congregationem.

Congregatio 15. *Novembris* 1706.

Convenerunt Amici, & Clarissimus D. van-Espen proposuit Amicis, utrum velint fidem sibi mutuo datam per aliquam chartam renovare? utrum sint parati respuere omnia Decreta, quæ Illustrissimus D. Internuntius, si confirmetur, feret? utrum sint parati defendere Propositiones illustres Jansenii? & utrum velint se permittere adscribi numero Civium Amstelodamensium ad vitandas omnes difficultates, quæ poterunt oriri?

Et unanimi consensu resolutum est, conficiendam Actam, quam omnes subsignare tenebuntur, per quam declarabunt sese contentos esse, ut prædicta ita fiant.

Et proximam Congregationem indixerunt in 26. currentis Mensis.

Congregatio 26. *Novembris* 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit Clarissimus D. van-Espen litteras, quas ex Hollandia ab aliquot diebus recepit, & ab eis petivit, quid sit ulterius faciendum?

Et unanimi consensu est resolutum, esse respondendum debito cum respectu.

Et proximam Congregationem indixerunt in 5. Mensis Decembris 1706.

Congregatio 5. *Decembris* 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit eis Clarissimus D. van-Espen litteras, quas ab Eruditissimo P. Ballexo recepit: quibus lectis Clarissimus D. petivit, quid ulterius faciendum?

Et unanimi consensu resolutum fuit, esse respondendum, & scribendum ad omnes Amicos, hic tentaturos esse conamina scelesta Eximii Patris Desirant frangere, & pariter impedire, ne ingrediatur Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini, vulgo Martiniensium, ad ibi habitandum.

Et proximam Congregationem indixerunt in 30. currentis Mensis, aliquas ob rationes.

Congregatio 30. *Decembris* 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit Amicis chartam seu Actam istam a se confectam, de qua in Coogregatione de 15. Novembris præteriti, ut eam signarent.

Et resolutum est, eam prius esse mittendam ad Amicos Bruxellis, ut ipsi eam etiam signent. Ulterius etiam resolutum est, omnia ea sub juramento debere taceri, quæ his in Congregationibus aguntur.

Et proximam Congregationem indixerunt in secundam Januarii 1707.

Congregatio 2. *Januarii* 1707.

Convenerunt omnes Amici, & Clarissimo D. van-Espen novum felix anni auspicium precati sunt, sicuti Clarissimus D. van-Espen pariter omnibus Amicis novum felix anni auspicium precatus est.

Et proposuit primo Clarissimus D. van-Espen, utrum sint signaturi Actam istam, de qua in Congregatione de 15. Novembris novissimi &c. si forte aliqui Amici Bruxellis seu alibi recusarent signare, quia ipsi hic prius non signaverunt.

Secundo, Utrum Amici sint contenti conficere unum novum Formulare nominum Amicorum, ad se mutuo scribentium, ut vitentur omnes difficultates, quæ poterunt inde evenire hoc anno?

Ad primum Articulum responderunt, se esse signaturos.

Ad secundum responderunt, se esse contentos.

Et sine mora Clarissimus D. van-Espen confecit unum novum Formulare tenoris sequentis.

FOR-

ALIA INSTRUMENTA CONFICTA. (*a*)

E P I S T O L A

Ad Reverendum Patrem Ballexo Ex-Provincialem, de 20. Septembris 1706. (*b*)

Eruditissime Pater,

MIts van ons versocht is geweest door U. E. Brieven, dat wy U. E. souden geven eenen goeden middel, om onsen Desirantius te connen doen berlten, aengesien dat hy een man is, die U. E. Order sal altyt trachten te vernielen, ende te saemen die treffelijcke Mannen, die in de selve zyn, soo en hebben wy geene betere middelen connen vinden, als ten zy dese naervolgende: U. E. moet doen in U. E. aenstaende Capittel resolveren, als dat hy moet naer Brussel gaen, ofte elders sub præcepto obedientiæ, en dat hy sal moeten de Choor en den Refter frequenteren nessens een ander: men moet sijnen Secretaris verre van hem senden, vansgelijcken sijnen Bicht-Vader: men moet synen knecht wegh-jaegen: men moet sijnen hof tot den gronde toe af-smyten: men moet hem verbieden van geensints de Coetse te gebruycken; en ist dat U. E. eenige besondere dingen tot sijnen last hebt, men kan hem daer over voorder straffen, geen regard op syne qualiteyt nemende: en is dat men niet goet en keurt van onsen Desirantius te amoveren, soo moet U. E. hier doen eenen Prior stellen die teghen hem is, die hem eenen Socius sal assigneren, om te sien, waer hy gaet, en wat hy seght, en doet, die een pertinent relaes sal konnen doen: vansgelijcken eenen broeder in plaetse van synen knecht die alles sal konnen af-spieden, en refereren, wat hy in syn quartier doet, en wat affairen daer gehandelt worden, en wie datter oock kompt. Dese dingen syn de beste middelen

Eruditissime Pater,

QUandoquidem per Litteras tuas rogati simus, ut Reverentiæ tuæ aptum medium daremus, quo Desirantius noster cogatur crepare, quandoquidem talis is sit, qui vestrum Ordinem semper conabitur perdere, & pariter ejusdem Ordinis Viros præclaros, non potuimus invenire media magis opportuna, quam hæc, quæ sequuntur: Reverentia Tua debet efficere, ut in Capitulo proxime instanti statuatur, quod debeat Bruxellas aut alio ire sub præcepto obedientiæ, quod debebit frequentare Chorum & Refectorium non secus ac alii. Oportet Secretarium ejus procul ab eo dimitti, & similiter ejus Confessarium: oportet ejus famulum expelli: oportet ejus hortum ad fundum usque dejici: oportet ei prohiberi ne ullo modo Rheda utatur: & si Reverentia Tua aliqua specialia habeat ad onus ejus, potest propterea puniri ulterius, nulla habita ratione qualitatis ejus: & si non probetur amoveri nostrum Desirantium, Reverentia Tua debet efficere ut hic statuatur Prior, qui sit ei contrarius, qui ei assignabit Socium, qui videat quo vadit, & quid dicat, & quid faciat, qui exactam relationem facere possit: similiter fratrem vice famuli, qui omnia possit explorare & referre, quid agat in suo quarterio, & quæ ibi negotia tractentur, & quis eo veniat. Hæc sunt media maxime opportuna, ut cito possit de medio tolli, nec erit quies in vestra Religione, nisi eo mortuo: & per media præscripta Reverentia Tua poterit domare superbiam istius boni Socii: & in Congregatione nostra de vigesima tertia Augusti etiam decreta sue-

(*a*) Ad Cap. IV. Art. 536. & ad Caput VIII. Art. 901. & sequentes.

(*b*) Consignata die 24. Mart. Concl. fin. N. 901.

om hem haest van kant te konnen helpen, en daer en sal geene rust wesen in U. E. Religie als ten sy, dat hy doodt is. Ende door dese voorschreve middelen sult U. E. konnen den hooghmoet van desen quant oock breken. En de voorschreve dingen syn in ons Congregatie van den 23. Augusti oock geresolveert geweest, gelijck Pater Baert sal U. E. konnen te kennen geven: daer en is niet eenen die soo teghen de Godtvruchtige Mannen van de Order is, als ten zy desen quant: en waer't saecken, dat hy syn recours wilt naer den Generael nemen, ofte van de resolutiens van het Capittel ofte Difinitorium appelleren, ick sal wesen den helper, en ick sal hem in den naem van het Capittel ende Definitorium soo wel by den Generael beschilderen, dat hy geen groot gehoor en sal bekomen. Misschien sal het Definitorium de voorighe dinghen niet derven resolveren, om dat hy by onsen Aerts-Bisschop soo wel gesien is; men moet het daerom niet laeten, onsen Aerts-Bisschop sal niet derven syne Partye aennemen in dese conjuncture van tyde: en is dat hy soo seffens wordt overvallen, de vrienden sullen hem oock verlaeten, want sy sullen peysen dat het quaet is sich-te bemoeden met de affairen van Moninncken: en ist dat U. E. kont dese voorsz. dinghen tegen onsen Desirantius doen uytwercken, wy sullen U. E. altyt indachtigh wesen: en ist dat dese affairen naer onsen wensch uytvallen, wy sullen alle onse andere voornemens met eenen kloecken moedt gaen uytwercken: wy en hebben niemant nu te vreesen, de Franschen syn eweggejaeght, en wy syn ten langhen lesten naer onsen wensch onder het soet Hollants jock gekomen, naer de welcke wy soo lanck gehaeckt hebben: en U. E. mooght voorsekert zyn, dat de Hollandtsche protectie oock ons niet en sal manqueren, die te prefereren is voor de protectie van den Aerts-Bisschop, en van den heelen aenhanck: en om alle dingen kort te maecken, soo hope ick, als dat ick aen U. E. brieven volgens myne plicht voldaen hebbe. Allen de Vrienden doen U. E. seer groeten, gelyk ick oock ben doende, ondertusschen blyve ick met offer van mynen dienst. *Onder stont*: Eruditissime Pater, U. E. bereeden, en onderdaenigen dienaer, *Onderteeckent*: Z. B. V. E. *Aen den kant stont*: Loven desen 20. September 1706. *Het Opschrift was*: Eruditissimo Patri, Patri Emmanueli Ballexo S. Th. Licentiato, Provinciali meritissimo Ordinis S. Augustini &c. *Onder stont*: Amica manu, Mechliniam.

fuerunt suprascripta, prout Pater Baert poterit Reverentiæ Tuæ indicare: nullus adeo contrarius est piis Viris Ordinis, quam iste bonus Socius: & si velit auxilium Generalis implorare, aut appellare a Resolutionibus Capituli aut Definitorii, ego adjutor ero, & nomine Capituli & Definitorii, tam belle eum apud Generalem depingam, ut non facile sit ei aures præbiturus. Forte non audebit Definitorium prædicta statuere, quia Archiepiscopo nostro tam gratus est; sed non propterea omittendum est; non audebit Archiepiscopus noster partes ejus suscipere in hac temporis ratione: & si ita simul undique opprimatur, etiam Amici eum deserent, cogitabunt enim non esse tutum immiscere se negotiis Monachorum: & si Reverentia Tua possit efficere ut suprascripta contra Desirantium nostrum mandentur executioni, semper erimus Reverentiæ Tuæ memores: & si hæc negotia ex voto nostro succedant, omnium aliorum propositorum nostrorum executionem majore animo aggrediemur: nemo jam nobis timori est, depulsi sunt Galli, nosque tandem ex voto nostro suavi jugo Hollandico subditi, ad quos tamdiu anhelavimus: & Reverentia Tua pro certo habeat, nobis non defore protectionem Hollandicam, quæ præferenda est protectioni Archiepiscopi, omniumque Assectarum: & ut omnia paucis absolvam, spero fore ut Litteris Reverentiæ Tuæ pro debito meo satisfecerim. Amici omnes Reverentiam Tuam plurimum salvere jubent, prout ego itidem facio. Interea maneo cum obsequii mei oblatione. Infra habebatur: *Reverentiæ Tuæ promptus & obsequens famulus*, Signatum: *Z. B. V. E.* In margine habebatur: *Lovanii hac vigesima Septembris*, 1706. Superscriptio erat: *Eruditissimo Patri, Patri Emmanueli Ballexo Sacræ Theologiæ Licentiato, Provinciali meritissimo Ordinis Sancti Augustini &c.* Infra habebatur: *Amica manu Mechliniam.*

QUIN-

QUINQUE EPISTOLÆ (a)

Conspiratoriæ. (b)

Eruditissime Domine,

ME bene Lovanium venisse significo, Amici me convenerunt, sunt adhuc bono animo, a Resolutionibus suis desistere non intelligunt, continuare Congregationes volunt apud D. Vivien, & ibi teneri nostras chartas; nostras Resolutiones executioni curabimus mandari. Hostes nostri multa falsa spargere non desistunt: Die Jovis plura scribam: hæc per modum advisamenti, interea maneo, *Inferius habebatur*: Vester humillimus Servus Z. B. V. E. cum signo quadro oblongo [ ]. *In margine inferiori habebatur*: Lovanii 1. Februarii 1707. *Superscriptio erat*: Myn Heer, Myn Heer van den Nesse Pastoor van S. Catharine tot Brussel. Loven desen 1. Feb. 1707. Cito Cito. *Infra habebatur* Facta Collatione cum suo originali, Concordantiam attestor. *Signatum*:

BART. HENDRIKX Secret.

Myn Heer,

ICk laete U. E. weten als dat wy heel verstelt syn. Myn Heer Opstraeten die wort geattaqueert van de Stricte Faculteyt Theologie tot reproductie van dien originelen brieve: wy syn van intentie syne partye aen te nemen; sy meynen ons vervaert te maecken: maer een ding isser te beklaegen; dien fiel die voor ons geschreven heeft, en die wy soo betrauwt hebben, die heeft die stautigheyt gehadt van derven ten tyde van myne absentie de deuren van myn huys open te breeken, en daer myne pampieren uyt te nemen, en van onse Vrienden: ick en twyfele niet ofte sy syn gedraegen by onsen Desirantius; want van langen tyt heeft hy daer verkeert; Ick en hebbe geenen beteren middel konnen vinden om hem te doen stilswygen, als hem te doen van kant te stellen, en dan sullen wy alles konnen loochenen: 't is beter dat hy qualiick vaert als wy: dinsdag savonts heeft hy bynaer genoech gehadt, maer hy is noch opgestaen: en woensdagh in de andere weke sal hy voor syn leven genoech krygen: 't is maer eenen perjurus: wy sauden hem

Domine,

CErtiorem Te facio quod simus plane attoniti. Dominum Opstraet invadit Stricta Facultas Theologica, ut reproducat Originalem istam Epistolam: propositum nobis est partem ipsius suscipere. Putant nos terrere. Unicum est quod deploramus, Nebulo iste, qui pro nobis scripsit, & cujus fidei tantum commisimus, eo progressus est audaciæ, ut tempore absentiæ meæ ausus fuerit fores domus meæ effringere, & inde meas & Amicorum nostrorum chartas auferre: non dubito quin delatæ sint ad nostrum Desirantium; jamdiu enim frequens ibi fuit. Non inveni aptius medium, quo silere cogatur, quam ut procurem eum de medio tolli, *tunc poterimus omnia negare: præstat ut ipsi male cedat quam nobis: parum absuit quin vespera feriæ tertiæ receperit quantum satis; sed adhuc erexit se: Feria quarta proximæ hebdomadæ sic accipiet, ut deinceps tota vita sua non egeat: est plane perjurus; citius eum de medio tolleremus; sed foris sunt, qui rem debent executioni mandare. Spero fore ut Dominatio Tua consilium hoc non spernat, alias enim perditi sumus. Totus jam rursus incumbam, ut omnia negotia no-*

O 2 *stra*

(a) Ad Cap. IV. (b) Consignatæ per Reum die 14. Martii 1707. C. IV. N. 520. 521.

eerder van kant helpen, maer die persoonen die d'executie moeten doen syn buyten de stadt. Ick verhope niet dat U. E. sult desen raedt versmaeden, want anders soo syn wy verloren. Ick gaen my veer employeren om alle onse affairen te stellen in goeden staet. Al ist dat onse vyanden vele valsche tydinge verspreyden, daerom synen moedt niet verloren; want ick hebbe brieven gekregen van Roomen en Hollant met tydinge, dat onse affairen in goeden staet zyn. Ick en recommandere maer d'eendrachtigheyt, die onsen schilt wesen moet, om onse vyanden te verslaen. Belieft eens aen myn Heer Du Cellier te seggen, dat hy aen Gerberon schryft, als dat syne affairen in goeden staet syn, en dat wy hopen hem binnen korten tydt hier te sien tot onse triumphe, en tot schande van onsen Aerts-Bisschop Simplicianus. Ick ben besigh met te gaen maeck en eene schristure tegen de Stricte Collegie der Faculteyten der Rechten die nu haest haer gerefuteert hebben, en naer dit sal ick d' affairen van onse Vrienden ter herten nemen, om onse vyanden te troubleren, en om in troubel te houden, om aldus tot onsen budt te komen; want in troubel waeter is goet visschen te vanghen. Ick soude meer schryven, maer den tydt is te kort. U. E. kont dit te kennen geven aen de andere Vrienden, het welck doende soo. *Onder stont*: blyve U. E. bereeden dienaer. *Onderteeckent*: Z. B. V. E. --l______l-- Loven den 3. Feb. 1707. *Opschrift*: Myn Heer, Myn Heer du Cellier Bassolier in de H. Theologie, woonachtigh in de quackelstraet in het vierden huys op de slincker handt in 't inkomen van de straete, om voorder te bestellen aen Myn Heer van de Nesse &c. Brussele cito cito. *Onder stondt*: Collatione facta cum suo Originali, Concordantiam Attestor. *Signatum*: Bart. Hendrikx Secret.

stra in bono statu disponam. Quantumvis inimici nostri multos rumores falsos spargant, non ideo despondendum est animo: recepi enim Litteras Roma & ex Hollandia, quæ nuntiant negotia nostra in bono statu esse. Concordiam tantum commendo, illa nobis clypeus esse debet, quo hostes nostros profligemus. Placeat tibi dicere Domino Du Cellier ut scribat ad Gerberon, quod ipsius negotia sint in bono statu & quod eum intra breve tempus speremus hic videre ad nostrum triumphum & ad ignominiam Archiepiscopi nostri Simpliciani. Occupatus sum compositione alicujus Scripti, contra Strictum Collegium Facultatum Jurium, quo ipsorum Scriptum cito refutavero, quo facto Amicorum nostrorum negotia erunt mihi cordi, ut inimicis nostris turbationem initiam, eaque ipsos occupatos detineam, quo sic ad scopum nostrum pertingamus; in aqua enim turbida juvat piscari. Plura scriberem, sed tempus nimis breve est. Dominatio Tua poterit hoc cum aliis Amicis communicare, quod faciendo: Infra habebatur: *Dominationis Tuæ promptus famulus*. Signatum: *Z. B. V. E.* --l______l-- *Lovanii tertia Februarii* 1707. Superscriptio: *Domino Domino Du Cellier Sacra Theologia Baccalaureo habitanti in platea dicta de Quackelstrate, in domo quarta ad sinistram in introitu plateæ, ad destinandam ulterius Domino van de Nesse &c. Bruxellas Cito Cito*. Infra habebatur: *Collatione facta cum suo Originali Concordantiam attestor.*

Signatum:

Bart. Hendrikx Secret.

Eu-

Eruditissime Domine,

SAlute prævia. Non dubito, quin receperis meas præcedentes Litteras, quibus cognoscere potuisti, Amicos nostros adhuc bene valere: timeo ne nostra negotia sint detecta per nostrum infidelem Amanuensem, ego non dubito, quin similiter probetis nostrum consilium de ipso vi occidendo, melius est ut ipse luat, quam ut nos luamus: die Jovis vesperi aut Mercurii, hanc Resolutionem executioni curabimus mandari, prout alias scripsimus. Magno studio conor futile Scriptum nostri Stricti Collegii reiicere. Non desis nomine meo, Domino van der Vloet dicere, ut intentet suam Causam contra D. Rayemaeckers, quam citissime, ut eo modo possimus denuo nostros hostes obruere multis negotiis. D. Laddersous mihi heri Mechlinia scripsit nostros labores non frustra esse adhibitos in electione novi Canonici Graduati, se non dubitare quin D. Melchiorem sint electuri, quæ res nostris inimicis magnum terrorem afferet, & præcipue nostro Simpliciano: hoc est iterum nostrum opus, & si ita pergamus unanimiter agere, omnia ita succedent. Nostri inimici non desinunt spargere falsa nuntia, ideo non parvo simus animo, nostras Resolutiones, antequam oppressio occulta nos possit obruere, executioni curabo mandari, & præcipue nostri captivi contra Simplicianum &c. Indica semel, utrum noster Kilianus adhuc accedat Simplicianum, cum hesterna die resolverimus aliquod opusculum componere contra Kilianum & Simplicianum de Statu Clericorum Belgii & ejusdem Superiorum. Noster magister Denique lubentissime imprimet. Heri nostras Congregationes egimus apud Keyenbergh, egregie adhuc risimus cum nostro Simpliciano & Assectis. Saluta Amicos, & dic Amicis, ut semper sint unanimes, & bono sint animo. Mihi Responsum quam citissime scribas. Signor ex corde. *Inferius habebatur*: Vester humillimus Servus. *Signatum erat*: Z. B. V. E. *cum signo quadro-oblongo*. I▭I. *Et adhuc in margine inferiori habebatur*: Si Litteræ nostræ ad manus non perveniant, aliud medium adhibere cogemur. Lovanii 5. Feb. 1707. *Superscriptio erat*: Jouff.e Jouff.e van Bont Gheestelycke Dochter, om voorder te bestellen aen Myn Heer van den Nesse Pastoor van S.t Catharine. Brussclen. Loven desen 5. Feb. 1707. *Infra habebatur*: Concordantiam cum suo originali *Attestor*. *Signatum*: Bart. Hendrikx Secret.

Eruditissime Domine,

SAlute prævia, Amici obstupuerunt, perturbati sumus, nostram partem deseruisse videris. Tres aut quatuor Litteras scripsi, responsum scribere dees. Nostri homines, qui executionem adversus nostrum Amanuensem perficere debent, nondum sunt in urbe. Responsum lubenter haberemus: si nostræ Litteræ ad manus non perveniant; indica nobis semel: aliud medium adhibere conabimur. Plura scribere non possum, cum non vacet mihi. Interim maneo, *Inferius habebatur*: Vester humillimus servus. *Signatum erat*: Z. B. V. E. cum signo quadro oblongo I▭I. *In margine inferiori habebatur*: Lov. 8. Februarii 1707. Amici salutant vos. *Suprascriptio erat*: Myn Heer, Myn Heer Du Cellier Bassclier in de Theologie woonende in de Quackel-straet, om voorder te bestellen aen Myn Heer van den Nesse. Brussclen. Loven desen 8. Feb. 1707. *Infra habebatur*: Concordantiam cum suo Originali attestor. *Signatum*: Bart. Hendrikx Secret.

Myn

Myn Heer,

NAer eene hertelycke groetenisse soo laete. U. E. weten als dat wy geresolveert hebben onse affairen stil te houden, uyt redene, dat wy moeten aensien hoe het met de affairen van het Lant sal gaen, want 't en is niet genoegh dat wy ons in den algemeynen last sullen gaen smyten, sonder hope van uyt de selve te connen comen; laet ons alles gerust laeten, *donec & usque*. Onsen Amanuensis die sal vry gelaeten worden, en men sal hem soecken t'apaiseren. Dese raeden en sult U. E. niet disavoueren, want 't is te vreesen, waert saecken dat wy alles te verck stelden, dan qualyck daer naer te vaeren Wy moeten nu trachten ons besten te doen om onse vyanden te versoenen, om alle quaede suspicie van ons te amoveren. Mynen knecht is bynaer geseduceert gewest, te vergeefs. Dit onse resolutie aen de welcke willen ons houden. Die Vrienden die doen U. E. groeten, gelyck ick oock ben doende, blyve ondertusschen, *Onder stont*: U. E. bereeden ende geaffectioneerden Dienaer, *Geteeckent:* Z. B. V. E. *Noch onder stont:* Loven desen 15. Feb. 1707. *Opgeschrift:* Myn Heer, Myn Heer van den Nesse Pastoor van S. Cathlyne &c. Brussselen.

Domine,

C*Ordiali salute prævia, certiorem te facio, quod decreverimus negotia nostra silentio involvere, quia explorandum nobis est, quid de negotiis Patriæ sit futurum; neque enim satis est, ut commune onus in nos coniiciamus sine spe nos extricandi: finamus omnia quiescere donec & usque. Amanuensis noster dimittetur liber, eumque lenire conabimur. Hæc consilia Dominatio Tua non inficiabitur: timendum est enim, ne, si nihil intentatum relinquamus, male postea nobis cedat. Allaborandum nobis nunc est, ut Inimicos nostros placemus, ut omnem mali suspicionem a nobis amoveamus. Famulus meus ferme seductus fuit; sed frustra. Hæc est Resolutio nostra, a qua non volumus discedere. Amici salvere Te jubent, prout ego itidem facio, maneo interea :* Infra habebatur, *promptus & Tui studiosus famulus*. Signatum*: Z. B. V. E.* Deinde infra *: Lovanii hac decima quinta Februarii* 1707. Superscriptio erat : *Domino, Domino van den Nesse Pastori Sanctæ Catharinæ &c. Bruxellas*.

QUA-

QUATUOR EPISTOLÆ

Minatoriæ (*a*)

Ad Petrum Nicolaum Tourteau, signatæ, JOANNES NYMPHA. (*b*)

MAgister noster, tune audes portas frangere proditor? Quid persuades tibi? fidem non servabis? non stabis promissis? si violes juramentum, de te actum est, te persequemur, diabolus te auferet: hæc pro monitione salutari, ut non amplius portas effringas sub pœna mortis, nec prodas amplius, alias improviso opprimeris. *Inferius habebatur:* Maneo servus, *Signatum erat:* Joannes Nympha. *In margine inferiori habebatur:* Datum in Congregatione nostra 28. Januarii 1707. *Superscriptio erat:* Monsieur, Monsieur Tourteau woonende op de aude merckt, Loven, dobbele port 2. *Infra habebatur:* Concordantiam cum suo originali attestor. *Signatum*: Bart. Hendrikx Secret.

MAgister mi, ne prodas, ne prodas, alias de te actum est. Si prodas, de te actum est, diabolus te auferet, hæc pro iterata monitione salutari. *Inferius signatum erat:* Joannes Nympha, *In margine inferiori habebatur:* datum apud Keyenbergh tertia cras. *Superscriptio erat:* Monsieur, Monsieur Tourteau op de aude merckt. Franco. Loven. *Infra habebatur*. Concordantiam cum suo Originali attestor. *Signatum*: Bart. Hendrikx Secret.

NEbulo, hæc tertia est, effregisti portas, te verberibus exceptum esse asseris, gaudemus: si mortuus esses, non amplius accederes istum Schuffelium Desirantium. Si non desistas, non amplius verberibus excipieris, sed morte improvisa efficieris, persequemur te, hac in urbe tutus non eris, de te actum erit, te diabolo offerimus uti sacrificium, hæc est ultima salutaris monitio, *Inferius habebatur*: Maneo nequam servus, *Signatum erat*: Joannes Nympha. *In margine inferiori habebatur* Lovanii datum apud nos. *Superscriptio erat:* Monsieur, Monsieur Tourteau op de aude merckt tot Loven. *Infra habebatur:* Concordantiam cum suo Originali attestor, *Signatum*: Bart. Hendrikx Secret.

NEbulo, mortem non evadere amplius poteris. Ter evasisti, quarto non evades, proditor, perjurus, non dimittetur peccatum, nisi restituatur ablatum. Si non desistas adire Schuffelium Historiographum, nullibi tutus eris. Ultima salutaris monitio. *Signatum erat*: Joannes Nympha. In Congregatione 14. Februarii 1707. *Superscriptio erat*: Monsieur, Monsieur Tourteau Fripon. Louvain. *Infra habebatur:* Concordantiam cum suo Originali attestor. *Signatum*: Bart. Hendrikx Secret.

INSTRU-

(*a*) Ad Cap. IV. (*b*) Consignatæ 14. Martii 1707. supra N. 510.

INSTRUMENTA,

EX QUIBUS

Patent excessus, de quibus in Sententia.

I.

LIBELLUS OFFICII FISCALIS,

QUO

Obtenta fuit Citatio Personalis.

Magnifico Domino Rectori.

EXponit, qua par est, reverentia D. Joannes Baptista van Cutsem J. V. L. & hujus Academiæ Lovaniensis Promotor, nomine Officii Actor inquirens, omnibus notas & deploratas esse extremitates, quo funesta Theologorum dissidia processerint; sed omnium maximo scandalo in tantum eruperunt novissime diebus hisce, ut totam Europam ferme commoverint, primo per Epistolam confictam & Formulare de 10. Januarii 1707. dein per fictum Librum seu Registrum Congregationum habitarum & Resolutionum &c. una cum quibusdam Litteris cujusdam Henrici Grasper, occulta denuntiatione, per litteras, & personas ignotas, Magnificentiæ Vestræ destinatas, & apud Acta nona Martii 1707. reproductas & consignatas. Quodque horrendum, eo usque res processit, ut adulteratæ sint variæ signaturæ, ipsæ Epistolæ apud Cursorem publicum interceptæ fuerint; violatis in hunc modum omni cum Exteris commercio, & humanæ societatis vinculo. Cumque res ipsa loquetur, & corpus delicti clamorose insinuaret; Alma hæc Universitas pro suo in publicum amore Exponenti in sua Congregatione de 17. Martii injunxit, ut omnibus modis inquireret in Auctorem & complices pœnis debitis castigandos. Viam Exponenti præbuit fama publica, quæ Eximium Patrem Desirant Sacræ Theologiæ Doctorem indigitabat, genio a talibus non abhorrenti; notum enim erat, qualiter jam ab annis plus quam viginti tam Thesibus, quam Libellis in Doctorem Juris utriusque van-Espen invectus fuerit, qui tanquam Primaria hujus Scenæ Persona fungitur & inducitur. Notum est odium, quo fertur in præcipuos sui Ordinis in hac Provincia Patres, eo quod se opponant ejus modo vivendi voto paupertatis repugnanti, qui considerati seorsim a dicto Eximio Patre Desirant, in hac Scena ridicule intrarent. Igitur inquisitione legitime instituta, tandem patuit, totum hunc actum adornatum fuisse a dicto Eximio Patre Desirant, uso quodam Petro Nicolao Tourteau tanquam miserabili instrumento, paupere & juvenculo, magnis promissis ad hæc conducto, qui facti pœnitens, & nunc in sequestro positus, totam seriem aperuit coram Magnificentia Vestra in Responsis ad Interrogatoria ei ex parte Exponentis facta, de data 26., 27. Martii & 6. Aprilis hujus anni, & ex Schedulis transmissis, & ab ipso signatis & recognitis; ad quorum tenorem brevitatis causa refertur: quæ Responsa seu Depositiones ejusdem Tourteau adeo constantes sunt, & tot præsumptionibus

nibus & adminiculis fulciuntur, & aliis irrefragabilibus depositionibus roborantur, ut omni animo adversus veritatem non plane obfirmato plenam fidem extorqueant. Plurimorum siquidem testium depositionibus etiam juratis constat, quod ex parte dicti Eximii Patris Desirant fragmenta seu partes dicti Libri Resolutionum Tourteau quæsitæ fuerint ad corrigendum vel approbandum. Quod omnes Epistolæ uti & prædicti Libri Resolutionum in cubiculo dicti Patris Desirant diu visa sint & ab eodem dictis testibus exhibita: quod diversas copias eorundem confici jusserit; adeoque de fictione talium Litterarum securus erat, ut aliquot diebus ab ante variis declaraverit, se propediem exspectare Epistolam circa eadem negotia integro nomine Doctoris van-Espen signatam. Patrem Leopoldum a S. Theresia Carmelitam, uti & patrem dicti Tourteau ad eundem van-Espen a se instructos misit, ut dolosis prætextibus aliquid elicere conarentur, quo fides, vel species aliqua nefandissimæ fabulæ conciliari posset; & in eundem finem imo & per eundem Petrum Nicolaum Tourteau famulum prædicti Doctoris van-Espen ad se allicere magnis promissis conatus est. Præter alios fines, quibus usus est, impendit Patrem Grauwels Ordinis FF. Minorum Lectorem, ut totum Magnificentiæ Vestræ denuntiaret: cumque ex voto non successisset, ipse sub cooperculo & superscriptione manu sui Amanuensis exarata, clam Magnificentiæ Vestræ jussit deferri, pessimo sane exemplo, & quo delatores occulte, pestiferum hominum genus, sanctissimis Tribunalibus impune illudant. Insuper re non succedente, dictum Tourteau ad Reverendos Patres Carmelitas Calceatos retrahere jussit, ibidemque eidem varias instructiones, quibus in suis Responsionibus se conformaret, subministravit, quæ omnia plene convincunt primum infandæ hujus tragœdiæ Auctorem esse prædictum Patrem Desirant. Sed efficacissimum probationum genus, est ipsa delinquentis confessio, qualem coram Magnificentia Vestra prædictus Pater Desirant apud Acta diei 14. Martii hujus anni animo tranquillo & præmeditato dictavit ex Schedula, ita ut mereatur expendi. Ex ea siquidem constat, quod omnia, Litteras & Instrumenta, sub sea principio habuerit, quod Epistolas quasdam aperuerit, alias apertas legerit, quod copias quidem authenticas illarum fieri curaverit, & iis usus fuerit, cum ex pluribus unam tantum copiam reproduxerit & apud Acta consignaverit: quod sciverit varias ex iis Epistolis apud Cursorem malis artibus fuisse surreptas, & eo non obstante easdem legerit: imo secunda & tertia vice iterum recepit, legit, & detinuit, ubi vir animo recto & a talibus alieno, vel prima vice talem latorem domo expulisset, & in posterum suo limine severe interdixisset, Litteras ne quidem lectas Cursori mox restituisset & monuisset, ut a talibus, tam sibi quam publico caveret. Interim ut fatetur, negotium tale perrexit agere in tenebris. Magnificum Dominum, qui omnium Academicorum Superior est, de nullo admonuit, dictum Tourteau apud se detinuit, ejus verbis in re tanta, si persisteret, fidem habiturus; ubi omnes fere accusatos utpote Academicos ad manus habebat, & signanter in ipso suo Conventu RR. PP. Baert & de Fraye, quos vel saltem eorum Superiores consulendos esse, suadebat tam Christiana prudentia, quam Religiosa caritas; & hoc modo veritatem, si eam quæsiisset, facile assecutus fuisset. Sed hoc neglecto, ut fateri pergit, ad dictam occultam & pessimi exempli denuntiationem, maluit procedere, sic ut undequaque corruat frigida excusatio, quam modo deprehensus inclamat, quasi a dicto Petro Tourteau sibi foret impositum; cum ex prædictis nulla resultet deceptio nisi affectata & voluntaria; quæ etiam nullo modo præsumenda est, cum nihil in hoc iniquitatis mysterio reperiatur, quod in commodum ejusdem Tourteau cederet, utpote a nemine injuria affecti; sed bene quod in commodum dicti Patris Desirant, nimirum vindicare injuriam, quam putat sibi illatam a Doctore van-Espen & sui Ordinis Patribus, qui ibidem traducuntur, cum reflexione ad nuperam Catastrophen omnibus notam: de quibus omnibus constat ex Informationibus & aliis Actis hic junctis. Cumque non solum hujus Academiæ, sed totius ferme Europæ, per quam fama volitat,

litat, intersit, ut tanta crimina exemplariter castigentur, recurrit Exponens ad Magnificentiam Vestram,

Rogando, quatenus ad onus dicti Eximii Patris Desirant decernere dignetur provisionem justitiæ, seu decretum enormitati eorundem criminum conveniens, cum permissione arresti & sequestrationis effectuum ejusdem, sub debito inventario, quod faciendo &c. *Et erat signatum*: H. Malcorps. & J. B. U. Cutsem.

COPIA APOSTILLÆ.

VIso Libello supplice nobis exhibito ex parte D. Joannis Baptistæ van Cutsem J. U. L. Universitatis nostræ Promotoris, nomine Officii-Actoris inquirentis, nec non visis informationibus captis ex parte dicti Officii circa famosam Epistolam de 10. Januarii novissime elapsi, & alia inde secuta, provisionaliter adversus Eximium Patrem Desirant S. T. D. citationem personalem decernimus, ut hora nona matutina die 30. Aprilis currentis, in ædibus nostris coram nobis compareat, & ibidem respondeat ad Interrogatoria & Gravamina ex parte dicti Officii exhibenda, sub pœna ulterioris provisionis, hac die 28. Aprilis 1707. *Infra habebatur*. De mandato Magnifici Domini Rectoris. *Et erat Signatum*: Bart. Hendrikx Secret.

COPIA RELATIONIS.

G*Einsinueert Copye authentiecque van de boven bevenstaende Apostille met myn Relaes van daeghsel daer onder staende aen den properen Persoon van Pater Desirant, & acceptavit, ontrent ten Thien uren voor noen desen 29. April. 1707. Toirconde &c.* Ende was onderteeckent: *Joannes Baptista Neeffs*. Onder stont *Collatione facta, Concordantiam attestor*. Signatum: *H. W. Quirini Not. Apost.* 1707.

INsinuata est Copia authentica Apostillæ supra positæ, cum Relatione mea citationis infra positæ ad propriam Personam Patris Desirant, & acceptavit, circa horam decimam matutinam, hac 29. Aprilis 1707. In cujus fidem &c. *Et erat signatum:* Joannes Baptist a Neeffs. *Infra habebatur:* Collatione facta, Concordantiam attestor. *Signatum*: H. W. Quirini Not. Apost. 1707.

II.

LIBELLUS GRAVAMINUM

Pro Consultissimo Domino JOANNE BAPTISTA VAN CUTSEM J. U. L. Universitatis Lovaniensis Promotore seu Fisco Generali, nomine Officii Actore Inquirente,

Contra Patrem BERNARDUM DESIRANT S. Th. Doctorem Reum inquisitum personaliter citatum,

PRæfatus Actor deducendo Gravamina ad onus prædicti Rei, sub omnibus &c. dicit, ponit, & articulat sequentia.

I.

Quod Reus plura pertinacis odii signa ostenderit contra Clarissimum Dominum van Espen, quod ortum habuit ex Libello quodam de Peculiaritate & Simonia, a quo tempore Dominum van-Espen amaris illis diffidiis Scholasticis semper involvit.

Hac nona Maii, hora nona matutina, coram Magnifico Domino Rectore, Amplissimo ejus Assessore, Dominis Advocato Fiscali, & Promotore comparuit Eximius P. Desirant, qui ad Primum Articulum respondit, ut sequitur: *Fuit utrimque altercatio Scholastica.*

II.

Quod notum sit odium, quo dictus Reus fertur in præcipuos Patres Ordinis sui hujus Provinciæ, qui se opponunt vitæ ejus licentiori, uti contrariæ professioni suæ, & voto paupertatis.

Ad secundum, *De odio negat, justam defensionem fatetur.*

III.

Quod Petrum Nicolaum Tourteau impenderit ad fabricandam Epistolam de 10. Januarii 1707. ad Dominum van den Nesse Pastorem S. Catharinæ Bruxellis, eo tendentem, ut dictus Dominus van-Espen, & præfati Patres ejusdem Ordinis, una cum pluribus ex Primariis hujus Academiæ, aliisque de Clero Viris tanquam nequissimæ conspirationis in Religionem & Statum Rei traducerentur.

Ad tertium, *Negat.*

IV.

Quod ibidem notorie adulterata sit signatura prædicti Clarissimi Domini van-Espen.

Ad quartum, *Transeat, quod id constet nunc.*

V.

Quod prædicta Epistola apud Reum visa sit, & quod eam pluribus legendam exhibuerit.

Ad quintum, *Transeat in bonum finem.*

VI.

Quod plures copias ejusdem fieri easque authenticari curaverit, & iisdem ad fines suos usus fuerit.

Ad sextum, *Transeat in bonum finem.*

VII.

Quod Reus per eundem Petrum Nicolaum Tourteau fabricari curaverit Librum Resolutionum, quæ in variis congregationibus ab iisdem prætensis conspiratoribus captæ fuissent, conformiter ad prædictam confictam Epistolam de 10. Januarii 1707., quodque Reus eidem Tourteau tam Libri

hujus, quam dictæ Epistolæ materiam subministraverit.

Ad septimum, *Negat pro utraque parte.*

VIII.

Quod similiter Reus eundem Librum habuerit, variis legendum dederit, copias authenticas ejusdem fieri curaverit, illisque ad fines suos usus sit.

Ad octavum, *Transeat in bonum finem.*

IX.

Quod tam Liber hic, quam dicta Epistola de 10. Januarii 1707. præter horrendam diffamationem, quam continent, manifeste tendant ad excitanda diffidia inter Clementissimum Regem Nostrum, ejusque Fœderatos.

Ad nonum, *Transeat ad onus Petri Nicolai Tourteau.*

X.

Quod plures alias Epistolas Reus per eundem Petrum Nicolaum Tourteau confingi curaverit cum adulterata signatura Domini van-Espen circa eandem materiam, aliasque, quarum partim originalibus, partim earum copiis usus fuit.

Ad decimum, *Negat, quod curaverit confingi, aut copiis usus fuerit in malum finem.*

XI.

Quod inter eas quatuor sint minatoriæ, eo tendentes, ut Reus dictum Dominum van-Espen & Dominum Pastorem S. Catharinæ Bruxellis, aliosque de quibus in dicta Epistola de 10. Januarii 1707. horrenda calumnia diffamaret, quasi in vitam dicti Petri Nicolai Tourteau conspirassent, quibus etiam usus est.

Ad undecimum, *Negat, se fecisse fictionem vel usum in malos fines.*

XII.

Quod plura media quasi in oculos incurrerent, quibus falsitas horum omnium detegi posset, quodque Reus hæc non solum neglexerit, sed etiam studiose evitaverit.

Ad duodecimum, *Egit bona fide.*

XIII.

Quod e contrario pluribus mediis & occultis machinationibus usus sit, ut aliquid expiscari posset, quo fucum faceret, & nequissimæ suæ fictioni fidem aliquam vel speciem conciliaret.

Ad decimum tertium, *Semper egit bona fide.*

XIV.

Quod plures personas immiserit, quæ fraudulentis prætextibus proxime vel remote aliquid aucuparentur, quod prædicto ejus fini subserviret.

Ad decimum quartum, *Semper egit bona fide.*

XV.

Quod inter fraudulentos illos prætextus fuerit ipsum Pœnitentiæ Sacramentum.

Ad decimum quintum, *Semper egit bona fide.*

XVI.

Quod Reus in eundem finem nec a Cursoribus publicis abstinuerit, sed dictum Tourteau instituerit ad intercipiendas litteras in domo Cursoris hic Lovanii.

Ad decimum sextum, *Negat.*

XVII.

Quod dictus Reus Litteras aliquas pluribus distinctis vicibus interceptas, tot distinctis vicibus ab eodem Tourteau ad se uti tales delatas acceperit & acceptaverit, notanter Henrici Grasper.

Ad decimum septimum, *Transeat in bonum finem.*

XVIII.

Quod dictus Reus plures ex illis, signanter quæ in aliis inclusæ erant, aperuerit.

Ad decimum octavum, *Negat.*

XIX.

Quod omnes legerit, copias authenticas earumdem fieri curaverit, quibus ad fines, quos voluit, usus est.

Ad

Ad decimum nonum, *Nunquam ad malos fines.*

XX.

Quod omnia, ideft, Librum Refolutionum, Epiftolas feu eorum Copias clancularie tranfmiferit ad Altiores Poteftates, nominatim Illuftriffimos Dominos Internuntium & Archiepifcopum Mechlinienfem, eofque circumvenerit.

Ad vigefimum, *Semper egit bona fide.*

XXI.

Quod dictus Reus non contentus clancularii fuis diffamationibus, ut res majori cum auctoritate in publicum prodiret, abufus fit fanctitate Sacramenti Pœnitentiæ, ut Confeffarium nihil mali fufpicantem ad denuntiationem impelleret, & huic negotio involveret.

Ad vigefimum primum, *Negat.*

XXII.

Quod dictus Reus, ubi vidit rem fibi non fuccedere, omnia prædicta fub coopertura una cum introclufa clancularia denuntiatione peffimo exemplo vefperi per duos ignotos ad manus ancillæ Magnifici Domini Rectoris tradi curaverit.

Ad vigefimum fecundum, *Fuit factum Petri Nicolai Tourteau, de quo refpondeat.*

XXIII.

Quod eidem Tourteau ad Carmelitas ad Sanctam Catharinam profugo varias inftructiones & falfitates fubminiftraverit ad eludendum Judicium, & illum confirmandum in perjurio.

Ad vigefimum tertium, *Negat de falfitatibus, & in omnibus egit bona fide.*

XXIV.

Quod prædictus Reus in hac Univerfitate eminentem Gradum obtineat, & formandæ juventuti præpofitus fit, & inde crimen ejus plurimum augeatur.

Agnofcit Gradum, & negat crimen, & petit reverentiam.

Et habita lectura perftitit & fignavit. Et erat fignatum: Fr. BERNARDUS DESIRANT *S. Th. Doctor &c.* Infra habebatur: *Me præfente tanquam ad hoc auctorifato loco Secretarii*, Subfignatum: *Ægidio Schillinx.*

Quibus omnibus attentis &c.

Prædictus Actor concludendo contendit, quatenus per fententiam Magnificentiæ Veftræ præfatus Reus condemnetur in pœnas tam enormibus criminibus debitas cum expenfis, aut alias &c.

OFFICIUM &c.

Signatum: H. MALCORPS

QUA-

QUATUOR EPISTOLÆ (a)

Patris Desirant ad Reverendum Patrem Leopoldum. (b)

Reverende Pater,

SIs forti & sincero animo. Persona nota fingit, & loquitur ex suspicionibus haustis ex ore Domini Martin, qui imprudenter locutus est fratri dictæ personæ. Vestra Paternitas prudenter egit, & attento secreto obligante respondit juxta conscientiam: addi posset, quod vester discessus in Urbem Bruxellensem causa sit, quod alius homo non venerit. Nihil potes dare scripto, nec coram teste loqui, quia alioquin violaretur secretum, debetque ei dicere inter quatuor oculos, quod nihil scias nisi sub secreto, & quod nihil ei dixeris nisi sub secreto acceptato per ipsum, & quod non possis ultra loqui, nisi habita nova licentia, pro qua habenda scribetur ad Personam principalem. Gaudeo quod sit in errore Persona illa, dum putat quod Vestra Reverentia mihi aliquid tradiderit, quod non est verum: poteris inter quatuor oculos dicere in genere, quod attinet Patrem Desirant, Dominatio Vestra est in errore, sicut verum est: poteris etiam & inter quatuor oculos dicere, quod Persona illa, coram qua aperuit, non tradiderit Patri Desirant, & quod usque in hodiernam diem non habeas aliam notitiam. Videtur timere: bene est. Addi potest, quod in istis chartis nihil forsan contineatur momentosi, & quod ille in causa sit, non dicendo an ad se pertinerent, quod alias, si dixisset veritatem ab initio, res statim fuisset in ejus manibus. Noli unquam loqui coram teste vel testibus, sed semper prævie requirere secretum, aut alioquin non loqui: nihil etiam scripto dare potes in conscientia. Hæc raptim, suppositis supponendis & allegatis: petere poteris inter quatuor oculos, ut det vobis commissionem in scriptis Sarcinulam recuperandi, utpote ad se pertinentem. *Superscriptio est*: Admodum Reverendo Patri P. Leopoldo a Sancta Theresia Ordinis PP. Carmelit. Discal. Procuratori ad Sanctum Albertum &c. Lovanii *Infra habebatur*: Collatione facta, Concordantiam cum Epistola, quam Eximius Pater Desirant pro sua agnovit, attestor hac 4. Maii 1707. *Et erat Signatum*: BART. HENDRICKX Secret. *In margine habebatur*: Manu Patris d'Herbe.

Admodum Reverende Pater,

PAternitas Vestra prudentissime & felicissime processit, habet tres dies, qui exspectandi sunt: si interea temporis vocetur ad ædes Personæ notæ, non accedat, sed dicat se impediri; nam Vir ille est nimis impetuosus. Si Paternitatem Vestram ipsemet accedat, eidem loquatur inter quatuor oculos, ac exponat ea, quæ inter Paternitatem Vestram & Minoritam acciderunt, non nominando tamen Personam neque Ordinem, addendum tamen quod non sit Augustinianus. Subscribor, *Infra habebatur*: Admodum Reverende Pater, Paternitatis Vestræ humil. Servus. *Et erat Signatum*: F. BERNARDUS DESIRANT. *In margine habebatur*: Lovanii 2. Martii 1707. *Superscriptio erat*: Admodum-Reverendo in Christo Patri, P. a Sancta Theresia Ord. RR. PP. Carmel. Discal. ad S. Albertum Procuratori &c. Lovanii.

Admo-

(a) Ad Cap. III. Art. 412. & seqq.
(b) In judicio recognitæ; vide Concl. Fin. N. 409.

Admodum Reverende Pater,

UTi jam insinuavi, dignetur Paternitas Vestra non excurrere ad Personam notam; si tamen ipsamet excurrat, illi simpliciter dicere, quod Paternitas Vestra viderit Librum Resolutionum in manibus alicujus alterius Personæ, a qua accepit veniam hoc dicendi isti Viro; non tamen faciat mentionem illorum, quæ continentur, quia nullo modo est conveniens, ut per Paternitatem Vestram intelligat, quid in illo Libro habeatur. Subscribor Paternitatis Vestræ Humil. Servus. *Et erat Signatum:* F. BERNARDUS DESIRANT. *Infra habebatur*: Lovanii 2. Martii 1707. *Superscriptio erat*: Admodum Rev. Patri P. Leopoldo a S. Theresia ad S. Albertum Lovanii.

Admodum Reverende Pater,

DIgnetur Paternitas Vestra mihi facere honorem cras mane ad me excurrendi, sed prius inquirere placeat, quandonam Lovanii adfuturus sit Reverendus Admodum vester Pater Vicarius, ut cum illo, nomine aliquorum Eximiorum Dominorum, de negotio aliquo tractare possim. Subscribor: Admodum Rev. Paternitatis Vestræ Humil. Servus. *Et erat Signatum*: F. BERNARDUS DESIRANT. *Infra habebatur*: Lovanii 6. Martii 1707. *Superscriptio erat*: Admodum Reverendo in Christo Patri P. Leopoldo a S. Theresia Ord. RR. PP. Disc. ad Sanctum Albertum &c. *Infra habebatur*: Collata concordat cum prædictis Epistolis tribus signatis ut ante. *Et erat Signatum*: H. MALCORPS NOTS.

BART. HENDRICKX. Secret.

IV.

ACTA NOTARIALIS (a)

PER

Notarium VAN DORMAEL *de 27. Januarii 1707.* (b)

ANno Domini 1707. die 27. Mensis Januarii comparuit coram me Petrus Nicolaus Tourteau Lovaniensis, matrimonio junctus, monitus & requisitus ex parte Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis, super eo, quod denuntiatus sit, quod manu sua sub dictamine Clarissimi Domini van-Espen vocatus & rogatus prævio juramento scripserit varias Litteras suspectas & male sonantes, dare testimonium veritatis in favorem Justitiæ; Declarat in animam suam, quod sine ulla fraude aut dolo ex parte sua, & sine ulla intentione ex parte sua male faciendi plurima scripserit a Mense Julii anni elapsi sub præfati Clarissimi Domini dictamine, quodque nihil in iis unquam de suo addiderit aut dempserit, & quod ita inter alia scripserit originales Litteras de die decima hujus Mensis hic in alia pagina hujus folii manu ejusdem Comparentis copiatas, quæ incipiunt: *Eruditissime Domine*,

(a) Ad Cap. IV. Art. 604. & seqq.
(b) Consignata a R. P. Desirant, die 2. Maii Concl. Final. N. 780.

ne, *salute praevia*, *non mihi est dubium*, una cum nominibus ibidem expressis & Scripto introcluso, & quod suis oculis viderit dictum Clarissimum Dominum van-Espen dictas Litteras sua manu signantem quatuor majusculis, post singulam ponendo punctum, & dein Litteras claudentem & mittentem ad Postam per famulum suum: addidit Comparens, quod similiter sub dicti Doctoris eodem modo signantis dictamine scripserit tres Litteras, primas de 20. Septembris 1706. scriptas ad Eruditissimum Patrem Ballexo; secundas de 16. Decembris 1706. ad Dominum van den Nesse; tertias de 18. Decembris 1706. ad Dominum Krys; quarum tria originalia cum non fuerint destinata, recognovit coram me tanquam vera originalia: Item duas de 24. Decembris ad eundem Dominum van den Nesse: Item unas ad Eruditissimum Patrem van Wavre, de 29. Decembris elapsi: Item duas alias de quarta & nona currentis Januarii ad praefatum Dominum van den Nesse, & plures alias, quae omnes posteriores destinatae fuerunt. Item quod viderit in aedibus praefati Doctoris saepe & occasionaliter originalem Librum Resolutionum manibus diversorum scriptum, ligatum ligatura Francica in Folio, & quod Copia, quam ego Notarius hodie in alia Acta hujus diei vidi & posui, pro parte tertia concordet cum praefato Originali, prout etiam concordat Copia Declarationis ibidem pro parte quarta posita cum Originali, quod in iisdem aedibus pluries vidit & in manibus habuit, signatum diversorum characteribus, quorum plures cognovit & recognovit. Et finiens suam Declarationem, dixit, Se in conscientia motum praedicta declarasse Confessario suo cuidam Minoritae, a quo monitus, quod praefatum juramentum fuisset nullum & illicitum, tempestive omnia revelavit alicui ex Stricta Facultate Theologica, confidens se per hoc satisfecisse suae obligationi, paratus omnia praedicta confirmare sub juramento a Judice suo legitimo requisitus. Actum Lovanii anno & die ut supra, *Et erat subsignatum :* Petrus Nicolaus Tourteau. *Item habebatur :* Me praesente, *Et erat subsignatum :* J. J. van Dormael Notarius Apostolicus. *Infra habebatur :* Collatione facta cum Originali concordantiam attestor. *Signatum :* J. J. van Dormael Notarius Apostolicus.

V.

ACTA DEPOSITIONIS (*a*)

Clarissimi D. ZEGERI BERNARDI VAN-ESPEN *eorum*, *quae inter ipsum* & R. P. LEOPOLDUM A S. THERESIA *Carmelitam Discalceatum acta & dicta sunt circa Pacquetum sive Fasciculum famosum de* 13. *Januarii* 1707. (*b*)

INfrascriptus rogatus dare testimonium veritatis de his, quae ipsum Declarantem inter & P. Leopoldum a S. Theresia acta & dicta fuerunt occasione certi Pacqueti Scriptorum & Litterarum, quod ad Declarantem hic Pater spectare & a quodam surreptum esse & retineri asserebat, declarat sequentia.

Quod die 12. Februarii cum egrederetur Declarans e Schola Canonica post publicam Repetitionem in ordine ad gradum Licentiae in Jure, accesserit ipsum dictus Pater tunc temporis Declaranti ignotus, petivitque Declaranti loqui.

Cum autem Declarans cum praedicto Patre in

(*a*) Ad Cap. III. Art. 378. & seqq.
(*b*) In judicio consignata & recognita die 20. Junii 1707. (N. 388.)

in partem recessisset; dixit Pater, quod haberet proponendum Declaranti casum Jubilæi; (erat enim tempus Jubilæi) eumque casum exponens; dixit, aliquem ad ipsum venisse, qui sub se mala fide retinebat aliqua Scripta ad Declarantem pertinentia; quodque illum absolvere non posset, nisi facta restitutione.

His auditis, respondit Declarans, se nescire chartas aliquas sibi surreptas, aut perditas esse; unde se nescire, quæ possent esse hæc Scripta; addens, nisi forsan esset casus alicuis ad Declarantem missus.

Reposuit dictus Pater, non est Scriptum ad Reverentiam Vestram missum, sed a Reverentia Vestra ad alium aliquem destinatum.

Inscriptio, aiebat, est totaliter deleta, tantum infra apparet Amstelodamum.

Respondit Declarans, hoc non potest ad me spectare, quia nullas Litteras misi Amstelodamum. Imo, addebat Pater, hoc debuisset bene ab uno anno & amplius contigisse. Replicabat Declarans, equidem non potest ad me spectare, quia nec scio ab eo tempore me ullas Litteras aut Pacquetum Amstelodamum misisse; unde credo quod persona illa erret in nomine.

His respondit dictus Pater: Dicit persona illa, quod probe sciat, ad vos spectare: quid igitur faciam, petebat Pater. Respondit Declarans, si putet ad me spectare, restituat mihi. Replicuit Pater, non potero ipsum ad hoc inducere. Vultne Reverentia Vestra, aiebat Pater, ut comburatur? Respondit Declarans, nescio quid contineat, melius est, ut Reverentia Vestra aperiat Pacquetum, & videat quæ in illo contineantur. Si videat contineri, quæ possent me concernere, & esse alicujus momenti, poterit tunc significare & efficere, ut restituantur; si autem contineantur aliqua scommata, aut Libelli famosi, comburat. Respondit Pater, bene est, hoc idem inciderat, ego faciam, sicut coram Deo sincere fieri debet. Tantum facio, ut consulam dictæ personæ, & meæ conscientiæ; nam non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Duobus aut tribus diebus post hunc congressum, rursus accessit Declarantem domi propriæ idem P. Leopoldus post meridiem circa horam quintam: mox petivit Declarans, utrum Pacquetum aperuisset? Respondit Pater affirmative, addens, illud fuisse ligatum chordula rubra in modum crucis, & decem circiter locis cum cera occlusum.

His auditis, dixit Declarans, hoc non potest esse meum, quia nullum unquam simile Pacquetum misi. Addebat deinde dictus Pater, jam propius intellexi, fuisse missum hoc ipso anno inchoato 1707. Reposuit Declarans: magis id confirmat, non esse meum; quia sum certus, me ab illo tempore nullas Litteras aut Pacquetum misisse Amstelodamum. His dictis, interrogabat Declarans, Quid in Pacqueto contineretur? Ad hæc extraxit dictus Pater chartam aliquam, asserens, se voluisse annotare, quæ continebantur, legitque primo in eo repertum esse quoddam impressum ligatum in charta marmorea: titulum illius, ut præferebat, non bene retinuerat, dicens, Motivum contra Seminaria. Hoc audito, dixit Declarans, scio Pater, erit Motivum, quod Facultas Theologica jussit imprimi contra Seminaria Episcoporum, notanter Cameracense. Dicebat Pater: ita, apparenter est illud; addens adhuc alterum exemplum contineri; sed non ligatum. Tunc reposuit Declarans: Hinc apertius elucet, Pacquetum non esse meum, quia hactenus Motivum hoc impressum non habui, nec hactenus quidem vidi.

Tunc ulterius interrogavit Declarans; quid præterea in Pacqueto contineretur? Respondit Pater: Scriptum aliquod. Cumque interrogasset Declarans, quid continet hoc scriptum? Respondit; nescio, tantum vidi *Resolutio*. Tunc dixit Declarans, forsan erit *resolutio* alicujus casus, quem aliquando signaverim; ulterius petivit Declarans, vidistine nomen meum? Respondit, imo. Petivit rursum Declarans, nonne totum legisti? Respondit, non, quia evocabar ad alia, eo quod sim Procurator Conventus, sed rursus Pacquetum occlusi. Dixit dein Declarans; rogo Pater, totum legat & videat quid sit, ego interim sum certus, Pacquetum hoc ad me non spectare; apparenter persona illa me non novit, vel erravit in nomine. Magis suspicor, pertinere ad Doctorem Parmentier, quia habet motiva

va contra Seminaria, & sic Pater recessit.

Post hæc nihil de proposito casu intellexit Declarans, donec ipsi circa 24. Februarii existenti Bruxellis, scribitur Lovanio, spargi Lovanii, repertas esse quasdam litteras Declarantis horrenda quædam continentes, easque per quandam Filiam Devotam traditas cuidam Carmelitæ Discalceato, huncque eas tradidisse Eximio Patri Desirant, ipsum Carmelitam Bruxellas discessisse.

Declarans redux Lovanium die 28. Februarii intelligit, hic esse rumorem, quædam scripta sub nomine Declarantis evulgata, quæ contenta fuissent in Pacqueto, super quo Declarantem consuluerat sæpe dictus P. Leopoldus, hæcque esse in manibus Patris Desirant.

Itaque die sequenti prima Martii Declarans ivit ad Conventum PP. Discalceatorum ad Sanctum Albertum in platea S. Quintini, comitante quodam suo amico sub horam nonam matutinam; cumque advenisset dictus Pater Leopoldus, dixit Declarans: Reverende Pater, nihil amplius audivi de Pacqueto illo, super quo me consuluerat Reverentia Vestra, & ad me spectare dicebatur. Respondebat Pater, persona illa non amplius loquitur. Replicuit Declarans, sed Reverende Pater, dicitur Scriptum illud esse in manibus Patris Desirant; an forsan Reverentia Vestra ipsi tradidit, aut communicavit, quia audio Reverentiam Vestram sæpius adesse illi Patri? Respondit Pater, ego quidem aliquando adivi dictum Patrem Desirant, sed super aliis casibus & negotiis. Urgebat Declarans ut diceret, num non communicasset etiam hoc Scriptum? Respondit, non communicavi. Petivit ulterius Declarans, num vellet dare in scriptis, se illud non communicasse Patri Desirant. Hic nonnihil hæsitans dixit, quod super eo deberet deliberare. Replicabat Declarans, quid hic deliberandum? Scis bene utrum communicaveris an non. Respondit rursus Pater, volo super hoc aliquos consulere. Dixit Declarans, forsan Patrem Desirant? Replicuit Pater, non, sed habemus etiam Viros doctos in Ordine nostro, puta Lectores in Placet. Dicit Declarans, non agitur hic de casu Theologico, super quo essent consulendi Theologi; sed duntaxat quæritur, an Reverentia Vestra hoc fecerit, vel non; nihilominus persistebat; deinde addebat, si velitis asserere, quod Pacquetum cum scriptis pertineat ad se, efficiam ut restituatur. Reposuit Declarans, quomodo possem asserere, ad me spectare; quandoquidem, uti sæpius dixi, certus sum, illud ad me non spectare: sed tamen quia is, qui habet, asserit illud ad me pertinere, & nomen meum haberi, mea interest, ut illud saltem ostendatur. Perstitit Pater, illud mihi non tradendum, nisi assererem, ad me spectare; licet Declarans dixisset, se paratum dare cautionem de restituendo Pacqueto, si illud deprehendisset, ad se non spectare, postquam habuisset inspectionem.

Post hæc rursus institit Declarans, ut Reverendus Pater daret in scriptis, se Pacquetum non communicasse Patri Desirant. Rursus recusavit. Tunc dixit Declarans, loquar Priori vestro. Respondit Pater, nec Prior meus potest me ad hoc obligare: cumque instaret Declarans, se velle loqui Priori, tandem vocavit Priorem; quo præsente, & adstante Ipso Patre Leopoldo, omnia quæ acta & dicta erant occasione hujus casus & Pacqueti retulit Declarans, prout jam relata sunt, quibus nihil opposuit P. Leopoldus, persistens, se nolle dare in scriptis, quod Pacquetum non communicasset P. Desirant, sed quod vellet prius super hoc deliberare, & consilium petere. His auditis, dixit tandem P. Prior: Non video, quare non daretur in scriptis, quod ore asseritur. Interim aliud non potuit Declarans obtinere. P. Prior se excusabat, quod de casu nihil sciret.

Eadem die, scilicet prima Martii circa medium primæ pomeridianæ accessit Declarantem dictus P. Leopoldus, moxque cœpit quasi dolens dicere: Apparet quod ob dictum casum possem aliquando incidere in aliquas difficultates. Respondit Declarans: Imo Pater: unde vadat ad illum, qui habet, & dicat, ut restituat. Respondit, ibo: & sic discessit.

Sub medium sextæ vespertinæ ejusdem diei redivit rursus P. Leopoldus ad Declarantem, narravitque, se accessisse illam per-

personam ; sed , aiebat , illa tantum est *quarta manus*, nec amplius Scriptum illud habet , sed tradidit in primam vel secundam : (nam non sat bene retinuit Declarans, an dixerit primam vel secundam manum ;) hic autem ivit foras : unde illud modo haberi non potest . Si tamen (addebat Pater) Reverentia Vestra velit dare in scriptis , Scriptum illud ad se spectare , quodque nullam difficultatem movebit huic quartæ manui aut primæ vel secundæ , nam rursus non bene retinuit , utrum dixerit primæ vel secundæ , conabitur efficere , ut vobis restituatur.

Postquam Declarans pacifice & sine ulla interruptione hæc audivisset , dixit , quomodo Reverende Pater audes hoc a me petere in scriptis , cum decies & amplius dixerim , me tam certo scire , quam sciam Reverentiam vestram ibi sedere , Scriptum illud ad me non spectare ? Addebat Declarans : video clare , esse fraudes , *fourberies*, & suspicor Reverentiam vestram illarum esse complicem & conscium ; & sciam a Reverentia vestra auctorem , etsi deberem impendere Provincialem vestrum , & Generalem , quin & Regem ipsum : mihi evidens quoque est , se hæc non habere ex Confessione , quandoquidem jam dicat , personam , quæ scriptum sive pacquetum habebat , tantum esse quartam manum , quæ non obligatur confiteri , se Scriptum hoc habere , cum non intercepisset ; nec mihi tenebatur restituere , sed duntaxat reddere a quo acceperat . His nihil reposuit dictus Pater , sat tacite fatendo , se hæc ex Confessione non habere : his tamen meis dictis & minacibus verbis turbatus dixit , video , me posse incidere in magnas difficultates . Cum id affirmaret Declarans, tandem dictus Pater Declaranti valedicens ipsi gratias egit , quod ipsum præmonuisset de difficultatibus , in quas incidere posset , promittens se post duos dies reversurum ; sed non redivit.

Cum ergo dictus P. Leopoldus non rediret , Declarans 8. Martii post meridiem ivit ad Conventum RR. PP. Discalceatorum ad S. Albertum in platea S. Quintini cum Dominis Goethals & Cincq Professoribus Philosophiæ , ibidemque locutus est , præsentibus dictis Dominis , Reverendo Patre Vicario Provinciali , eique acta & dicta inter Declarantem & Patrem Leopoldum exposuit , prout supra relata sunt , quibus auditis dictus R. P. Vicarius se retraxit & ivit ad P. Leopoldum, & post intervallum semihoræ circiter rediit , cum dicto P. Leopoldo ad Declarantem & prædictos Dominos Professores.

Mox P. Leopoldus traxit Declarantem in partem , dixitque Declaranti , quod si vellet expectare , quod intra octiduum declararet personam , quæ Pacquetum haberet , addiditque , unum e mendicantibus relaturum illud ad Rectorem . Respondit Declarans , quod jam intellexisset , Pacquetum referendum per quemdam P. Minoritam , moramque octidui esse tantum ad fallendum , unde hæc reputans Declarans tanquam ridicula & effugia , statim cum dicto P. Leopoldo accessit R. P. Vicarium , eique rursum præsente P. Leopoldo & astantibus & audientibus prædictis Dominis Professoribus totam seriem actorum repetiit , prout supra relata fuit : quo audito , dixit R. P. Vicarius ad dictum Patrem Leopoldum , video esse fraudes , ac voluisse auctorem harum fraudum uti opera vestra ad eas exequendas.

Quæ relationi ipsius historiæ, prout per Declarantem fuit exposita , reposuit dictus P. Leopoldus , exigui erant momenti ; scilicet hæc tria , quod diceret, pacquetum non fuisse clausum per *vittam rubram*, uti Declarans forsan expresserat , sed per *chordulam*: item non fuisse obsignatum cum sigillis , sed simpliciter cum cera Hispanica vulgo *Lack*: negavit quoque quod in primo congressu 1. Martii habito in ipso Conventu dixisset , *quod si Declarans assereret pacquetum ad se spectare, illud ipsi restituturum ;* sed id duntaxat semel fuisse dictum in congressu habito eodem die sub medium sextæ pomeridianæ in domo Declarantis , prout in deductione historica expositum fuit : denique quod,cum Declarans peteret quid in manuscripto contineretur , & Declarans intellexisset , quod Pater respondisset, se vidisse *Resolutio* , ipse nunc dicat , se dixisse quod haberetur *Congregatio*. Ita declaratum hac 19. April. 1707. *Subsignatum* : Z. B. van-Espen , *Infra habebatur* : Collatione facta cum suo Originali , concordantiam attestor, *deinde signatum* : BART. HENDRIKX Secret.

VI.

DEDUCTIO

LOCO MOTIVI

Exhibita per PETRUM NICOLAUM TOURTEAU Reum inquisitum & sequestratum, in Causa quam sustinuit contra Officium Fiscale Universitatis Lovaniensis.

Magnifice Domine

1. IN Causa Petri Nicolai Tourteau Rei Inquisiti & sequestrati (in qua deprecatione , quæ non facti excusationem sed agnoscendi postulationem continet , utendum videmus) plurima existere, atque concurrere videntur , quibus illa non solum ad mitigandam pœnam , sed omnino tollendam fulciri potest .

2. Et quidem in primis anteactæ vitæ innocentia . *L. Non omnes ff. de re Milit.* Nemo enim adeo absolutus est , ut non alicubi erret , suique aliquando dissimilis reperiatur.

3. Et sicut in malo punico granum etiam aliquod putridum est , ita vix reperietur qui non aliquando cadat.

4. Ideoque ei, qui semel lapsus est, veniam dandam esse vetus Proverbium docet: *Venia primum delinquenti.*

5. Potissimum quidem cum ad delinquendum quis sit seductus blanditiis , spe pecuniarum aut promotionis , & cum eo ipsa ætatis lubricitas accedat .

6. Quia in pœnalibus ætati & imprudentiæ succurritur. *L. Aut facto §. Persona ff. De Pœnis. Auxilium. §. In delictis ff. De Minor.*

7. Quia cum natura ipsa multas vias lubricas ostendit adolescentiæ , quibus sine casu aliquo aut prolapsione insistere vel ingredi vir potest, convenit ipsos Judices hac in re ultro officium impertiri. *Dicto §. In delictis . L. Si adulterium §. Fratres . ff. Ad Leg. Jul. de Adulter.*

8. Multi enim in prima ætate turpes, & omni judicio destituti, postmodum tamen laudabiles extiterunt , quod utique non fieret si omne peccatum justa pœna sequeretur.

9. Ut ergo deveniamus ad Factum prædicti Rei , Juvenis vix viginti annorum, qui de Clementia Magnificentiæ Vestræ non desperat , dicemus:

10. Quod constet ex ipsius responsione personali ad Libellum Gravaminum ad onus ejus exhibitum ex parte Officii Fiscalis , quod fabricaverit , & manu propria conscripserit Epistolam illam famosam de decima Januarii 1707. ad Eruditissimum Dominum van den Nesse , cum Lista prætensorum Jansenistarum & Formulari inclusis;

11. Fassus desuper etiam est Reus se ipsam Epistolam signasse litteris Z. B. V. E. & sic nomen aut signaturam Clarissimi Domini van-Espen adulterasse , & sic adulteratam tulisse ad Eximium Patrem Desirant:

12. Ulterius constat ex iisdem responsionibus , Reum sub initium currentis anni fabricasse falsum Librum Resolutionum , seu Congregationum , ac si tales habitæ fuissent & renovatæ a prætensis Jansenistis ibidem expressis , a tertia Junii 1706. usque ad secundam Januarii 1707.

13. In eodem libro affinxit Reus signa & claves ibidem expressas & notatas:

14. Affinxit quoque Venerabilibus Viris in eodem libro expressis aliud Formulare de mense Junio 1706. ac si a pluribus eorum fuisset signatum:

15. Curavitque prædicti Libri Resolutionum fieri duas copias per certum pictorem nomine Timmermans , & unam dicti

Formularis, quarum unam ejusdem Libri & Formularis inclusit Epistolæ de 13. Januarii 1707. per ipsum falsificatæ & adulteratæ signaturæ Clarissimi Domini van-Espen, destinatæ ad Dominum Krys Amstelodamum:

16. Alteram vero copiam prædicti Libri Resolutionum inclusit Reus alteri Epistolæ ad eundem Dominum Krys sub data 10. Februarii 1707. ab eo fabricatæ nomina prædicti Clarissimi Domini van-Espen: quas Epistolas tulit ad Eximium Patrem Desirant sub prætextu quod illas intercepisset respective apud Cursorem & in ædibus Clarissimi Domini van-Espen.

17. Non potuit, nec voluit negare Reus, se etiam realiter intercepisse distinctis vicibus apud Cursorem varias litteras,

18. Scilicet 16, 20. & 23. Februarii tres fasciculos litterarum, quorum duo destinabantur ad præfatum Dominum Krys Amstelodamum, & alterum ad Dominum van Goor, per, vel ex parte Henrici de Grasper Theologi, quorum aperuit coopercula, & tulit ad prædictum Eximium Patrem Desirant, confecto prius *Recepisse* nomine prædicti Eximii Patris pro uno fasciculo, quem clam surripere non potuerat.

19. Verum etiam est, quod Reus propria manu scripserit quinque Epistolas ad Dominum van den Nesse de data 1. 3. 5. 8. & 15. Februarii 1707. continentes quasi ageretur de vita ipsius Rei surripienda ex parte Clarissimi Domini van-Espen, in quibus etiam adulteravit signaturam prædicti Clarissimi per quatuor litteras Z. B. V. E. & signum quadro-oblongum.

20. Scripsit, & sibi ipsi destinavit Reus quatuor falsas Epistolas minatorias sub ficto nomine Joannis Nimphæ, ac si essent scriptæ ex Congregationibus prætensis Jansenistarum.

21. De cetero tulit Reus ad Reverendum Patrem Grauwels Minoritam Librum originalem seu minutam fictarum Resolutionum prædictarum, tempore ultimi Jubilæi, dixitque ei se eundem Librum surripuisse a dicto Clarissimo Domino van-Espen:

22. Imposuit eidem Patri, ac si dictus Dominus van-Espen ab ipso Reo bis juramentum exegisset de non revelandis iis, quæ sub dictamine apud ipsum scripsisset in materia Propositionum Jansenianarum, Formularium, &c.

23. Scripsit adhuc alias Epistolas nomine prædicti Domini van-Espen, notanter ad Reverendos Patres Ballexo & van Wavre.

24. Et quod pejus est, Reus accessit Magnificentiam Vestram quinta Martii hujus anni 1707, ubi sub juramento suo declaravit quod prædictam Epistolam famosam, Listam, & Formulare scripsisset dicta 10. Januarii in bibliotheca prædicti Clarissimi Domini van-Espen, & quidem sub ejus dictamine, & quod ei dederit calamum ad manus in finem signandi;

25. Sed cum Reus non solum in eo falsum commiserit falsificando falsa instrumenta & falsa denunciando, prout supra dictum est, sed desuper commiserit perjurium;

26. Et quod sic tanquam testis falsidicus tribus sit obnoxius, primum Deo, cujus præsentiam contempsit;

27. Deinde Magnificentiæ Vestræ, quam mentiendo fefellit;

28. Postremo innocenti Domino van-Espen aliisque Venerabilibus Viris in Libro Resolutionum notatis, quos falso testimonio læsit, prout habetur *Lib.* 5. *Decretalium tit.* 20.

29. Idcirco videretur prima fronte, Reum incidisse in pœnam falsi atque perjurii latam de Jure Cononico & Civili, memoratam a Jac. Menoch. *De Arbit. Jud. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 319;

30. Sed cum notum sit omnibus sanæ mentis, quod minima circumstantia variet casum;

31. Hinc est, quod Reus speret, fore ut Magnificentia Vestra, habita ratione circumstantiarum, non dedignabitur ipsum absolvere a petitione Officii Fiscalis:

32. Cum ex sequentibus plane dignoscet, non fuisse factum Rei, sed alterius non bene intentionati, & quod tantum in eo adhibitus fuerit uti instrumentum executionis criminis alterius, absque eo quod sciverit quid fecerit, aut quid ex eo evenire potuerit.

33. Fuit ergo prædictus Eximius Pater ac Magister Bernardus Desirant, qui fuit auctor

auctor & inventor omnium factorum supra dictorum:

34. Fuit ille Eximius, qui Reo materiam subministravit & dictavit ad scribendam illam famosam Epistolam de 10. Januarii ad Eruditissimum Dominum van den Nesse, cum Lista prætensorum Jansenistarum, & Formulari introclusis:

35. Fuit ille idem Eximius, qui requisivit, & spe promotionis Reum seduxit ad signandam illam Epistolam litteris Z. B. V. E.

36. Subministravit idem etiam Reo materiam fabricandi falsum illum Librum Resolutionum, seu Congregationum prætensorum Jansenistarum, & non solum nomina eorum dictavit, sed totum Librum postmodum correxit, & quidem aliquas resolutiones in totum dictavit:

37. De cetero omnia suggessit Reo, quæ ad illum Librum pertinent, uti & fictiones & claves in eodem positas.

38. Retinuit prædictus Eximius sibi istum Librum, saltem Minutam, prout & omnes Epistolas fictas, & de iis disposuit ad suum placitum, prout videre est ex responsionibus personalibus Rei sæpius reiteratis:

39. Jussit etiam idem Eximius facere istam falsam denuntiationem prout facta est:

40. Imo jussit Reum facere falsam accusationem prædicti Clarissimi Domini van-Espen & aliorum Venerabilium Virorum eo modo, & quidem sub juramento, prout Reus eam fecit coram Magnificentia Vestra, quinta Martii hujus anni 1707.

41. Sed ut Magnificentia Vestra causam clarius possit dignoscere, & quomodo Reus a prædicto Eximio Patre Desirant fuerit præoccupatus & seductus; rogat humillime, quatenus dignetur reflectere ad sequentia, quæ cum nuda veritate consistunt, prout Reus paratus est illa sub juramento damnationis animæ suæ affirmare.

42. Absoluto Mechliniæ Capitulo RR. PP. Augustinianorum, in eoque latis quinque Decretis ad onus Eximii Patris Desirant, iisque executioni mandatis in principio mensis Octobris 1706, putans prædictus Eximius Pater per ea se læsum ac gravatum, querelas suas fecit ad Reverendissimum Patrem Generalem, concludens ad cassationem prædictorum Decretorum.

43. Ad conscriptionem istorum negotiorum primo impendit prædictus Eximius Patrem Rei;

44. Sed cum plurima scribenda forent tam ad Illustrissimum D. Internuntium, quam ad Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Mechliniensem, ut & ipsi apud Reverendissimum Patrem Generalem Ordinis sui intercederent;

45. Et quod Pater Rei non sat cito potuisset absolvere, curavit Exim. P. Desirant Reum vocari, cœpitque eum impendere simul cum Patre conscriptioni præfatarum chartarum; noverat enim ipsius characterem:

46. Notitiam vero particularem nunquam Reus antea cum prædicto Eximio Patre habuerat.

47. Sæpius quidem eum Reus accesserat loco Patris tempore, quo podagra laborabat, causa negotiorum Viduæ Consultissimi Domini Schautens, quam summopere protegebat.

48. Cum circiter per octo dies scripsisset Reus apud prædictum Eximium Patrem Desirant, & quodam die usque ad vesperam, Patrem ejus absente; jussit Eximius Pater eum apud se cœnare.

49. Tempore autem cœnæ Eximius Pater considerans ruinas hortuli sui, ac prætensas injurias sibi allatas, post magnam perpensionem prorupit in hæc verba:

50. *O nefanda Factio Janseniana! Si Amplissimus ac Eximius Dominus Steyaerts jam ad vivos semel rediret, ac cerneret Jansenianam Factionem mihi & aliis tot & tantas inferre injurias, quomodo non obstupesceret, qui tot & tantis laboribus ac studiis conatus fuit extirpare istam seditiosam Factionem Jansenianam!*

51. Et cum Reus totus attonitus incepisset quærere ex præfato Eximio Patre, qua de causa tanto furore inveheretur in Jansenistas;

52. *Quid*, respondebat, *non inveherer in istos, qui causa sunt tot & tantarum injuriarum mihi illatarum? Est ista Janseniana Cohors, quæ instigavit meos maximos inimicos, quos in Ordine habeo, ut me afficerent tot opprobriis, ac tanta inferrent damna:*

53. *Amice mi, Amice mi*, aiebat ulterius

rius Reo, *non possum satis deplorare vices quorumdam nostrorum Patrum, quod ita sint addicti isti Janseniana Catervæ; unus inter alios, cujus fortuna auctor existo.*

54. *Jam ad oculum demonstrari potest*, aiebat, *Jansenianam Turbam a reditu Hollandorum iterum cornua sua cœpisse extollere:*

55. *Isti enim, quos Galli tanquam seditiosos & schismaticos hoc Belgio, & hac Academia ejecerunt, jam protectione Hollandica redierunt:*

56. *Omnia, quæ supplicant, ab ipsis obtinent, hanc Academiam, Illustrissimos Dominos Internuntium & Archiepiscopum, meipsum, & tot alios præclaros Viros omni genere negotiorum & injuriarum obruere desiderant: omnes pravas Resolutiones, de quibus ne quidem antea fuissent ausi cogitare, jam exequentur.*

57. *Est Janseniana Cohors, quæ Illustrissimum Dominum Internuntium Bruxellis exire curavit; quia Carolum Archiducem agnoscere tanquam Hispaniarum Regem recusaverat defectu Mandati Pontificii*,

58. Idque ideo effecisse Jansenistas, aiebat, ut melius suas Resolutiones curassent executioni mandari.

59. *Tantis studiis*, prosequebatur ille Eximius Pater, *pravam doctrinam Jansenianam exterminare tentavi Scholis Academicis, & iterum invehitur.*

60. *Illustrissimus Dominus Archiepiscopus Mechliniensis etiam tot & tantis laboribus extirpare studuit Jansenismum, & jam iterum magis crescit.*

61. His auditis, cùm Reus quæsivisset ex prædicto Eximio Patre, utrum Domini Deputati Statuum Hollandiæ forent addicti iis, qui vulgo Jansenistæ vocantur:

62. Sine mora eos esse maxime addictos respondebat, plurimosque tanta esse amicitia conjunctos Deputatis Statuum Hollandorum, ut omnia quæcumque rogant, adipiscantur:

63. Etiam Consilium Brabantiæ infectum esse Janseniana lue, ipsumque Præsidem Consilii Statuum Fautorem & Protectorem maximum esse Jansenistarum, aiebat, ita ut boni nihil amplius sperari possit:

64. Ulterius his verbis prosequebatur idem Eximinus Pater: *Totum Belgium pervertetur, schisma Religionis quam primum videbitur, fugam Gallorum deplorare possumus.*

75. *Utinam Galli redirent, ut iterum hæc Factio Janseniana posset domari! Si adhuc forem decem annis junior, iterum urbs Roma me videret.*

66. Tunc incepit Reo familiariter, ut ante, narrare quæ Romæ gesserat, dicens inter alia sequentia:

67. *Dum nuper Romæ eram & Janseniana Doctrina supra modum cresceret in hoc Belgio, ut vix eam extirpari posse videretur, ego fui, qui eam per meam industriam, studium, prudentiam funditus ejeci:*

68. *Ego fui, qui tot Decreta contra Jansenistas Romæ procuravi:*

69. *Fui ego, qui semel adstans Summo Pontifici retuli, me, dum ibi loquebar, loqui nomine quingentorum millium hominum & quinque Episcoporum Belgii.*

70. *Si forem adhuc Romæ, non esset dubium, quin Jansenianam Factionem omnino domarem.*

71. Cum itaque illa omnia magnis exclamationibus & voce exposuisset Reo; non defuit ab illo Eximio Patre petere, quis foret Caput prætensæ Jansenianæ Factionis?

72. Illico respondit, Clarissimum Dominum van-Espen esse Caput, fuisse istum, qui abhinc viginti quatuor annis semper hanc Academiam per clancularias suggestiones continuis seditionibus & rixis turbavit;

73. Eum, inquam, esse seductorem aliorum Jansenistarum, eum esse, qui aliis subministrat media, ad vexandum hanc Academiam, multosque præclaros Viros.

74. His auditis, cum Reus replicaret prædicto Eximio Patri, quod sibi non posset persuadere, Clarissimum Dominum van-Espen esse talem, prout ibi depingebatur; e vestigio iterum respondit his verbis:

75. *Amice mi, Amice mi, cave tibi a fermento Pharisæorum; vides tantum exteriora signa, non vero interiora:*

76. *Nullibi majores mendaces Jansenistis reperies; non adhuc novisti hos homines; omnia quæ contra sanam partem Catholicam a Turba Janseniana fiunt, antea per clancularias Congregationes proponuntur & resolvuntur.*

77. His auditis incepit Reus magna cum admi

admiratione rogare prædictum Eximium Patrem, ut vellet ipsi dicere, utrum effective celebrarentur Congregationes.

78. Vix Reus hæc verba protulerat, quin responderit prædictus Eximius Pater, quotidie fere celebrari Congregationes apud Clarissimum Dominum van-Espen, eoque convenire omnes istos, qui inserti habentur Libro ficto Resolutionum:

79. *Ulterius*, aiebat, *Jansenistas esse, qui eum detrusum velnt ex Lectione sua Historica Regia, & sic eum funditus perdere.*

80. Hoc audito Reus interrogavit, qua ratione eum quasi solum perdere conentur.

81. *Ideo*, respondit, *quia procuravi Romæ tot Decreta contra ipsos, quia Romæ procuravi proscriptionem Libri Clarissimi Domini van-Espen de Jure Ecclesiastico universo, & quia Extirpator doctrinæ Jansenianæ fui.*

82. Eodemque tempore iterum exclamavit prædictus Eximius Pater & erupit in hæc verba:

83. *Utinam Galli adhuc redirent! certo procurarem exilium Clarissimo Domino van-Espen & quibusdam aliis, prout procuravi Eximio Domino Hennebellio, & Eruditissimo Domino Opstratio; tamdiu quam Universitas erit infecta Lue Janseniana: nunquam erit quies aut pax: Jansenistæ tantum desiderant istud bellum, in quo cadavera pravæ suæ doctrinæ relinquant.*

84. Absolutis his orationibus, quæsivit Reus ab illo Eximio Patre Desirant, utrum ista doctrina vulgo Jansenistarum, etiam esset prava & hæretica?

85. Gui statim respondit, illam vere esse hæreticam ac damnatam a Sancta Sede, neque esse orandum pro eo, qui in Jansenismo moritur.

86. Plura alia dicta fuere tempore cœnæ ab ipso Eximio Patre, quæ honestus calamus referre pudet, & in omnem eventum ad casum impertinentia.

87. Cœna finita, & adhuc habitis aliquibus sermonibus hanc rem non concernentibus discessit Reus, & postero die mane redivit, & continuavit scribere solus in appartamento prædicti Eximii Patris Desirant.

88. Cum foret circa meridiem & Reus domum redire pararet, ac esset in ipso procinctu redeundi, jussit prædictus Eximius Pater eum per famulum suum nomine FIDELEM vocari ut pranderet secum tum solum existentem, quod haberet quædam particularia ei communicanda:

89. Qui cum assideret mensæ solus cum prædicto Eximio Patre, incepit ei Eximius Pater iterum aliqua narrare, quæ præcedente vespera ei exposuerat.

90. Extraxitque sacco suo quædam Decreta seu Bullas Pontificias latas contra Jansenistas, quas pro parte prælegit, dicens, *se eas procurasse, & sine ipso totum Belgium certo pervertendum fore.*

91. Et postquam plura alia prædictus Eximius Pater narraverat, quibus mediis, quo studio extirpaverit Jansenismum, & sic magnam orationem præfatarum rerum habuerat, & ut melius Reum per fallaciam ad se traheret:

92. Incepit ab ipso petere, quot annos haberet, utrum juri studeret, & quamdiu matrimonio esset junctus.

93. Responsione desuper data, incepit Reum laudare, blandiri, & dicere: *eum debere egregie studere ut posset evadere in virum doctum & egregium, se tam multos promovisse ac eorundem fortunarum Auctorem extitisse:*

94. *Idcirco si vellet ipsius dictis esse attentus, & obedire ei, in ipsius potestate esse eum promovere mediantibus pluribus Amicis*, quos se Bruxellis aiebat habere.

95. His auditis, prout naturale est omnibus cupientibus sibi provideri, respondit Reus, se futurum esse in omnibus obedientem.

96. Videns ergo Eximius ille Pater quod modo Reus spe promotionis aliqualiter erat victus:

97. Incepit iterum ei demonstrare prætensam malitiam Jansenistarum, & quorundam Patrum sui Ordinis, dicens:

98. *Si vellet Reus collaborare ad eradicandum Jansenismum, se gratum opus facturum tam Illustrissimo Archiepiscopo Mechliniensi, quam toti huic Academiæ & Belgio, & quod opus ei ferre posset scribendo, ac alia faciendo.*

99. Reus autem, qui credebat omnia sibi narrata tanquam primo vera, respondit tunc temporis adhuc sub aliqua conditione,

tione, nimirum se paratum esse prædicto Eximio Patri opem ferre, si nullum inde esset oriturum malum:

100. Cui Eximius Pater non defuit respondere: *Nullum inde malum posse oriri, omnia tantum fore in extirpationem Jansenismi, quem oportebat eradicari ex hoc Belgio, & ex hac Academia; sed quod omnia deberent servari sub secreto naturali*.

101. Eodem tempore cœpit idem Eximius Pater declarare Reo, se non dubitare, quin causa Domini Gerberon, & aliæ similes resumerentur, cum foret aperta conspiratio Jansenistarum.

102. Cum ergo videret Eximius Pater Desirant, Reum habilem & promptum ad scribendum, & eum jam fere totaliter esse victum spe promotionis:

103. Incepit recantare eandem cantilenam dicens, sibi notam pulchram promotionem, si se impendere vellet extirpationi Jansenismi:

104. Promiserat enim ei successive nunc una nunc altera die, se procuraturum Vice-Promotoriam Illustrissimi Archiepiscopi Mechliniensis, Greffiariatum, vel Recepturam aliquam Affligemiensem, aut Bedellatum Facultatis Theologicæ, insuper pensionem annuam trecentorum florenorum, & summam aliquam in paratis, si hoc conceptum negotium bene successisset.

105. Iterum ergo, quæ supra memorata sunt, cœpit repetere, & tandem Reum requirere ut scriberet aliquas Epistolas nomine Clarissimi Domini van-Espen ad Eruditissimum Patrem Ballexo Exprovincialem Augustinianorum, & ad Patrem van Wavre, plenas absurditatibus, quarum tenores hic referre pudet.

106. Illas Epistolas retinuit prædictus Eximius Pater penes se, sed copias authenticas earum misit ad Reverendissimum Patrem Generalem sui Ordinis:

107. Idque ad ostendendum quasi prædicti Patres forent maxime addicti Jansenistis, & ac si essent de numero istius factionis.

108. Ut autem Reum facilius incitasset ad conscriptionem prædictarum litterarum, dicebat, *esse bonum opus, per similes litteras Reverendissimum Patrem Generalem tentaturum, ut prædictos Patres avertat a Janseniana illa factione, illasque litteras nunquam esse lucem visuras*.

109. In mensibus autem Novembri & Decembri 1706. adhibuit prædictus Eximius Pater omne suum studium partim quomodo varios Patres sui Ordinis posset cum aliqua apparentia accusare apud ipsorum Patrem Generalem:

110. Partim quomodo posset alios præclaros Viros toti Belgio odiosos reddere, prout Reus ex eo postmodum cognovit.

111. Cum autem prædictus Eximius Pater continuo assereret, prætensos Jansenistas celebrare Congregationes, sibi mutuo proponere & inter se resolvere, quæ ab ipsis agi oporteret:

112. Incepit Illustrissimis Dominis Internuntio & Archiepiscopo Mechliniensi persuadere; Jansenistas magna & mira negotia tractare in perniciem Belgii, & ipsorum Illustrissimorum Dominorum interitum:

113. Postquam autem illud præfatis Illustrissimis Dominis significaverat, iterum requisivit Reum, ut scriberet alias Litteras nomine Clarissimi Domini van-Espen ad Dominum Krys in Hollandiam, ignotum tamen Reo, sed quem Agentem præcipuum Jansenistarum in Hollandia esse, aiebat.

114. Ratio autem, cur Eximius Pater Desirant omnia fieri curavit nomine prædicti Domini van-Espen, hæc erat: quia, ut ante dictum est, asserebat eum esse Caput Factionis Jansenianæ:

115. Et ideo omnes fictæ Epistolæ, excepta una, sunt tantum signatæ litteris Z. B. V. E., quia sustinebat prædictus Eximius Pater, totum nomen Clarissimi Domini van-Espen non semper tam vivaciter & naturaliter posse exprimi, prout poterant prædictæ quatuor litteræ, & quia hic modus signandi etiam conformis erat ficto Libro Resolutionum &c.

116. Notandum etiam est, Eximium Patrem Desirant unicuique semper persuasisse, quasi Reus omnes Epistolas fictas sub dictamine Clarissimi Domini van-Espen scripsisset, & esse eum ipsius Amanuensem, & illas Litteras quasi pro detegenda Factione ad se detulisse.

117. Postquam autem Reus scripserat præ-

prædictas Epistolas, quarum materiam & formam conficiendi prædictus Eximius Pater dictaverat, semper eas idem Eximius retinuit in sua potestate & usus fuit.

118. Sed Copias istarum Litterarum misit ad Superiores ad eos excitandos, ut indilate agerent adversus Jansenistas.

119. In mense autem Januarii 1707. incepit iterum prædictus Eximius Pater dicere Reo, se tamdiu sua studia adhibuisse ad reperiendum medium, quo posset Jansenistas omnino extirpare:

120. Seque non potuisse aliud medium reperire, nisi componere aliquas chartas nomine Jansenistarum ad flectendos Illustrissimos Dominos Internuntium & Archiepiscopum:

121. Ut cum Jansenistæ conspiraverint in perniciem Religionis Christianæ, uti dicebat, dignarentur dare litteras requisitoriales ad Magnificum Dominum Rectorem ad obtinendam licentiam effringendi, & visitandi ædes Jansenistarum:

122. Ut hac occasione potuisset reperire aliquas chartas, quibus prætensos Jansenistas potuisset vexare.

123. Ad quæ cum Reus statim respondisset, quod hæ res certo non valerent, & quod si deprehenderetur similia scripsisse, etsi tamen forent in bonum finem, veluti ille Eximius dicebat, quod illum certo invaderent:

124. Prædictus Pater respondit, & promisit eas chartas nunquam lucem visuras, & se non dubitare quin per similes chartas, præfatas litteras requisitoriales obtineret, iisque obtentis, se illis fictis chartis non amplius indigere:

127. Parvum enim facinus licere patrare, persuadebat Reo, ut majora facinora in lucem veniant.

126. Aiebat etiam, *quod per fas & nefas extirpare hæreses liceret*; & tanta eloquentia omnia præfata referebat Reo de omnibus istis negotiis ignaro, ut ipsi veritatem ipsam dicere appareret.

127. Ut autem prædictus Eximius Pater magis Illustrissimum Dominum Internuntium incitaret ut adversus Jansenistas ageret, iterum post magnas persuasiones & sollicitationes Reo factas, curavit per ipsum unam aut alteram Epistolam scribi nomine Clarissimi Domini van-Espen:

128. Quibus insinuabatur, quasi Jansenistæ fuissent, qui per falsas suggestiones Illustrissimum Dominum Internuntium Bruxellis curaverant exire, quia Carolum Archiducem recusaverat agnoscere pro Hispaniarum Rege: & ideo id factum fuisse persuadebat, ut melius potuissent suas Resolutiones executioni mandare.

129. Et ut hæ Epistolæ majorem viderentur habere veritatem, charta undique plicata ut non posset videri character, jussit infra signaturam quatuor litterarum fictarum Z. B. V. E. per Patrem Ref, tanquam Notarium publicum, poni hanc attestationem Notarialem:

130. Nimirum, *Præfatas quatuor litteras judicavi convenire cum quatuor primis litteris nominis & cognominis Clarissimi Domini van-Espen*.

131. In quem finem curaverat dictus Eximius Pater Desirant adferri minutam originalem alicujus contractus ab eodem Clarissimo Domino van-Espen in toto signatam ad longum:

132. Has enim copias misit dictus Eximius Pater ad prædictum Illustrissimum Dominum Internuntium, & alibi.

133. Quod cum litteræ requisitoriales prædictæ desuper necdum fuerint secutæ; prædictus Eximius Pater in ordine ut illas obtineret, usus fuit alio stratagemate:

134. Curavit secunda aut tertia Januarii 1707. mane vocari Reum, ut eum accederet:

135. Tunc iterum magna cum gravitate allocutus est Reum dicens: *se facturum opus gratissimum Religioni Christianæ, fortunamque ipsius esse factam, si rursus manum impendere vellet extirpationi Factionis Jansenianæ:*

136. Ac eum rogare incepit, ut cum Jansenistæ inter se conficerent parvam Rempublicam, & celebrarent Congregationes in perniciem Belgii, uti dicebat, ut vellet conficere unum librum Congregationum nomine Jansenistarum.

137. Et ut Reum facilius ad confectionem præfati libri impulisset, persuasit ei, nulla inde proventura mala, has chartas nunquam in lucem venturas, & eas gratissimas fore Illustrissimis Dominis Internuntio & Archiepiscopo.

138. Cum

138. Cum tandem cerneret Reum plane victum, & contentum propter persuasiones & promissiones plurimas sæpius reiteratas, incepit ei materias designare, nomina prætensorum Jansenistarum dictare, ac formam ostendere.

139. Minuta istius libri tandem confecta, fecit Eximius Pater Desirant in eo correctiones varias, notanter correxit quæ habentur in Congregatione de 15. Novembris 1706. concernente Illustrissimum Dominum Internuntium, quam Congregationem correctam in toto dictavit prædictus Eximius Pater:

140. De cetero addidit huic Libro quæ addenda forent & delevit quæ delenda essent, manu tamen Rei omnia fuerunt conscripta.

141. Tunc rogavit Reum ut Librum istum per manum ignotam & fidelem curaret nitide exscribi, quod & Reus expensis prædicti Eximii Patris curavit fieri per certum pictorem, nomine Timmermans, qui & aliquas copias illius Libri fecit:

142. Sed Reus manu propria scripsit duas copias charactere Italico, & unam charactere currenti pro copia servanda ab Eximio Patre prædicto, idque in cubiculo ejus superiori:

143. Eodemque tempore Pater Rei etiam ibidem conscripsit duas, aut plures copias, quæ remanserunt omnes sub potestate dicti Eximii Patris.

144. Quatuor aut quinque diebus postmodum elapsis, iterum incepit prædictus Eximius Pater Reum aggredi iisdem argumentis & persuasionibus, quibus antea, in ordine ad conscribendam nomine Clarissimi Domini van-Espen famosam illam Epistolam cum introcluso Formulari:

145. Et in eum finem subministravit ei materiam, & nomina, promittens Reo se omnia correcturum confecta minuta, prout etiam fecit.

146. Cum autem minuta confecta, atque correcta esset, & videret Reum nullo modo intentionatum ad exscribendam illam, invenit medium ad impellendum Reum ad istius exscriptionem:

147. Nimirum Reum nequaquam valentem ferre multum potum ita obruere vino & cerevisia cœpit, ut eum isto die inebriaverit, & cum eo quæcumque voluerit, egerit.

148. Eam ergo Epistolam nitide exscriptam, & signatam ut supra, postea inscio Reo, curavit idem Eximius Pater destinari per famulum suum.

149. Cur autem curaverit illam destinari, fuit ideo, ut si forte Eruditissimus Dominus van den Nesse combussisset hanc Epistolam, & sic aliquando non potuisset reproduci, Eximius Pater Desirant eo casu potuisset sustinere veram fuisse Epistolam, idque cum apparenti argumento ad confirmandum falsum Librum Resolutionum, in quo tenor ipsius Epistolæ habebatur insertus.

150. Quod autem in Formulari non fuerit appositus dies, hoc studio curavit fieri prædictus Eximius Pater, ideo ut appareret quod fuisset huc & illuc missum ad signandum.

151. Post hæc prædictus Eximius Pater non contentus solummodo opere Rei, præterea ipsum sæpius rogavit ut & impenderet suum Confessarium Patrem Grauwels Minoritam, ut & ei omnia referret, quæ Reo suggesserat esse dicenda de Janseniana factione:

152. Idque in illum finem ut postea prædictus Pater Grauwels potuisset dare declarationem illorum dictorum ad fictum illud factum confirmandum.

153. *Et hoc modo*, aiebat prædictus Eximius Pater, *& aliis mediis facile potero obtinere præfatas litteras requisitoriales.*

154. Idcirco suadebat ipsi Reo, ut ferret originalem Librum Resolutionum dicto Patri Grauwels dicens:

155. *Tradas hunc Librum originalem quasi copiam Confessario tuo, qui tunc me accedet, & tunc ipsi consulam ut denuntiet.*

156. Debebatque Reus ei etiam dicere se eundem librum surripuisse a Clarissimo Domino van-Espen, qui quasi ab ipso Reo bis juramentum exegisset de non revelandis, quæ sub dictamine Clarissimi Domini van-Espen scripserat &c.

157. Ulterius persuadebat Reo, similia similia media licere adhibere ad extirpandas hæreses.

158. Cumque jam copia præfati libri Resolutionum per dictum pictorem Timmer-

mermans, prout supra dictum est, nitide exscripta esset, prout etiam copia unius Formularis de respoendis Bullis Alexandri VII. quod Formulare antea fuerat correctum ab Eximio Patre Desirant,

159. Qui cum diceret sensum in eo non esse bonum, nisi adderentur hæc verba: *& tanquam dolose impetratas ab adversariis:*

160. Jussit illa verba per Reum addi immediate ante hæc verba: *& hujus Pontificis:*

161. Curavit tunc prædictus Eximius Pater fieri parvum fasciculum, in quo præfatæ copiæ fuerunt inclusæ cum alia Epistola, cujus materiam etiam subministraverat.

162. Hunc fasciculum sic confectum a Reo, retinuit prædictus Eximius Pater penes se, & usus fuit.

163. Sed non contentus primo fasciculo, unum secundum similem primo curavit fieri, cui inserta fuit ficta Epistola nomine Clarissimi Domini van-Espen quasi signato ejus nomine ad longum:

164. Idque dicebat prædictus Eximius Pater ad persuadendum Illustrissimis Dominis Internuntio & Archiepiscopo, eos non debere amplius dubitare de veritate chartarum, attenta expressione integri nominis Clarissimi Domini van-Espen, quem fasciculum etiam in sua potestate retinuit, & usus est.

165. Desuper aliud stratagema excogitavit prædictus Eximius Pater, ad hoc ut Reus ipsemet iret Bruxellas & conquereretur Illustrissimis Dominis Internuntio & Archiepiscopo.

166. Idcirco curavit fingi aliquas litteras minatorias, quasi venirent ex parte Jansenistarum, continentes Reum insidias vitæ pati;

167. Et ut veritatem earundem fictarum litterarum melius posset persuadere, sæpius eum in suo appartamento jussit pernoctare.

168. Et tandem cum quatuor copiis præfatarum litterarum minatoriarum scriptis manu Patris d'Herbe socii prædicti Eximii, inclusis alteri Epistolæ, misit Reum Bruxellas ad Amplissimum Dominum van Susteren sub prætextu alicujus promotionis:

169. Sed præcipuum erat, ut simul & semel sollicitaret Reus præfatas litteras requisitoriales.

170. Verum quidem est, quod illæ litteræ requisitoriales postmodum missæ fuerint ad Eruditissimum ac Amplissimum Dominum Pauwels Canonicum & Plebanum Santi Petri;

171. Sed istis non fuit usus, quia factis istis nunquam fidem adhibuerat, uti Reus postmodum intellexit.

172. Eximius vero Pater Desirant videns se nihil potuisse per suas fictas chartas efficere, quocum ad intentum suum perveniret, & ut tandem eo deveniret,

173. Statuit facere denuntiationem omnium prædictarum fictarum chartarum Magnifico Domino Rectori, habitis prius desuper plurimis deliberationibus cum aliquibus Eximiis Dominis strictæ Facultatis Theologicæ, & aliis.

174. Notanter cum Reverendo Patre Leopoldo a S. Theresia Carmelita, & prædicto Patre Grauwels Minorita Confessario Rei, quibus conventionibus Reum nunquam adesse permisit.

175. Dum autem Reus audivisset, Eximium Patrem Desirant statuisse facere supradictam denuntiationem Magnifico Domino Rectori, omnino tentavit illam impedire, demonstrando scandala inde oritura.

176. Cui Eximius Pater respondebat magistraliter & resolute, *Reum nihil habere timendum, & si Reus non permitteret fieri denuntiationem, eum fore causam hæresis, & omnium malorum inde provenientium:*

177. *Si Jansenistæ non celebrarent congregationes*, aiebat; *nec aliqua similia inter eos tractarentur prout in Epistola de decima Januarii 1707, diu modo reproduxissent Epistolam originalem, ad cujus reproductionem tam sæpe fuerunt impulsi per Strictam Facultatem Theologicam.*

178. *Jansenistæ vident*, aiebat ulterius, *eorum factionem plane esse detectam: tu in nullas calamitates incides, magnum opus Ecclesiæ facies, remunerationem maximam habebis, & homo faustus eris.*

179. Ergo denuntiatio fuit facta Magnifico Domino Rectori, & pacqueta fuerunt ipsi destinata cum omnibus introclusis eo modo, prout Reus declaravit in suis informationibus, & responsionibus, 26. Martii hujus

hujus anni & sequentibus diebus factis, ad quas se refert.

180. Aliquot autem diebus postquam denuntiatio facta erat, dixit Eximius Pater Desirant Reo, se variasse duas litteras ex his quatuor Z. B. V. E. in Epistola de 10. Januarii 1707. postquam Notarii Schaubroeck & van Dormael eam collationassent, prout patet etiam ex eorum depositione desuper in forma probante data, quod effective duæ litteræ fuerint variatæ.

181. *Et id ideo se fecisse*, aiebat ille Eximius Pater, *ut hac via posset probare, a Jansenistis eas variatas esse dum illam Epistolam habuerunt in manibus;*

182. *Et ut si Jansenistæ dixissent istas litteras nequaquam convenire cum quatuor primis litteris prænominis & cognominis Clarissimi Domini van-Espen, potuisset ille Eximius Pater respondere, non mirum esse cur afferant istas litteras nequaquam convenire, cum ipsas variaverint.*

183. Postquam autem prædicti Notarii Epistolam de 10. Januarii collationaverant, nunquam Reus eam amplius vidit, nisi apud Magnificum Dominum Rectorem; nam eam destinari curavit Eximius Pater prædictus per famulum suum nomine FIDELEM, prout sæpius Reo, Parenti ejus, & aliis fassus est.

184. Post variationem prædictarum litterarum, commisit idem Eximius aliam falsitatem:

185. Jussit ergo die 27. mensis Januarii 1707. ad se venire Jeremiam van Dormael Bedellum Facultatis Theologicæ & Notarium Apostolicum,

186. Cui dictavit Actam seu declarationem nomine Rei, quasi monitus & requisitus fuisset ex parte Illustrissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis, quod tamen falsum erat, prout omnia falsa sunt, quæ continentur in dicta Acta.

187. Verum quidem est, quod Reus illam Actam tanquam continentem veritatem signaverit;

188. Sed ad hoc fuit instigatus & seductus per prædictum Eximium Patrem Desirant, qui ei semper persuasit quod hæc Acta nequaquam in lucem veniret,

189. Quod tantum inserviret ad magis movendum Illustrissimos Dominos Archiepiscopum & Internuntium, ut dignarentur expedire litteras requisitoriales ad Magnificum Dominum Rectorem, ut dignaretur permittere effringere & visitare ædes aliquorum Jansenistarum.

190. Falsa ergo ista declaratio, quam ille Eximius met ausus fuit exhibere in causa sua contra Officium Fiscale cum sua uberiori responsione, continet quasi Reus declararet in favorem justitiæ sequentia:

191. Quod sine ulla fraude aut dolo ex parte sua, & sine ulla intentione male faciendi plurima scripserit a mense Julii anni elapsi sub dictamine præfati Clarissimi Domini van-Espen;

192. Quodque nihil de suo addiderit, aut dempserit, & quod inter alia scripserit originales litteras de 10. Januarii 1707. una cum nominibus ibidem expressis, & scripto introcluso;

193. Quod suis oculis viderit dictum Clarissimum Dominum van-Espen dictas Litteras signantem sua manu quatuor litteris majusculis post singulam ponendo punctum, & dein Litteras claudentem & mittentem ad Postam per famulum suum;

194. Quod similiter sub dictamine dicti Doctoris van-Espen eodem modo signantis, scripserit tres Litteras, primas de 20. Septembris 1706. scriptas ad Eruditissimum Patrem Ballexo, secundas de 16. Decembris 1706. ad Dominum van den Nesse, tertias de 18. Decembris ad Dominum Krys, & plures alias:

195. Quod viderit in ædibus præfati Clarissimi Domini van-Espen sæpe & occasionaliter originalem Librum Resolutionum manibus diversorum scriptum, ligatum ligatura Francica in folio:

196. Quod Reus quasi in conscientia motus prædicta declarasset Confessario suo, a quo monitus quod præfatum juramentum de non revelando fuisset nullum & illicitum, tempestive omnia revelasset alicui ex Stricta Facultate Theologica.

197. Sed quod omnia illa falsa sint, patet satis ex ante dictis,

198. Et Eximius Pater Desirant desuper est in confesso, quod Actam illam dictaverit in totum prædicto Notario van Dormael in cubiculo a dextris dum ipsius ædificium intratur;

199. Et

199. Et quod, quando Acta illa confecta erat, Reum vocari jusserit extra Culinam, in quam ante confectionem jusserat ire, eique submissa voce prælectam curavit signari mediantibus persuasionibus & promissionibus antedictis.

200. Postea vero Reus, istius Actæ nullam amplius inspectionem habuit.

201. Prædictus vero Eximius Pater continuans in suis pravis machinationibus, jussit Reum iterum quodam etiam die apud se prandere;

202. Et hac occasione incepit Reo dicere, *se non dubitare quin Jansenistæ sibi mutuo scriberent de negotiis, quæ inter eos aguntur.*

203. *Idcirco si vellet Reus, se posse facere opus gratissimum Illustrissimis Dominis Internuntio & Archiepiscopo,*

204. *Nimirum subtili modo intercipiendo apud Cursorem seu Postam Litteras, quas judicaret esse scriptas a Jansenistis, destinandas de Jansenismo suspectis.*

205. Sciebat enim prædictus Eximius Pater Reum habere notitiam apud Cursorem, & idcirco aiebat Reo, *illud impune licere ad detegendas seditiosas factiones, & ad evertenda mala, quæ imminent toti Belgio.*

206. Et ut Reus majorem occasionem intercipiendi has Litteras habuisset, fere singulis diebus plurimas ei Litteras destinandas dedit.

207. Post multas tandem persuasiones & promissiones, satisfecit Reus tandem voluntati prædicti Eximii intercipiendo, modo ut ante dictum est, ut domo Cursoris tres fasciculos, quos post interceptionem, sine mora detulit ad Eximium Patrem prædictum, qui eos perlegit ac in sua potestate retinuit, dicens:

208. *Se tum satis habere ad confirmandum ex iis omnes suas fictas chartas.*

209. Quinta autem die Martii hujus anni 1707. curavit Eximius Pater Desirant Reum iterum ad se vocari circa prandium, jussitque eum assidere mensæ.

210. Tempore autem prandii declaravit aperte Reo suam intentionem, nimirum illum debere accedere Magnificum Dominum Rectorem eadem die hora secunda post meridiem:

211. Et non multum Reo tempore prandii loquebatur de negotiis prædictis;

212. Sed eum tam multo vino & cerevisia fuit allocutus, ut ipsi soli existenti quæcumque voluerit persuaserit; subministravitque ei Responsa ad quæstiones per Officium Fiscale certo proponendas,

213. Præcipue, ut si sub juramento interrogaretur, ipse posset, imo deberet restringere mentaliter, ut sic tandem Janseniana Factio in lucem veniret.

214. Se tamen nequaquam credere, aiebat, quod juramentum exigeretur.

215. Postquam autem prædictus Ex. P. præfata sollicite Reo persuasisset, eum iterum tam multo vino oneravit, ut cum existeret apud Magnificum Dominum Rectorem vix attenderit, quid responderit, aut quod præstiterit juramentum.

216. Nam die postero dum Reo diceba tur quod præstitisset juramentum, & quidem perjurium, totus obstupuit:

217. Quia non est verisimile, quod tam facile præstitisset juramentum illud, nisi caput vino turbatum habuisset, tempus enim recolligendi se petiisset, quod ipsi denegari non poterat.

218. In signum quod Reus juramentum illud nullo modo scienter aut volenter præstiterit, est, quod statim conquestus fuerit prædicto Eximio Patri Desirant, qui querelas ejus respuit, & sine mora ei persuadere cœpit, esse stupidos, qui dicerent eum præstitisse perjurium.

219. Ut illud magis confirmaret, ostendit & tradidit Reo iterum inter alios Auctores Responsa de Jure Canonico præsertim novissimo Auctore Francisco Zypæo, librum bibliothecæ Augustinianæ modo consignatum in manibus D. Fiscalis, ex quo explicuit Responsum primum de Visitatione, notanter sententiam Lessii ibidem recitatam his verbis.

220. *Quod subditi non debeant patefacere criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant, ut communis est sententia Doctorum D. Thomæ & aliorum ibidem citatorum.*

221. *Ratio est, quia id, de quo adhuc nulla est fama, censetur occultum, dum via inquisitionis proceditur:*

222. *Atqui Judicis potestas non se extendit*

dit ad elicienda occulta, maxima enim inde incommoda in Republica sequerentur;

223. *Itaque etiamsi sub juramento vel sub pœna excommunicationis præcipiat ut dicas veritatem de eo, quod nosti; tamen non teneris:*

224. *Sed potes cum restrictione mentali dicere, te nescire quidquam, intelligendo tacite, te nescire eo modo, ut tenearis patefacere.*

225. Itaque secundum illam sententiam male applicatam, persuasit Reo, maxime de talibus doctrinis ignaro, ipsi licere, tuta conscientia sub juramento uti restrictione mentali, ut aliqua seditiosa factio detegatur, & ad id omne medium licere adhiberi, & sic docuit Reum posse mentiri, prout in illis accusationibus omnino fecit.

226. Interea temporis rogavit prædictus Eximius Pater Desirant Reum, ut in cœpto opere vellet manere constans & fidelis: quod omnia essent bene successura, & nullum periculum pro eo foret.

227. Cum modo falsitas hujus negotii esset detecta per Officium Fiscale, & decima Martii 1707. detineretur Reus apud Magnificum Dominum Rectorem causa horum negotiorum, scripsit Eximius Pater prædictus Reo Epistolam, quam per Patrem ejus curavit destinari:

228. Hæc Epistola scripta erat manu Patris d'Herbe Socii aut Secretarii ejus, & superscriptio manu Patris Rei, ne interciperetur:

229. Per hanc Epistolam iterum Reum exhortatus est, uti ei maneret fidelis & constans, ut nequaquam timeret Dominum Fiscalem, aut curaret injurias, quas ipsi inferebat.

230. Desuper in hac Epistola montes aureos pollicebatur Reo, & omnia ita scribebat, ut ipsam veritatem dicere videretur, ita ut Reus nesciret quid in tali casu & perplexitate esset faciendum.

231. Cum jam Reus prædicto die vesperi esset dimissus a Magnifico Domino Rectore, postero die mane accessit Eximium Patrem Desirant;

232. Qui iterum adhortatus est Reum, ut maneret constans & stabilis, & nihil metueret.

233. Et ut Reum magis in suo proposito stabiliret, & tutius posset facere quæ sibi facienda esse proposuerat.

234. Assignavit ei prædictus Eximius Pater aliam resolutionem ex prædicto Auctore Zypæo in Responso primo *Ad privilegia communia defendenda, an liceat concivium auxilium implorare, lib. 5. de Schismaticis, seu de seditiosis, & qui plebem colligunt*, ubi habentur art. 2. sequentia:

235. *Porro, ut tempus tacendi, ita etiam loquendi est.*

236. *Et propterea in reatum incidit, qui novit consilia agitari adversus Principem aut Rempublicam, nec ea defert*, L. Quisquis §. Id quod. Cod. Ad leg. Jul. Majestatis.

237. *Adeoque, ad proportionem, qui scit periculum esse, ne quid de dignitate Reipublicæ, jure, ac privilegiis minuatur, & tacet; lædit Rempublicam:*

238. *Qui videt incendium excitari, nec ad extinguendum vicinos provocat: qui aggerem perrumpi, nec ad ripam muniendam proclamat, innoxius non habetur: qui videt socium injuria affici, nec prohibet cum potest, tam dicitur esse in vitio, quam qui facit.*

239. *Quare adversus communes hominum tempestatumve injurias etiam edictis Principum permissum est ære campano convocare populum ad obviam eundum publico malo.*

240. Consequenter, sicuti prædictus Eximius Pater Reo communicaverat varias historias de prætenso Jansenismo, & de personis de eo prætense suspectis.

241. Persuasit tali modo Reo, nam linguam propterea satis facundam habebat, ut effective Reus crediderit omnia esse vera, & sic se debere persistere in suis accusationibus, ab ipso tamen Eximio Patre Desirant fictis & fabricatis.

242. Post prædictas illas exhortationes consuluit tandem Eximius Pater, ut Reus se reciperet in Cœnobium RR. PP. Carmelitarum ad Sanctam Catharinam, pro quatuor aut quinque diebus, *quia*, aiebat, *Dominus Fiscalis per falsas probas decretum apprehensionis ad onus vestrum obtinuit.*

243. Quo audito, Reus se e vestigio ad prædictum Cœnobium recepit.

244. Cum

244. Cum ibidem Reus uno aut altero die fuisset, misit Eximius Pater prædictus ad eum tum unum, tum alterum, ut illum adhortarentur, ut maneret fidelis & constans:

245. Et ut Reum in perjurio & falsa accusatione prædicti Clarissimi Domini van-Espen, & aliorum præclarorum Virorum confirmaret, de tempore in tempus plurimas ei iniquas instructiones mittebat:

246. Notanter misit Reo patrem suum, & Advocatos Schaubroeck & Robin cum instructione amplissima oretenus ipsis data:

247. Nimirum quod Reus non deberet respondere ad interrogata Officii Fiscalis, sed esset excipiendum & inhærendum suspectationibus contra Dominum Fiscalem exhibitis:

248. Item si interrogaretur Reus super Epistola prædicta de decima Januarii 1707., quod Clarissimus Dominus van-Espen non esset solitus scribere in principio suarum Litterarum, *Salute prævia*:

249. Quod deberet respondere, se propria sponte illa verba scripsisse, & cum jam essent posita, quod Clarissimus Dominus van Espen tunc dixisset, illa verba esse relinquenda.

250. Item si interrogaretur super Epistolis scriptis ad Eruditissimum Dominum van den Nesse, tempore quo ille hospitatus fuerat apud Clarissimum Dominum van-Espen,

251. Quod equidem deberet Reus respondere, se hoc non curare, & quod equidem illas invenisset & intercepisset in domo Cursoris, & eas detulisset ad Eximium Patrem Desirant.

252. Ex omnibus ergo istis circumstantiis, non est dubium, quin Magnificentia Vestra plane dignoscet, nullo modo fuisse factum Rei:

253. Nam in primis, quid quæso impulisset Reum ut similia perpetraret contra personas sibi ignotas, prout de facto adhuc pro maxima parte ipsi ignoti sunt Domini accusati?

254. Secundo, nullum interesse potest imaginari quod Reum potuisset movere ad falsificanda omnia illa instrumenta in perniciem prædictorum Venerabilium Dominorum:

255. Nihil enim proficui ex interitu eorum sibi poterat sperare.

256. De cetero Reus nulla particulari amicitia, aut sanguine conjunctus est Illustrissimis Dominis Internuntio & Archiepiscopo Mechliniensi, ut teneretur eo perverso modo ulcisci prætensas injurias ipsis allatas:

257. Neque est de consanguinitate prædicti Eximii Patris Desirant, imo eum nunquam ante hanc causam particulariter noverat.

258. Consequenter non est apparens, Reum potuisse omnia illa fecisse & finxisse ex se in defensionem istius Eximii Patris.

259. Ad hoc concurrit quod Reus sit juvenis, jam tantum habens viginti annos, qui & adhuc nullum studium habet, vel parum.

260. Idcirco quod moraliter impossibile sit, eum potuisse solum omnia illa componere, quæ scripta sunt in litteris destinatis ad Eruditissimos PP. Balleño & van Wavre.

261. Item in illis litteris destinatis in opprobrium Illustrissimorum Dominorum Internuntii & Archiepiscopi prædictorum:

262. Prout etiam verisimile non est, Reum potuisse solum composuisse litteras ad Eruditissimum D. van den Nesse, D. Krys & alios:

263. Notanter famosam Epistolam de decima Januarii cum Formularibus & Libro Resolutionum introclusis antedictis fasciculis, cum propter ætatem ejus parvam impossibile sit eum potuisse de doctrinis & negotiis in iis contentis fuisse informatum aut instructum.

264. In primis de prætensa doctrina Janseniana Reus omnino ignarus est, cum nunquam Theologiæ studuerit & sic etiam notitiam Bullarum Pontificiarum desuper latarum nullatenus habere potuerit.

265. Quod attinet Librum Resolutionum fictum, nullus mortalium saltem cum aliqua apparenti ratione sustinere posset, id posse esse opus Rei inquisiti, absque eo quod quis magni ingenii & studii materias, formas ac nomina dictasset, & correxisset.

266. Quia cum in primis non noscat Reum

Reus maximam partem Dominorum, qui eodem libro sunt inserti:

267. Sic non potuit horum facere catalogum in eodem libro mentionatum, nec ipsis fingere claves in eodem notatas.

268. Negotia autem, quæ in ipso Libro ficto habentur tanquam resoluta, nullo modo potuit Reus scire; equidem non est apparens quod de iis fuerit edoctus:

269. Excepto negotio Domini Gerberonii contra Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Mechliniensem, de quo bene audivit Reus loqui occasione quod Pater Rei in hac causa coram Amplissimo Domino Abbate Sanctæ Gertrudis tanquam Procurator inserviverit, etiamsi de hoc negotio non fuerit locutus Patri Desirant, prout falso ipse prætendit.

270. Sed quod pertinet ad procurandum reditum Patris Quenelli in hoc Belgium, ut ipse via juris Archiepiscopum prædictum invadere posset, mentionatum in Congregatione de 28. Julii 1706., de eo nunquam Reus audivit.

271. Prout etiam ignarus fuit de negotio Domini du Cellier contra Dominum Promotorem hujus Universitatis, de lite Domini Gautii contra prædictum Eximium Patrem Desirant, & de lite Clarissimi Domini van-Espen contra strictum Collegium Jurium.

272. Reo etiam fuit ignota causa Eruditissimi Domini van den Nesse contra Illustrissimum Dominum Archiepiscopum, quoniam eum nunquam novit.

273. Etiam ei ignota erat pro maxima parte causa prædicti Eximii Patris Desirant; nimirum de horto, cubiculo intercepto, de famulo suo *Fidele*, de Secretario suo Patre d'Herbe, & aliis rebus eum concernentibus.

274. Nunquam etiam Reus audiverat de lite Eximii Domini Hennebellii contra Regentes Strictæ Facultatis Theologicæ & Eximium Dominum Martin.

275. Neque fuit unquam informatus de apparenti difficultate inter Eximium Dominum Sullivane & Eximium Dominum Daelman.

276. Non est etiam apparens, quod Reus unquam potuerit scire negotium aut rationes, quare Illustrissimus Dominus Internuntius jussus fuerit Bruxellis exire.

277. De cetero, plura alia huic Libro ficto sunt inserta, quæ nullus mortalium auderet asserere composita fuisse a solo Reo.

278. Fecit quidem Reus Minutam istius libri:

279. Sed fuit prædictus Eximius Pater Desirant, qui eum ad illam Minutam conficiendam per fallaciam spe pecuniarum & promotionis seduxit, prout ante dictum est:

280. Fuit ille idem Eximius, qui subministravit Reo omnem materiam, nomina & claves in eodem libro positas & fictas:

281. Prout etiam subministravit ei materiam omnium litterarum scriptarum nomine Clarissimi Domini van-Espen.

282. Et quamvis illud abunde constet ex responsionibus personalibus Rei ejusque examinationibus sæpe reiteratis & facti serie missa Domino Fiscali ex parte Rei, quam tanquam veram paratus est sub juramento damnationis animæ suæ affirmare:

283. Tamen ulterius probatur ex ipso Libro Resolutionum continente pro maxima parte negotia prædicti Eximii Patris contra ultimum Capitulum generale & varios Patres sui Ordinis, quæ omnia Reus nullo modo fingere potuit:

Comment avouer que je suis Auteur de la Réponse reclamée dans la susdite Ordonnance, puisque je n'ai pas vû l'Exemplaire qui a été produit, examiné & laceré. Cet Exemplaire, quoique portant mon nom, peut fort bien avoir été alteré; il n'y a rien de si facile. Les tours de fourberie qu'on a ci-devant employés à mon égard, en sont une preuve incontestable. Aussi les termes qu'on employe dans ladite Ordonnance pour désigner cette Réponse, ne sont pas propres pour désigner la mienne; & on le fait même sans en exprimer la date.

Combien d'ailleurs cette Ordonnance n'a-t-elle pas prévenu les esprits à mon égard! ensorte que mes raisons de défense ne feront pas à présent la même impression qu'elles auroient fait auparavant. On la regardera comme un jugement, qui quoique rendu sans que j'aie été ouï, doit servir de préjugé, de fondement & de regle dans le procès criminel qu'on ordonne d'intenter à ma charge.

J'ose supplier V. S. M. de daigner considerer pour un moment ces circonstances facheuses où je me trouve.

Je me jette avec confiance au pied de son Throne, pour qu'Elle daigne baisser sur moi & sur l'état où je me trouve à l'age de 80. ans, un de ses regards qui fasse dissiper l'injustice & le mauvais traitement que me font souffrir les Ministres de la Cour de Rome, auxquels je suis en butte depuis que j'ai soutenu vos Droits, Hauteurs & Jurisdi-

ctions

ctions Souveraines, par des Ouvrages que j'ai donnés au Public, & qui ne sont pas au goût de leur Cour.

Suppliant avec le plus profond respect, qu'il vous plaise, Sacrée Majesté, de tenir en état & surséance l'effet desdits Ordres donnés au Recteur Magnifique & au Promoteur de ladite Université en conséquence de l'Ordonnance susmentionnée du 12. Septembre 1725. du moins par provision & jusqu'à ce que V. S. M. aura été servie, de déclarer sa Royale Volonté sur ma Remontrance faite au regard de cette même Ordonnance. En quoi, &c.

Z. B. VAN-ESPEN.

D.

Lettre de S. M. I. & C. à S. A. S. Madame, l'Archiduchesse Marie Elisabeth.

L'EMPEREUR ET ROY.

Madame, ma très chere & très aimée Sœur: Rapport m'ayant été fait des relations de V. A. du 29. de Mars & du 27. de Septembre derniers, accompagnées de deux Memoires spécifiques du Chef & Président de mon Conseil privé le Comte de Baillet, & d'autres papiers & documens y repris, de même que d'un Ecrit de gros volume contenant les raisons de défense que Zegere Bernard van-Espen Professeur des Saints Canons, & Docteur en Droit dans l'Université de Louvain avoit présenté à V. A. à l'égard d'une Réponse Epistolaire imprimée sous son nom, & qui sous le Gouvernement précedent après avoir été ouïs là dessus mes Conseillers Fiscaux du grand Conseil & ensuite mon Conseil d'Etat, fut déclarée scandaleuse, injurieuse au S. Siege & de pernicieuse conséquence, & lacerée comme telle publiquement dans l'Antichambre dudit Conseil d'Etat en conséquence du Décret émané par le Comte de Daun le 12. de Septembre de l'année passée; je veux bien faire cette à V. A. pour lui dire, que me conformant entierement avec votre sentiment expliqué dans lesdites deux relations, ma Royale Volonté est que V. A. ordonne au Promoteur de l'Université de Louvain de requerir ledit Docteur van-Espen, que dans la quinzaine il prenne inspection, & reconnoisse l'Exemplaire de ladite Réponse Epistolaire, qui se trouve dans la Secretairie du Conseil d'Etat, conforme à celui qui a été laceré l'année passée, déclarant si c'est son ouvrage ou non, à peine que son silence sera tenu pour un aveu & confession d'être Auteur de la Réponse Epistolaire en question; & au bout desdits 15. jours V. A. fera proceder avec toute diligence & promptitude contre la personne dudit Docteur van-Espen devant son Juge compétant de l'Université de Louvain, en conformité de la Résolution & Décret du douziéme de Septembre l'année passée, servato juris ordine, pour y être fait droit sans ulterieur delai, suivant les Loix du Pays & Canons de l'Eglise. A tant Madame ma très chere & très aimée Sœur, Je prie Dieu de vous conserver en parfaite santé à longues années. De Vienne le 21. Decembre 1726. Paraphé Prins de Carna. Ps. vidit. Et plus bas, Bon & affectionné Frere de V. A. signé CHARLES. Au bas étoit, par l'Empereur & Roy. Contresigné A. F. de KURZ Plus encore, Pour copie conforme à son Original, & étoit signé J. B. de HEEMS, & cacheté des Armes de sa Majesté en hostie rouge.

E.

ACTA LITIS
INTENTATÆ DOCTORI VAN-ESPEN,

Coram Rectore Academiæ Lovaniensis,

OCCASIONE

RESPONSIONIS EPISTOLARIS

De numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito. (a)

MONITIO.

Nulla visum fuit hic opus esse Præfatione: nam si quis de CAUSÆ ESPENIANÆ occasione, atque ipso Quæstionis statu ante omnia cupiat edoceri, is prælibare poterit Motivi Juris breve Procemium.

LIBELLUS GRAVAMINUM

Pro Consultissimo Domino THEODORO LEONARDO STREITHAGEN *hujus Universitatis Promotore, nomine officii Actore.* (b)

Contra Clarissimum Dominum ZEGERUM BERNARDUM VAN-ESPEN *Juris utriusque Doctorem, & sacrorum Canonum Professorem, Reum citatum.*

Actor deducendo sua gravamina ad fundandam Conclusionem inferius capiendam, dicit & articulat sequentia, sub & mediantibus, &c.

I. Quod Sanctissimus Dominus Benedictus decimus tertius Pontifex modernus per Decretum suum, sive Breve Apostolicum de vigesima prima Februarii 1725. decreverit ac declaraverit tam Electionem Cornelii Steenoven in Archiepiscopum Ultrajectensem fuisse irritam, ac prorsus nullam:

II. Quam ejus Consecrationem omnino fuisse illicitam & execrandam;

III. Ac

(a) Primum typis data anno 1728. *Causa Espeniana, sive Acta Litis* &c. ut supra.
(b) Exhibitus D. van-Espen die 14. Febr. 1727.

III. Ac proinde ipsum temere nulloque jure electum, omni Ecclesiastica & spirituali jurisdictione pro animarum regimine carere, atque illicite consecratum, ab omni exercitio Episcopalis Ordinis esse suspensum.

IV. Quod propterea mandaverit idem Sanctissimus Benedictus XIII. strictèque interdixerit memorato Cornelio sub pœna excommunicationis ipso facto sine ulla declaratione incurrendæ, ne auderet Pastores, Missionarios, Ministros, aut alios quocumqne nomine nuncupentur, ad animarum curam & Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu constituere ac deputare.

V. Quod simul palam edixerit ac declaraverit omnes & singulas prædictorum Officiorum deputationes pro animarum regimine factas, aut fortasse faciendas cum omnibus inde secutis, prorsus irritas esse, ac nullius roboris & momenti:

VI. Ac prorsus eidem Cornelio præceperit & inhibuerit, ne sub simili excommunicationis pœna, auderet illicite Sacramentum Confirmationis aut Ordinis conferre, aut quoquo pacto Ordinem Episcopalem, a quo suspensus erat, exercere.

VII. Quod eapropter graviter injunxerit ac vetuerit omnibus Christi fidelibus, ne antedictum Cornelium pro vero Archiepiscopo Ultrajectino haberent & agnoscerent, neve cum eodem ullo pacto, præsertim in divinis, communicarent, aut ab ipso, vel ab aliis per ipsum perperam & nulliter deputatis, Sacramenta aut Ordines acciperent.

VIII. Noverit enim, inquit, qni Ordinibus initiatus ab ipso fuerit, suspensionis se vinculo constrictum, atque irregularitati præterea obnoxium, si susceptos Ordines exercuerit.

IX. Quod de præmissis omnibus constet, & fidem faciat præfatum Breve Apostolicum hic concomitans sub N°. 1°.

X. Quod Dominus Reus citatus super Brevi illo Apostolico consultus ab aliquo, quemadmodum Reverendum ac Amplissimum Dominum vocavit, scripserit Responsionem Epistolarem hic in Copia similiter concomitantem sub N°. 2°.

XI. Quod electionem dicti Cornelii Steenoven & consecrationem ejusdem subsecutam, per dictam suam Epistolam deprædicaverit validam & justam.

XII. Idque, ut ait, propter necessitatem & exigentiam salutis populi, quæ fuisset in Ordinatione Cornelii Steenoven per solum Episcopum Babylonensem peracta.

XIII. Addens, nihil contra spiritum Ecclesiasticæ Disciplinæ, aut sacrorum Canonum, vel adversus reverentiam Superioribus debitam, in ea re actum fuisse.

XIV. Sed illum, cui scripsit, unice præ oculis habuisse, ne Canonum externo rigore servato, a sensu & mente Matris Ecclesiæ recederet, & saluti populi ipsi commissi haud satis provideret.

XV. Quod propterea exhortatus fuerit illum, ut pergeret pascere eum, qui in eo erat, gregem.

XVI. Et sic spreverit & contempserit Decretum sanctissimi Domini hic supra reclamatum.

XVII. Vel saltem nihili fecerit.

XVIII. Quod eapropter Responsio illa Epistolaris Domini Rei citati de quarta Junii 1725. per Decretum Cæsareæ suæ Majestatis latum in Consilio Status duodecima Septembris 1725. declarata fuerit injuriosa prædicto Brevi Apostolico & aliis Decretis sanctæ Sedis desuper editis.

XIX. Et ulterius scandalosa & perniciosæ consequentiæ.

XX. Et quod propterea publice lacerari deberet qua talis per Apparitorem, ad interventionem duorum Consiliariorum ad hoc deputatorum.

XXI. Quod etiam qua talis lacerata fuerit; uti fidem facit Decretum hic similiter concomitans sub N°. 3°.

XXII. Quod Dominus Reus citatus ad interpellationem Actoris, ipsi factam de Mandato Cæsareæ suæ Majestatis, fassus sit, sese esse Auctorem prædictæ Responsionis Epistolaris de quarta Junii 1725. Relatio ad ejus responsum hic similiter concomitans sub N°. 4°.

XXIII. Quod eapropter Actori injunctum sit, quatenus indilate agat contra Dominum Reum citatum, ut videre est ex Mandato hic similiter in Copia juncto sub N°. 5°.

Qua-

Quare concludendo contendit Actor, Dominum Reum citatum ea de causa per sententiam Magnificentiæ Vestræ esse puniendum secundum Leges Patriæ, & sacros Ecclesiæ Canones, eumque pœnis & censuris iisdem comminatis esse afficiendum, aut alias salutariter, & omni meliori modo, jus dici petens, cum expensis.

Implorando, &c.

D. Gorz.

APPENDICES
SEU ANNEXA LIBELLI GRAVAMINUM.

I.

BREVE SS. D. N. BENEDICTI XIII.

Dilectis Filiis Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus. BENEDICTUS PP. XIII. Dilecti Filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Qua sollicitudine ad animarum vestrarum salutem hæc Sancta Sedes advigilet, quove studio curet & nitatur, ut adversus insidias diaboli nulla vobis desint sanæ Doctrinæ, salutaris disciplinæ & vigilantiæ pastoralis præsidia, jam assiduis hactenus argumentis exploratum Vobis esse non dubitamus. Hæc ipsa tamen doloris acerbitas, qua gemitus nostros ad Vos deferre, mœroris causas iteratis questubus replicare, & recentibus scandalis obviam ire compellimur, notum Vobis, nec obscurum esse debet paternæ nostræ caritatis testimonium.

Nostis autem dilecti Filii, quibus artibus pravæ doctrinæ semina spargere molientes dissensionis Filii, non solum Catholico nomine, sed pastoralium etiam munerum inducta larva, & confictis Ecclesiastici Ministerii titulis abutentes, ad animarum curam, & Sacramenta administranda obrepere aut irrumpere tentaverint. Sed superbia eorum, quæ ascendit semper, eo demum temeritatis evasit, ut postquam a septem Clericis, qui Canonicorum nomen jactabant Ultrajectini Capituli, quod jam ante annos ab hinc plures supra centum intercidit, perperam ac temere facta esset die 27. mensis Aprilis anno 1723. Electio Cornelii Steenoven turbulentæ factionis antesignani, & Ecclesiasticis censuris obstricti in Archiepiscopum Ultrajectinum, quamquam ab hac Sancta Sede rejectam ejusmodi Electionem certo & palam rescivissent, curarunt tamen atque effecerunt, ut eidem Cornelio die 15. mensis Octobris anno 1724. Apostolica auctoritate, & Sacrorum Canonum contemptis regulis, per detestabilem ac sacrilegam manuum impositionem Episcopalis Consecrationis munus traderetur. Ne autem factiosorum conatus ulla pravitate vacarent, consecratio peracta est a Dominico Maria Varlet Episcopo Babylonensi jam ab exercitio Episcopalis Ordinis suspenso, ejus suspensione per litteras Sacri Cardinalium Collegii apud Vos typis impressas publice denunciata; sed ad hæc inde etiam cumulus perversitatis accessit, quod memoratus Episcopus Babylonensis, minime assistentibus ex præscripto Sacrorum Canonum duobus aliis Episcopis, nullaque Apostolica dispensatione suffultus, solus antedictum Cornelium consecrare ausus fuerit.

Ut igitur pro nostræ servitutis officio opportuna remedia tantis scandalis adhibeamus, Auctoritate Apostolica tenore Præsentium decernimus & declaramus, tam electionem ejusdem Cornelii in Archiepiscopum Ultrajectinum fuisse irritam, ac prorsus nullam; quam ejus consecrationem fuisse omnino illicitam & execrandam; ac proinde ipsum temere, nulloque jure electum Cornelium omni Ecclesiastica & Spirituali Jurisdictione pro animarum regimi-

ne

se carere ; atque illicite consecratum ab omni exercitio Episcopalis Ordinis esse suspensum.

Mandamus propterea, districteque interdicimus memorato Cornelio sub pœna Excommunicationis, ipso facto, sine alia declaratione incurrendæ, ne audeat Pastores, Missionarios, Ministros, aut alios quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu constituere ac deputare. Simul etiam palam edicimus & declaramus, omnes & singulas prædictorum officiorum deputationes pro animarum regimine, quocunque nomine factas, aut fortasse faciendas, cum omnibus inde secutis, prorsus irritas esse, ac nullius roboris & momenti. Rursus eidem Cornelio præcipimus & inhibemus, ne sub simili Excommunicationis pœna audeat illicite Sacramentum Confirmationis, aut Ordines conferre, quoquo pacto Ordinem Episcopalem, a quo suspensus est, exercere.

Vobis autem, dilecti Filii, graviter injungimus ac vetamus, ne antedictum Cornelium pro vero Archiepiscopo Ultrajectino habeatis & agnoscatis, neve cum eodem ullo pacto, præsertim in divinis, communicetis ; aut ab ipso, vel ab aliis per ipsum perperam & inaniter deputatis, Sacramenta aut Ordines accipiatis. Noverit enim qui Ordinibus initiatus ab ipsis fuerit, suspensionis se vinculo constrictum, atque irregularitati præterea obnoxium, si susceptos Ordines exercuerit. Reliquum est, ut paternis curis nostris filialis obedientiæ, fideique vestræ officia respondeant. Nullum enim jucundius dolori nostro solatium afferri potest, quam ut intelligamus, Vos caute ambulantes non vocem alienorum audire, sed Pastorem sequi, & domum ædificare supra firmam Petram. Ac Vobis, dilecti Filii, Apostolicam benedictionem, quam cælestis præsidii pignus, atque adversus potestates tenebrarum arma & scutum esse optamus, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Februarii M. DCC. XXV.

CAROLUS ARCHIEPISCOPUS EMISSENUS.

II.

Z. B. VAN-ESPEN J. U. Doctoris & SS. Canonum Professoris in Academia Lovaniensi de numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito RESPONSIO EPISTOLARIS, occasione Dissertationis Eximii D. Damen S. Th. Doctoris & Professoris in eadem Academia super eadem quæstione evulgatæ.

MONITUM.

Cum in hac Responsione Epistolari iteratis pridem typis evulgata, Actor nihil reprehendat nisi pauca quadam dicta, quæ in fine Epistola sua per modum urbanæ conclusionis Auctor interposuerat ; cumque illud ipsum de numero Episcoporum *Responsum sit valde operosum & prolixum: ob has aliasque causas totum hoc secundum Annexum hic intermittere visum fuit.*

N. B. *Hoc idem Responsum habetur To. IX. hujus Edit. Neap. p. 673. cum sua Præfatione, quæ præcipue ansam censuræ præbuit ; quamque propterea hic subjungimus.*

PRÆFATIO. (*)

Nos abs re visum fuit subjuncta Responsionis Epistolaris, *&c. editioni verbulum præmittere de* Responsionis *occasione, & Scriptore.*

Postquam Reverendissimi Cornelii Steenovii Archiepiscopi Ult. Canonica electio, & secuta consecratio, orbi innotuerunt, tum intra, tum extra Patriam multi ex animo applaudserunt. Magni nominis Theologi, ac Juris Periti non pauci, quin & varii celebres Episcopi, Archiepiscopo de dignitate, quam ade-

(*) Hæc præfatio habetur in exemplari RESPONSIONIS EPISTOLARIS, quod notatum & laceratum fuit decreto Consilii STATUS lato Bruxellis 22. Septembris 1725.

adeptus erat per scriptas litteras gratulati sunt. Ex iis, quos temporis circumstantiæ Potentiorumque metus sententiam suam prodere prohibebant, complures secretius atque etiam apud Amicos quod gestum erat probebant, & avidius causam Ultrajectinam indagare cœperunt, non sine sincera erga afflictam & periclitantem Ecclesiam commiseratione.

Simulac autem istud lucis crepusculum exoriri, ovesque nobis creditas in novam spem erigi, animadverterunt implacabiles Adversarii, omnes nervos intenderunt, quo salutaria consilia dissiparent.

Hinc prodiit nuper sub nomine Hermanni Damen Doctoris Lovaniensis Dissertatio, *admodum virulenta & omnes moderationis terminos excedens; usque adeo autem rationum pondere destituta, ut fere ad animos non satis eruditorum perturbandos concinnata videatur. Acerbissime perstringit supra memoratam consecrationem, eo quod Pontificia confirmatio non obtenta & ab uno Episcopo peracta fuerit. Attamen non ignorans ejusmodi usus in gravi necessitate non semper posse exactissime ad litteram observari, eamque ob rationem quæ hic gesta sunt apud æquos & partium studio vacuos in partem benigniorem accipienda, ipsum consecrationis substantiam aggreditur. Tres Episcopos juxta ipsum jus divinum ad hanc actionem ita necessarios statuit, ut nisi Pontificis dispensatio interveniat, ista actio sit prorsus irrita: & istud quidem commentum tanquam probabile, seu verisimile, obtrudere conatur. Neque sine astutia; nam talium scrupulorum injectio, populum a sic consecratis Episcopis posset deterrere.*

Sed undenam commento, antiquitus ignoto, probationes arcesset? Idonea ex antiquitate documenta requiri nemo cordatus negaverit. Ipse interim non alia adducit, quam Epistolas Pontificum Anacleti, Aniceti, Damasi, & Joannis III. quas spurias esse, & hisce Pontificibus seculo octavo obtrusas, Responsio Epistolaris invicte demonstrat, & ut tales ab omnibus Eruditis habentur. Et hisce Epistolis corruentibus omne robur amittunt testimonia Leonis III. & Episcoporum quorumdam Galliæ & Germaniæ, qui illis Epistolis, ut genuinis veterum Pontificum fœtubus (sic enim per errorem sentiebant) unice nitebantur. Rectius autem Dissertator attendisset ad præclarum Symmachi Papæ Monitum, Epist. IX. ad Episcopos Galliæ scribentis. Quod fit præter regulam, modo fit ex juxta causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis a Patribus statuta diligenti observatione & observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset. Et sæpe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse præjudiciabilis Ecclesiæ videtur: quoniam leges ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant.

Ita ut in Dissertatorem apprime quadrent verba Illustris Martyris Joannis Fisscheri, Roffensis Episcopi, quibus ineptos Disputatores perstringit (†). Qui rationes invalidas & inefficaces adfert, perinde est ac si nullas attulisset: imo longe ei satius fuisset si nullas adduxisset. Cum enim quis sententiam aliquam nulla fultam ratione producit in medium, simpliciter & nudis verbis eam asserens, dubitare de illo adhuc possumus, num abditum aliquid soliditatis habeat, cui innitatur, quod hactenus non explicuit. Verum qui suam opinionem rationibus munit, quæ palam sunt invalidæ, nulliusque roboris, profecto se ipsum probat hallucinatum fuisse, atque fallacibus inductum rationibus ut ita opinaretur, suumque errorem ipse manifestum facit; quando cunctis apertissime liquet eam omni solida carere basi.

Hæc de Responsionis Epistolaris *occasione: Auctorem vero quod attinet, plurimis libris, multa ac sana doctrina refertissimis, percelebre sibi nomen tum domi tum foris acquisivit. Ætate grandævus est, imo octogenarius; sed in senili corpore mentis vigor ad stuporem usque perseverat. Sacrorum Canonum & Ecclesiasticæ disciplinæ studio sexaginta annorum serie diligentissime incubuit, insignem erga Deum religionem cum assiduo studii*

(†) Libro de unica Magdalena.

studii labore conjungens. Præfecturas Ecclesiasticas aut Academicas, pinguesve proventus, nunquam quæsivit; quin & modicam præbendam, quam junior obtinuerat, cum in Lovaniensi Academia sedem figere decrevisset, in Virum alium, non sanguinis conjunctione ac meritis sibi carum, transcripsit, absque ulla temporalis commodi expectatione vel reservatione. Relicta sibi a Patre hæreditate contentus fuit. Unde non mirum, quod a seculi vinculis ac amore expeditus nec periculis terreri, nec blanditiis abduci potuerit, quo minus intrepide, cum res exigebat, pro veritate & justitia loqueretur. Ah utinam tantum juris Professorem divina benignitas nobis adhuc diu conservet, Eique plures similes suscitet!

Plura de Viri Clarissimi, etiamnum viventis, virtutibus dicere, singularis ejus modestia me prohibet.

III.

Decretum Consilii Status de 12. Septembris 1725. (a)

IV.

Declaratio Doctoris van-Espen de Responsione Epistolari interpellati.

MARIE ELISABETH par la grace de Dieu Princesse Royale d'Hongrie, de Boheme & des deux Siciles, Archiduchesse d'Autriche; &c. Gouvernante générale des Pays-Bas. Cher & bien Amé, Sa Majesté Imperiale & Catholique notre très cher Frere & Seigneur ayant eu rapport d'un Ecrit de gros volume, contenant les raisons & moyens ulterieurs de defense, que Zegere Bernard van-Espen Docteur en Droit & Professeur des Sacrés Canons dans l'Université de Louvain nous a présenté par sa Lettre du 27. Juin 1726. à l'égard d'une Réponse Epistolaire imprimée sous son nom; & qui sous le Gouvernement précedent, apres avoir ouïs les Conseillers Fiscaux du Grand-Conseil, & ensuite le Conseil d'Etat, fut déclarée scandaleuse,

injurieuse au Saint Siege, & de pernicieuse conséquence, & lacerée comme telle publiquement dans l'Antichambre dudit Conseil d'Etat en conséquence du Décret emané par le Comte de DAUN le 12. de Septembre de l'année passée. Nous vous faisons la Présente pour vous ordonner au nom & de la part de sadite Majesté Imperiale & Catholique, de sommer & interpeller à la reception de cette, ledit Docteur van-Espen, afin que dans la quinzaine, à compter du jour que ladite Sommation lui sera faite, il prenne ou fasse prendre inspection & connoissance de l'exemplaire de la Réponse Epistolaire lacerée l'année passée, qui se garde dans la Secretairie du Conseil d'Etat, & qu'il déclare en deans ledit terme, si c'est son ouvrage, ou non, à peine que son silence sera tenu pour un aveu & confession d'être l'auteur de la Réponse Epistolaire en question, & après lesdits quinze jours expirés, vous nous informerez exactement de ce qui sera passé à cet égard, pour recevoir nos Ordres ulterieurs en conformité des intentions souveraines de sadite Majesté. A tant cher & bien Amé, Dieu vous ait en sa sainte garde. De Brusselles le 9. Janvier 1727. *Et étoit paraphé*: de Bail. vt. *Signé*: MARIE ELISABETH. *Plus bas contresigné*: J. B. DE HEEMS; *& au pied écrit*: Au Promoteur de l'Université de Louvain. *La souscription étoit*, à notre cher & bien amé le Promoteur de l'Université de Louvain: *plus bas*, Louvain, *& à coté écrit*: recommandé. Concordantiam cum suo originali attestor. J. A. DU RY Notarius.

En conformité des Ordres de Sa Majesté Imperiale & Catholique par Mandement de S. A. S. MARIE ELISABETH Princesse Royale, &c. Gouvernante générale des Pays-Bas, dont précede copie authentique, je soussigné Promoteur de l'Université de Louvain jointement le Notaire du Ry, avons sommé & interpellé le Docteur Zegere Bernard van-Espen, afin que dans la quinzaine, à compter du jourd'hui il prenne ou fasse prendre inspection & connoissance de l'exemplaire de la Réponse

 Epi-

(a) Cum hoc Decretum supra habeatur, Lib. I. Litt. E. hic illud intermittimus.

Epistolaire mentionnée audit Mandement, reposante à la Secretairie d'Etat, & de déclarer endeans ledit terme, si c'est son ouvrage, ou non; à peine que son silence sera tenu pour un aveu & confession d'être l'Aueur de la Réponse Epistolaire en question, & comme plus amplement par le-dit mandement &c. ce 14. Janvier 1727. à midi. T. L. Streithagen & J. A. du Ry Notarius.

Je Zeger Bernard van-Espen Docteur en Droit & Professeur des SS. Canons dans l'Université de Louvain, me trouvant sommé & interpellé le 14. du présent mois de Janvier par le Promoteur de cette Université, en conformité des Ordres de Sa Majesté Imperiale & Catholique par mandement de S. A. S. Marie Elisabeth Princesse Royale Gouvernante Générale des Pays-Bas, afin que je prenne ou fasse prendre inspection & connoissance de l'exemplaire de la Réponse Epistolaire mentionnée au dit mandement qui se garde dans la Secretairie du Conseil d'Etat, & que je déclare si c'est mon ouvrage, ou non: & y obeissant avec toute la déference, & le respect que je dois, je dis & je déclare ce qui suit.

Que ne pouvant prendre cette inspection & connoissance par moi-même, comme je l'aurois souhaité, à cause de mon grand âge & de mes infirmités, qui me retiennent chez moi, j'ai à cet effect constitué & commis par acte du 20. du dit mois de Janvier le Sieur Antoine Cinck Chanoine de la Cathedrale de Saint Lambert à Liege, Président du College de Craendonck & Professeur de l'éloquence dans cette Université; qui après avoir pris en mon nom & de ma part la susdite inspection & connoissance le 22. & le 23. dito, à la Secretaire du Conseil d'Etat en la Ville de Bruxelles, m'en a fait rapport, & m'a délivré une copie authentique confrontée & collationnée contre l'exemplaire susmentionné.

Que j'ai par là reconnu que cet exemplaire portoit à la tête certaine Préface, à laquelle je n'ai aucune part, & dont le contenu, en le confrontant avec l'Ordonnance du douziéme Septembre 1725. en conséquence de laquelle ledit exemplaire a été laceré, m'a fait comprendre, que c'est cette Préface que ladite Ordonnance a eu en vue; d'autant que pour designer la matiere de cet exemplaire, elle ne s'est point servi du Titre qu'il porte, savoir: *Responsio Epistolaris de numero Episcoporum ad validam ordinationem Episcopi requisito;* mais l'a designé par ces mots: *Certaine Réponse Epistolaire concernant la prétendue Election & Consecration de Corneille Steenoven en Archevêque d'Utrecht, laquelle Election;* &c. Termes, qui ne semblent pouvoir tomber que sur ladite Préface, où entre autres on lit ceux-ci: *Reverendissimi Cornelii Steenovii Archiepiscopi Ultraject. Canonica Electio & secuta Consecratio orbi innotuerunt:* au lieu que dans la Réponse Epistolaire, qui suit ladite Préface, on ne traite pas d'autre question, que celle de la validité de la Consecration Episcopale faite par un seul Evêque.

Considerant donc que c'est la Préface qui se trouve dans l'exemplaire laceré, que la susdite Ordonnance paroît avoir eu en vue, j'aurois peut-être pu dire simplement selon le stile du Barreau, que cet exemplaire tel qu'il se trouve, n'est pas mon ouvrage.

Mais pour ne pas manquer à la sincerité & au respect, que je dois à son Altesse Serenissime, qui au nom & de la part de sa Majesté Impériale & Catholique m'a accordé la susdite inspection, & m'a ordonné de m'expliquer ensuite: Je déclare que la susdite Réponse Epistolaire separée de l'impression, & du Titre & de la Préface, qui sont à la tête, est conforme, autant que je puis m'en souvenir, à l'Original par moi signé le 4. Juin 1725. sauf les nombres & les distinctions des Articles, & quelques fautes d'impression, qui se trouvent dans ledit exemplaire imprimé & laceré, & non pas dans mon Original. Cependant je ne crois pas, sous très humble correction, que ma dite Réponse Epistolaire, ou Résolution Canonique merite quelque censure ou démonstration, comme je pourrois faire voir en justice en cas de besoin: ayant une entiere confiance, que ma présente declaration, que je fais par respectueuse déference pour les Ordres de sa Majesté Impériale & Catholique,

que, & de son Altesse Serenissime, ne préjudiciera en rien aux exceptions & défenses que la raison naturelle & les Regles du droit m'accordent: & que le cours ordinaire de la justice me sera toujours également ouvert & libre pour avoir ma pleine défense dans un jugement reglé, conformement aux loix & coutumes du pays, & aux intentions souveraines de sa Majesté Impériale & Catholique, dont la grande Pieté, Equité & Justice m'assurent entierement. En foi de quoi j'ai signé cette, en la Ville de Louvain, le vinghuitiéme de Janvier 1727.

Z. B. VAN-ESPEN.

Nous soussignés avons reçu l'Original de la Réponse précedente après l'avoir confronté. Ce 28. Janvier 1727. T. L. STREITHAGEN & J.A. DU RY.

V.

MANDATUM RECTORIS MAGNIFICI.

De 11. Februarii 1727.

Injungimus Promotori nostro & Procuratori Haelgoet, quatenus indilate coram nobis, servato juris ordine, instituat nomine officii actionem ad onus Clarissimi Domini van-Espen J. U. Doctoris & SS. Canonum in hac Universitate Professoris. Datum Lovanii hac 11. Februarii 1727. ARN. VAN BUGGENHOUDT P. T. Rector 1727.

V.

PSEUDO-ANNEXUM. (*)

MARIE ELISABETH par la grace de Dieu Princesse Royale d'Hongrie, de Boheme, & des deux Siciles, Archiduchesse d'Autriche, &c. Gouvernante générale des Pays-Bas. Cher & bien Amé. Comme vous nous informez par Votre Rescription du 29. Janvier dernier, que Zegere Bernard van-Espen Docteur en Droit & Professeur des SS. Canons, après avoir fait prendre inspection & connoissance de l'Exemplaire Epistolaire imprimé sous son nom, & laceré publiquement dans l'Antichambre du Conseil d'Etat le 12. Septembre 1725. a dit par l'Acte joint à votre dite Rescription, qu'il auroit reconnu, que l'Exemplaire laceré portoit à la tête certaine Préface, à laquelle il n'auroit eu aucune part, & que la susdite Ordonnance de laceration paroît avoir eu en vue la susdite Préface; & a déclaré en outre que la susdite Réponse Epistolaire separée de l'impression & du Titre, & de la Préface qui sont à la tête, est conforme, autant qu'il peut s'en souvenir, à l'Original par lui signé le 4. Juin 1725. sauf les nombres & les distinctions des Articles, & quelques fautes d'impression, qui se trouvent dans le dit Exemplaire imprimé & laceré, & non pas dans son Original. Nous vous faisons la Présente ensuite des intentions souveraines de sa Majesté Impériale & Catholique nôtre très cher Frere & Seigneur, pour vous ordonner de proceder avec toute diligence & promptitude, contre la personne dudit Docteur van-Espen, devant le Recteur Magnifique son Juge compétant de l'Université de Louvain, *servato juris ordine*, sans prendre égard à la question *de numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito*, ni à la Préface, ni aux nombres & distinctions des Articles & quelques fautes d'impression, & autres futiles raisons avancées par ledit Docteur van-Espen, ni aussi à l'allegation erronée

I i 2 dudit

(*) In Actis litis inter Annexa Libelli gravaminum sub Num 5 loco Decreti Rectoris præmissi, supposita fuit hæc sub nomine Serenissimæ Archiducis ad Promotorem Academicum Epistola, quod haud dubie sic clancularie & a tergo attentatum est, ut per eam Judicis animus metu quodam reverentiali ad votum Partis interciperetur; absque eo quod daretur Reo locus ostendendi Instrumentum illud causæ huic prorsus esse extrinsecum, nec hic quidquam posse operari: ostendendi quoque quod idem fuerit sub & obreptive obtentum, utpote a Litteris Imperatoris Viennæ datis 21. Decembris 1726. & ab Actore productis cum Ulteriori Replica nimium discrepans: cum tamen notum sit quam soleat Serenissima Gubernatrix Decretis ac Placitis suæ Majestatis religiose inhærere.

dudit van-Espen, comme si l'Ordonnance de laceration pourroit avoir eu en vue ladire Préface: Mais vous agirez uniquement à sa charge sur ce qui est contenu dans le corps de ladite Réponse Epistolaire concernant la prétendue Election & Consécration de Corneille Steenoven en Archevêque d'Utrecht; laquelle Election le S. Pere Benoit XIII. par son Bref du 21. Fevrier 1725. a déclaré nulle & de nulle valeur, & ladite Consécration illicire & execrable, & que pour ces raisons ladite Réponse Epistolaire a été lacerée publiquement comme injurieuse audit Bref & autres Décrets du S. Siége émanés sur ce sujet, scandaleuse & d'une mauvaise conséquence, selon quoi vous vous reglerez, vous avertissant, qu'avons enjoint au Recteur Magnifique de ladite Université d'y faire droit sans ulterieur delai par le décrétement des peines & censures Ecclésiastiques, que ledit van-Espen peut avoir mérité, suivant les loix du Pays & Canons de l'Eglise, avec ordre de décider ladite Cause préferablement à toute autre. Nous vous renvoyons à cet effet la susdite Déclaration originale dudit Docteur van-Espen, vous enchargeant de nous informer des diligences & devoirs que vous aurez fait en exécution de nos présens Ordres. A tant cher & bien amé, Dieu vous ait en sa sainte garde. De Bruxelles le 8. de Fevrier 1727. *Etoit paraphé*, de Baill. vt. *& étoit signé :* MARIE ELISABETH, *contresigné* : J. B. de Heems. *Dessous étoit :* Au Promoteur de l'Université de Louvain.

PROVISIONALIS RESPONSIO (*)

AMPLIATA

CUM REQUISITIONIBUS ET SUSTENTIS

Pro Clarissimo Domino ZEGERO BERNARDO VAN-ESPEN *Juris utriusque Doctore & Sacrorum Canonum Professore Citato.*

Contra Consultissimum Dominum THEODORUM LEONARDUM STREITHAGEN *hujus Universitatis Promotorem nomine Officii Actorem.*

PRæfatus Citatus viso Libello gravaminum pro parte Actoris Magnificentiæ vestræ oblato per modum provisionalis Responsionis dicit, ponit & articulat sequentia sub omnibus, &c.

1. Quod jus & praxis criminalis Reo post personalem suam Responsionem, concedat copiam Libelli gravaminum, ut ampliationem Responsionis suæ adornare possit.

2. Quæ ampliatio continere debet exceptiones peremptorias, facta contraria, circumstantias notabiliter relevantes; prout habent Statuta Curiarum Provinciæ Mechliniensis Tit. XI. Art. 10.

3. Quæ Statuta sequitur hæc Curia quoad modum procedendi, præsertim in criminalibus in quibus proprium stilum non habet.

4. Jura autem omnia favent Reorum defensionibus, & liberaliter eis offerunt quidquid in eum finem servire potest.

5. Qui idem favor facit ut Actor, qui est persona publica, & mere pro bono publico agit, crimen, facta, circumstantias & jura ipsa, quæ pro fundamento actionis suæ allegare intendit, clare & distincte pro-

(*) Exhibita 21. Februarii 1727.

proponere debeat, & ex parte sua contribuere omnia quæ pro defensione Rei & celeri expeditione justitiæ conferre possunt.

6. Aliter enim institutus processus calumniosus censetur, quem Leges & Curiarum Statuta non solum reprobant, sed Actorem talem in expensas, damna & interesse proprio nomine condemnari volunt.

7. His præmissis, examinato Libello gravaminum præfato, deprehendit Citatus, quod plures ex Articulis ejus ita confusi, æquivoci & captiosi sint, ut simpliciter, adæquate responderi ad eos hactenus non possit.

8. Alii ita vagi & obscuri sint, præsertim circa Scriptum, de quo quæstio, nullo ejus textu designato; ita ut Citato examinandum, imo & divinandum relinquat, quos textus, aut quæ verba dicti Scripti præ oculis habeat Actor.

9. Denique instrumenta, quæ exhibet, talia sunt, ut Citatus adhuc nescire possit, quo loco sit, & quo exceptiones & defensiones suas debeat dirigere.

10. Nec nisi per multos Scripturarum anfractus & graves expensas ad rectum tramitem & viam regiam pervenire posset, quod tamen unice Citatus desiderat & intendit.

11. Itaque quo facilius & breviori compendio eo deveniatur, consultum duxit sparsim & pro occurrentia materiæ Requisitiones quasdam proponere & præmittere.

12. Cumque hoc rerum statu adhuc ei impossibile sit adæquate & plene omnes suas exceptiones & defensiones proponere, protestatur Citatus de manendo in integro quoad omnia quoad usque Requisitionibus præfatis erit satisfactum.

13. Primum itaque, quod hic occurrit, est Breve SS. Domini Benedicti XIII. de data 21. Februarii 1725. idque tota & sola materia est præsentis causæ & unicum fundamentum intentionis Actoris.

14. Sed scire debet Actor, juxta Leges Patriæ & Edicta Regia nullas Bullas, nulla Brevia, nulla alia qualiacumque Rescripta Romana in hac Patria aut publicari, aut executionem vel vim aliquam habere posse, nisi prius in Consiliis Regiis fuerint visitata & examinata, & publicari & executioni mandari permissa.

15. Quodque mores, Leges & Edicta præfata sint in viridissima observantia.

16. Scire etiam debet, nullam cujuscumque Legis publicationem Belgas constringere, nisi eam quæ in Belgio locis solitis & more consueto facta est.

17. Unde non sufficit ad intentionem Actoris hic allegare Breve aliquod Apostolicum, nisi etiam simul exhibeatur Placetum, sive permissio Principis.

18. Item nisi doceatur de legitima publicatione & promulgatione subsecuta, facta hic in Patria locis solitis & more consueto.

19. Hactenus tamen nihil eorum præstitit Actor.

20. Et nisi faciat, jam res pro Citato peracta erit.

21. Subtracta enim materia prævaricationis, de qua quæstio, corruit fundamentum hujus actionis, cum omni eo, quod illi superædificatum est.

22. Possetque Citatus, si res maneret in eo statu, & consultum duceret, jam tum in causa concludere; cum sine ulterioribus expensis & probationibus causa disposita esset ad ejus absolutionem.

23. Petit itaque injungi Actori, quatenus ante omnia doceat de Placito seu admissione Principis, & subsecuta legitima promulgatione dicti Brevis modo ante dicto.

24. Idque sub pœna, quod defectus præfatus admissionis & publicationis habebitur, ut in judicio agnitus & confessus.

Sustinens ante omnia id fieri debere & in casum, &c. cum expensis.

25. Et sine ejus præjudicio dicit, quod donec Actor illud præstiterit, ad novem primos Articulos responsum personale Citati, quod Breve illud non legerit, sufficere poterit ad abluendam omnem notam alicujus irreverentiæ circa dictum Breve.

26. Prout Citatus illud nunquam legerat, saltem ante omnem illam tempestatem, ejus occasione, in ipsum excitatam.

27. Dixit quidem Citatus in suo Scripto pag. 15. in fine, quod *nullum dubium, nullusque scrupulus movetur in Brevi Romano, de quo in Vestris Litteris circa validitatem Ordinationis Cornelii Steenoven per solum Episcopum Babylonensem factæ, uti recte ab Amplitudine vestra observatum est.*

28. Ve-

28. Verum id nullo modo arguit, quod Breve illud tum legisset Citatus.

29. Cum in primis vir ille, cui scribebat, illud tunc observasset, uti notat textus.

30. Deinde Amplissimus D. Damen in Dissertatione, super qua versabatur tota Epistola, pag. 43. speciali titulo sibi obiicit argumentum desumptum ex eo, quod dictum Breve nullo modo dicat, Consecrationem Cornelii Steenoven factam ab uno Episcopo sine dispensatione Sedis Apostolicæ esse invalidam.

31. Præfatus D. Damen illud admittit, & nullum dubium aut scrupulum movet circa objectionem præfatam, quod Breve illud nullam faciat mentionem ejusmodi invaliditatis.

32. Si quis autem scrupulus aut dubium in prædicto Brevi latuisset, indubie D. Damen illum eruisset & movisset, cum omnia corradat & mire se torqueat ut argumentum illud evadat.

33. Idque tunc sufficiebat Citato ut independenter a lectione sciret & diceret, nullum dubium aut scrupulum in dicto Brevi circa validitatem talis Consecrationis moveri.

34. De cetero adversus Articulum nonum relinquit instrumentum ibi reclamatum illi fidei, quam de jure meretur.

35. Ad Articulos a decimo usque ad decimum quintum omnia negavit Citatus, & adhuc penes suam negationem persistit.

36. Refertque se ad totum contextum Scripti, de quo quæstio; non vero ad lacinias ab Actore non satis fideliter excerptas & pro libitu interpolatas.

37. Ad Articulum vero undecimum, ubi dicit Actor, quod Citatus Electionem Cornelii Steenoven per suam Epistolam deprædicaverit validam & justam.

38. Citatus post relectam pluries Epistolam, de qua quæstio, ne verbum quidem invenire potuit, quod de Electione Cornelii Steenoven agit.

39. Petit itaque, ut Actor in dicta Epistola designet locum & verba in quibus de prædicta Electione ageretur.

40. Articulos 16. 17. negavit Citatus, & penes negationem suam persistit.

41. Petitque similiter, ut Actor in Epistola prædicta designet verba, quibus intendit adstruere contentum dictorum Articulorum.

42. Attento, quod longe aliud sit legem prætensam transgredi, aliud eam spernere, contemnere, & nihili facere.

43. Similiter circa Articulum 18. & 19 petit Citatus ut designentur verba, quæ Actor prætendit esse injuriosa Brevi præfato, quæque scandalosa & perniciosæ consequentiæ.

44. Cum Citatus nihil simile invenire potuerit, ideoque per omnia negat.

45. Denique quod ad hos Articulos aliosque sequentes usque ad 21. ubi Actor exhibet Decretum aliquod Consilii Status de data 12. Septembris 1725. ex quo plures Articulos gravaminum format.

46. Nescit Citatus, quo genere medii, sive quo pede illis adversus eum uti velit.

47. Certe non creditur quod vellet illud impendere tanquam Arrestum aut rem judicatam, præsertim adversus Citatum, notorium Suppositum hujus Universitatis.

48. In primis ex eo quod Decretum illud latum sit, Citato indefenso, imo plane inaudito,

49. Omni proinde juri repugnat illud in gravamen Citati hic velle impendere.

50. Quod vero Citatus ne quidem fuerit auditus, est de scientia Actoris, qui novit se demum 14. Januarii currentis anni, juxta Litteras Serenissimæ Archiducis ex Mandato Cæsareæ & Catholicæ suæ Majestatis, interpellasse Citatum; quatenus caperet inspectionem Scripti lacerati, de quo hic quæstio, repositi in Secretaria Consilii Status.

51. Cui conforme est instrumentum ab eo exhibitum sub numero 4°.

52. Insuper novit Actor si quisquam alius, quod hoc Tribunal non sit executor Decretorum & Arrestorum cujuscumque in causis criminalibus Suppositorum hujus Universitatis.

53. Cum hoc Tribunal sit solus eorum Judex competens in omnibus talibus causis, idque privative & ad exclusionem quorumcumque aliorum.

54. Idque juxta Erectionem hujus Universitatis factam Apostolica Regia auctoritate.

55. Ita-

55. Itaque petit injungi Actori, ut declaret quo genere medii, id est, quo pede uti intendat præfato Instrumento exhibito sub numero 3o. & Articulis ex eo deductis.

56. An tanquam Arresto aut re judicata adversus Citatum, an alio modo & quo.

57. Ut Citatus scire possit quas exceptiones hic proponere, & quo defensiones suas dirigere possit & debeat.

Sustinens ante omnia ita fieri debere, etiam cum expensis in casum, &c.

58. Itaque reiterando Protestationem de manendo in integro in suis ulterioribus defensionibus, ubi satisfactum erit Requisitionibus & Sustentis hic antea factis, & petendo super eis in casum altercationis, præliminariter jus dici.

His, aliisque mediantibus, &c.

Concludendo Citatus contendit quatenus Actor in quantum adversus Citatum per dictum suum libellum gravaminum egit, contendit & conclusit, saltem in modo & forma declarabitur non fundatus nec receptibilis, cum expensis aut alias salutariter, &c.

Implorando, &c.

Z. B. van-Espen.

R E P L I C A (*)

Pro Consultissimo D. T. L. Streithagen *hujus Universitatis Promotore, nomine Officii Actore.*

Contra Clarissimum D. Z. B. van-Espen *J. U. Doctorem & SS. Canonum Professorem, Reum Citatum.*

Actor visa schedula, cui titulus, Provisionalis Responsio ampliata cum Requisitionibus & Sustentis pro & ex parte D. Rei Citati exhibita, dicit ex adverso sequentia, sub & mediantibus, &c.

1. Quod sex priores Articuli dictæ schedulæ vix ullam mereantur attentionem.

2. Quamvis enim verum sit, quod Reo post Personalem suam Responsionem concedenda sit copia gravaminum, ut ampliationem Responsionis suæ Personalis adornare possit,

3. Hæc Copia Reo Citato concessa est statim post factam Personalem Responsionem, ut videre est ex actis hujus Causæ.

4. Et sic D. Reus Citatus frustra desuper movit sermonem.

5. Nec est, quod dicat quod ampliatio illa continere debeat exceptiones peremptorias, facta contraria, & circumstantias notabiliter relevantes.

6. Attento, quod dictus Reus Citatus fuerit in integro, ut eo circa faceret quod consilii, nec ei eo circa adempta est facultas, quæ ipsi competere potuisset.

7. Si autem credat, quod jura ipsi liberaliter faveant hac in causa, poterit illa citare in sui defensionem, in quo etiam relinquitur in suo integro.

8. Credit interim Actor, quod facta ad onus D. Rei deducta, adeo sint clara & intelligibilia, ut etiam idiotæ sensum illorum percipere debeant.

9. Unde in quantum Reus Citatus aliud insinuare videtur, ostendit, quod non quærat nisi cavillos.

10. Quod forte proprium est Auctori dictæ schedulæ.

11. Quod vel magis patet ex eo quod Arti-

(*) Exhibita 4. Martii 1727.

Articulo septimo dicat, plures ex Articulis Libelli gravaminum ita confusos, æquivocos & captiosos esse, ut simpliciter & adæquate responderi ad eos non possit:

12. Alios ita vagos & obscuros, circa Scriptum de quo quæstio, nullo ejus textu designato, ita ut Citato examinandum, imo & divinandum foret, quos textus aut quæ verba dicti Scripti præ oculis habeat Actor.

13. Et denique, quod instrumenta, quæ exhibuit idem Actor talia forent, ut Citatus adhuc nescire posset, quo loco foret, quove exceptiones & defensiones suas deberet dirigere.

14. Sed quivis legens dictos Articulos videbit & judicabit adeo claros esse, ut non nisi talpa cœcior, sensum illorum percipere debeat.

15. Et cum ipsissima Scripti verba sint citata, non est quod divinet Citatus, quæ præ oculis habeat Actor.

16. Cumque instrumenta exhibuerit Actor, non cancellata, non rasa, neque in ulla sui parte vitiata, cavillos & nugas agit Reus Citatus, dum dicit se nescire, quo exceptiones & defensiones suas debeat dirigere.

17. Prout & Requisitiones ab ipso factæ non nisi meri sunt cavilli.

18. Fatetur enim in primis, quod hisce acceptatur, Breve Apostolicum SS. Domini Benedicti XIII. de data 21. Februarii 1725.

19. Et consequenter fatetur etiam totum ejus contentum:

20. Et sic fatetur etiam Articulos ex eo desumptos, & cum Libello gravaminum deductos.

21. Quia vero D. Reus Citatus scit in anima sua, sese graviter deliquisse, maximamque injuriam Sanctæ Sedi intulisse;

22. Ideo libenter sese excusare vellet sub hoc prætextu, quod Breve illud Apostolicum non fuisset in Consiliis Regiis visitatum, examinatum, publicatum & executioni mandari permissum:

23. Ast parum feliciter in eo jecit aleam:

24. Ultra enim, quod exoticum sit (ut mitissime loquamur) in hac Patria nullas Bullas, nulla Brevia, nulla alia qualiacumque Rescripta Romana vim aliquam habere posse:

25. Nisi prius in Consiliis Regiis fuerint visitata & examinata, prout requirit D. Reus Citatus:

26. Etiam involvens in generali illa sua assertione omnes Constitutiones, Decreta, Brevia, &c. S. Sedis mere dogmatica, & unice concernentia materiam Fidei & Morum;

27. Ultra, inquam, sciat debitæ Placetationis determinationem debere fieri non per particularem, ut est D. Reus Citatus,

28. Sed per ipsos Superiores, ac in primis per Imperatorem & Regem.

29. Qui contentus sola (ut loquimur) Visa judicavit Breve, de quo quæstio, sufficienter in Belgio placetatum fuisse & esse.

30. Dum 12. Septembris 1725. Responsionem Epistolarem quæstiosam condemnavit in specie, ut injuriosam dicto Brevi, &c.

31. Quodque eapropter Cæsarea sua Majestas voluerit & mandaverit instantissime agi ad onus D. Rei Citati:

32. Idque postquam Cæsarea sua Majestas magnum Volumen ex parte D. Rei Citati oblatum in Consilio Status examinaverat, aut examinari curaverat.

33. Sic ut res ea in parte judicata sit.

34. Quare si his non obstantibus credat D. Reus Citatus, futilem illam & impertinentem exceptionem sibi posse prodesse, relinquitur in suo integro, ut desuper dicat, quæ consilii.

35. Credit enim Actor, quod pro intentione sua sufficiant, tum Decretum de 12. Septembris 1725. tum Mandatum Cæsareæ suæ Majestatis supra reclamata.

36. Unde si his ita stantibus concludere velit in causa D. Reus Citatus, prout jactitat; Actor etiam pro parte sua libentissime concludet.

37. Maxime cum Cæsarea sua Majestas per Mandatum suum, de quo supra, suam in quantum opus impertitus sit auctoritatem.

38. Quod autem D. Reus Citatus Breve illud Apostolicum non legisset, ut asserere non erubescit;

39. Creditur quod de contrario sufficien-

tet

ter sit convictus ex contento famosæ ejus Responsionis Epistolaris, de qua quæstio.

40. Et quilibet æquus Judex illud ipsum clare videbit, dum illam perlegerit:

41. Tanto magis, quod famosa illa Responsio Epistolaris idipsum clarissime contineat;

42. Quodque D. Reus Citatus sese desuper excuset absque eo quod dictum fuerit quod Breve illud Apostolicum legisset.

43. Adeoque quod non petita desuper ejus excusatio sit manifesta accusatio.

44. Interim cum D. Reus Citatus referat se ad contentum famosæ suæ Responsionis Epistolaris in lite exhibitæ, quod hisce acceptatur;

45. Refert se etiam Actor ad contentum illius.

46. Siquidem exinde sequitur, quod nullam probam facere debeat, quod Reus Citatus ibidem egerit de valida & licita Cornelii Steenoven Consecratione,

47. Et ex consequenti de valida & justa prævia Electione.

48. Attento, quod dictus D. Reus Citatus idipsum clarissimis verbis expresserit.

49. Quare si Responsionem illam Epistolarem pluries legerit ac relegerit, prout asserit, non solum verbum, sed verba vidit, quæ de dicta licita & valida Consecratione dicti Cornelii agunt.

50. Et si ipse non viderit prout cavillose dicit, Judex supplebit ejus visum.

51. Interim cum in dicta sua Responsione Epistolari deprædicaverit Consecrationem dicti Cornelii validam & justam per solum Episcopum Babylonensem peractam,

52. Dubitare foret nefas, quin spreverit & contempserit Decretum SS. Domini desuper in contrarium latum:

53. Ac illud etiam nihili fecerit;

54. Maxime, si reflectatur, quod exhortatus sit illum, cui scripsit illo modo pascere eum, qui in ipso est, gregem:

55. Dum enim deprædicaverat Consecrationem Cornelii Steenoven per solum Episcopum Babylonensem esse validam & justam,

56. Ubi tamen antea per Breve Apostolicum, de quo supra, Electio fuerat legitime declarata irrita & nulla, & Consecratio illicita & execranda:

57. Exhortatur D. Reus Citatus, quatenus eo non obstante pergat pascere gregem, qui in illis est.

58. Et sic manifestum evadit, quod non tantum approbaverit & laudaverit dictam execrandam Consecrationem, verum etiam irritam Electionem;

59. Et consequenter Breve Apostolicum SS. Domini Benedicti XIII. spreverit, ac Electores dicti Cornelii contra illud excitaverit ad prosequendum quod attentaverant.

60. Reflectat si placet, D. Reus Citatus ad præmissa, & videbit quod non sit necesse citare verba, quæ Actor prætendit esse injuriosa præfato Brevi Apostolico, quæque scandalosa & perniciosæ consequentiæ:

61. Quodque ipsius negatio desuper facta ipsi non sit futura proficua.

62. Maxime cum corpus delicti sit exhibitum, & a D. Reo Citato agnitum, & consequenter etiam omnes partes & verba illius.

63. Si vero Reus Citatus nescit, prout simulat, quo genere medii, sive quo pede Decreto Consilii Status de 12. Septembris 1725. adversus eum uti velit Actor:

64. Perpendat illud, & satis clare videbit, quod illud latum sit in ipsam Responsionem Epistolarem, de qua agitur; ex eo quod notus tum non esset auctor illius;

65. Et videbit etiam, quod eum in finem prius audiri non debuerit aut potuerit;

66. Et reflectat ulterius quod per magnum suum Volumen in dicto Consilio Decretum illud impugnare voluerit.

67. Quodque eo ad Cæsaream suam Majestatem remisso, & ab illa examinato, per Eandem confirmatum fuerit dictum Decretum,

68. In tantum, ut dicta Cæsarea sua Majestas mandaverit, ut illico ageretur ad onus dicti Rei Citati.

69. Interim Actor impendit Decretum illud & Mandatum Cæsareæ suæ Majestatis desuper subsecutum, prout jacent;

70. Prout impendit & applicat & Breve Apostolicum & Responsionem Epistolarem, necnon ipsius confessionem, de quibus supra, nude & simpliciter prout sunt & jacent.

71. Et

71. Et confidit Actor, quod D. Reus Citatus iis mediantibus sufficienter sit convictus de excessu, de quo accusatus est:

72. Et consequenter, quod etiam condemnari ac puniri debeat juxta leges Patriæ & sacros Canones Ecclesiæ:

73. Idque sine nova discussione Responsionis Epistolaris famosæ aut contentorum in ea.

74. Mirum nihilominus est, quod Reus Citatus nunc dicat, hoc Tribunal Rectorale solum esse Judicem competentem suum;

75. Quandoquidem in dicto suo magno Volumine in Consilio Status oblato & a sua Cæsarea Majestate examinato reclamaverit supremum Consilium Brabantiæ solum suum Judicem competentem.

76. Ubi tamen propria scientia & conscientia teste contrarium noverat, prout ipsemet fatetur Magnificum Dominum suum esse Judicem competentem; a quo proinde Actor justam & æquam expectabit sententiam ad onus Rei Citati.

77. Tanto magis, quod Actor bene velit declarare se non directe agere virtute Mandati Cæsareæ suæ Majestatis, sed virtute Mandati Magnifici Domini in lite exhibiti.

Quare his aliisque jungendis, &c.

Reiiciendo ulterius contentum dictæ schedulæ, quatenus hic in particulari non foret solutum, per meram frivolitatem, impertinentiam & denegationem, quatenus contra vel facti præjudicialis;

Persistit, ut alias & ante cum expensis.

Implorando, &c.

D. Goes.

EX ACTIS ROTULÆ

11. 14. 18. & 21. *Martii* 1727.

Die 11. Martii 1727. Ex parte Citati repræsentatus Libellus Recusatorius in personam Judicis, Clariss. D. V. Buggenhout, tunc Rectoris Magnifici; quod in consortio quorumdam Academicorum dixisset, *Non amplius inquirendum, utrum Clarissimus D. van-Espen foret reus, necne; sed simpliciter investigandum, qualem pœnam foret meritus, cum esset jam modo judicatus*. Hoc ipsum se dixisse ingenue fassus est, ac scripto declaravit idem Rector Magnificus, suspectationem libenter admisit; & viso Officii Fiscalis in hanc Recusationem consensu, Causam hanc a se abdicavit, & ad Clarissimum D. vice-Rectorem dimisit. Eodem autem scripto declaravit dictus Clarissimus Buggenhout, se ista dixisse, quod lætus existimaret *sese* hujus litis *non futurum Judicem*, cum & *finis* sui Rectoratus *instaret*, & se denuo in Rectorem eligendum minime crederet.

RESPONSIO ULTERIOR (*)

Pro Clarissimo D. ZEGERO BERNARDO VAN-ESPEN *J. U. D. & SS. Canonum Professore in hac Universitate Lovaniensi, Citato.*

Contra Consultissimum D. THEODORUM LEONARDUM STREITHAGEN *ejusdem Universitatis Promotorem, nomine Officii Actorem.*

CItatus visa schedula Replicæ pro parte Actoris exhibita, dicit ex adverso sequentia, sub & mediantibus omnibus, &c.

1. In primis quod 6. primis Articulis suæ schedulæ *Responsionis Provisionalis* Citatus recte Actorem admonuerit de Officio Actoris publici, & videtur Actor non diffentire.

2. Ideoque transeundo primos 7. Articulos *Replicæ* tanquam impertinentes, & negando 8. 9. & 10.

3. Ad 11. 12. & 13. (ubi referuntur verba Citati, Articulis 7. 8. 9. & 10. suæ *Provisionalis Responsionis*) optasset Citatus, ut Actor melius profecisset ex prædictis monitis circa Officium suum, clare & aperte se explicando circa Requisitiones a Citato sparsim factas, quarum fundamentum in præfatis 6. primis Articulis positum erat.

4. Quapropter ea, ad quæ non respondit, ut per Requisitiones Citati exigebatur, habebuntur ut agnita & confessa, in quantum pro Citato ejusque intentione faciunt.

5. Prout interim acceptantur tanquam talia.

6. Quod prætendit Articulis 14. & 15. se ipsissima verba citasse, & inde adeo claros esse Articulos, ut non nisi talpa cæcior illos non perspiciat;

7. Certe hoc a veritate alienum esse videbit quisquis in hoc examine propriis utetur oculis nullo fascino delusis.

8. Sic v. g. Actor Articulo 11. sui *Libelli gravaminum* Citatum gravare præsumpsit, quasi Electionem Cornelii Steenoven deprædicaverit ut validam & justam;

9. Et tamen jam nulla talia verba in Epistola Citati designare potuit, de quo infra.

10. Deinde verba præfatæ Epistolæ extraxit & interpolavit, uti voluit, ut vere verba ejusdem non sint; & id quilibet non præventus facile percipiet.

11. Denique quod Articulo 16. dicat, se exhibuisse instrumenta non cancellata, non rasa, neque in ulla sui parte vitiata, videtur velle prætendere omnia instrumenta a se exhibita esse Originalia seu Legalia;

12. Cum de solis Originalibus & Legalibus talia dici soleant.

13. Hoc equidem inaniter de Brevi, de quo hic quæstio, utpote instrumento alicujus folii impressi, quale Actor hic exhibuit, asseritur.

14. Unde vanissima est exultatio & acceptatio Actoris, quasi Citatus fateretur Breve SS. D. Benedicti XIII. de data 21. Februarii 1725.

15. Nullo modo Citatus fassus fuit Breve præfatum, imo contrarium plane egit;

16. Dum Articulo 34. suæ *Provisionalis Responsionis* dixit, quod instrumentum hoc ab Actore reclamatum Articulo 9. *Libelli gravaminum*, relinquat illi fidei, quam de jure meretur:

17. Quod non est illud admittere, sed potius rejicere, saltem quantum ad præsentem causam; cum de jure nullam fidem in judicio faciat.

18. Hoc primum sit specimen sinceritatis & bonæ fidei Actoris.

(*) Exhibita 8. Aprilis 1727.

19. Et pro eo, quod Articulo 21. perperam dicat Actor, quod Citatus in anima sua sciat se graviter deliquisse, maximamque injuriam S. Sedi intulisse;

20. Rectius dici potest, quod Actor conscius sit innocentiæ Citati, ideoque ad tales artes recurrere debeat, ut colorem aliquem obducat huic suæ Actioni.

21. Nunc veniendo ad Articulum 22. aliosque sequentes usque ad 37. inclusive, ubi de Placito & Admissione Principis agitur.

22. In primis acceptatur, quod Actor nullam Actam ejusmodi Placetationis seu Admissionis producere potuerit.

23. Quod autem prætendat, exoticum esse in hac Patria, nullas Bullas, nulla Brevia, nulla alia qualiacumque Rescripta Romana, aut publicari, aut executionem vel vim aliquam habere posse, nisi prius in Consiliis Regiis fuerint visitata & examinata, prout Citatus generaliter asseruerat Articulo 14.

24. Certe Actor ignorare se ostendit, vel parum curare Edicta Principum nostrorum, & jura Ecclesiarum Belgii pretiosissima.

25. Res item gestas & contentiones gravissimas, quibus iidem Principes, ipsorumque Ministri, jus illud Placiti adversus machinationes Curiæ Romanæ identidem instauratas, sustinere non dubitarunt.

26. In quo studio, ut Actor sciat, Eos nondum refrixisse, hisce jungitur Exemplar Epistolæ circularis Marchionis De Prié ad omnes Belgii Cæsarei Episcopos data 25. Septembris 1724.

27. Ubi & videbit, non excipi a generali illa lege Bullas mere dogmaticas.

28. Nec difficile foret ostendere, Admissionem Principis, quæ *Visa* vocatur, nihil differre a *Placito*, nisi quoad nomen & formam qua expeditur: sed de eo jam non est quæstio.

29. Et dicta hæc sint salva impertinentia.

30. Nam Breve prætensum, de quo agitur, nihil minus est quam mere dogmaticum.

31. Utpote non continens nisi judicium, vel sententiam super casu aliquo particulari.

32. Adversus quam pars læsa excipit tanquam illegitimam, & per sub-& obreptionem obtentam; se ut oportuerat, non audita.

33. Cum itaque Breve illud, non sit pure dogmaticum, vel ex ipsis Actoris principiis sequitur, quod hic non potuerit publicari, nullamque vim & executionem habere, nisi præcesserit Regium Placitum & Admissio Principis.

34. De quo proinde docere debuisset Actor, saltem ad Requisitionem Citati.

35. Verum cum id non possit, recurrit ad Decretum aliquod Consilii Status de data 12. Septembris 1725. (a)

36. Sed quamvis merito negetur, id esse Placitum aut *Visa*,

37. Nescitur tamen, quo jure prætendat, Decretum illud retrotrahere, ut operari possit contra factum, quod contigit 4. Junii 1725. & sic 3. mensibus ante.

38. Quod etiam tempore istius Decreti nullum *Placitum* aut *Visa* extaret, vel ex eo patet, quod in dicto Decreto nullum tale reclametur.

39. Ex quibus apparebit, quam frivolum sit, quod Actor Articulo 33. prætendat, in hac parte jam esse judicatum.

40. Alterum, quod Citatus Articulis 17. 18. 23. 24. suæ *Provisionalis Responsionis* requisivit, est ut ante omnia doceat de legitima promulgatione dicti Brevis facta hic in Patria locis solitis & more consueto.

41. Verum de eo altum silet Actor, ita ut censeri debeat defectus præfatus legitimæ publicationis uti in judicio agnitus; juxta sustentum Citati Articulo 24. suæ præfatæ *Provisionalis Responsionis*, & proinde tanquam talis acceptatur.

42. In quantum ex eo sequitur, in primis, quod hic non sit Lex aliqua: quia Lex demum instituitur dum promulgatur.

43. Deinde defectus legitimæ Promulgationis etiam hoc operatur, ut licitum sit illud ignorare, sive in toto, sive in parte, tali

(a) Vide hoc Decretum supra, N. II. hujus V. Partis Supplementi, ad calcem Scripti cui titulus. *Réponse d'un Jurisconsulte &c.*

tali ignorantia, quæ excuset.

44. Proinde dum Citatus ad Articulum I. *Libelli Gravaminum* dixit, se Breve illud non legisse, justissimam causam ignorantiæ allegavit.

45. Nec est, quod de eo erubescere debeat, uti Ei improperat Actor Articulo 38.

46. Maxime cum prætensum Breve illud non haberet eo tempore ullam speciem Legalitatis vel Publicationis; uti videre est ex Exemplari Lovanii tunc impresso & vendito, quod hic consignatur (*).

47. Quid quod & ipse Doctor Damen in suo Libello (de quo in *Responsione Provisionali* Articulo 30.) doceat num. 93. quod Pontifex per præfatum Breve non definiat aliquid *ex Cathedra*, universalem Ecclesiam docendo, ipsamque ut aliquid a se definitum credat obligando; sed Litteras suas in forma Brevis solum dirigat ad Catholicos in fœderato Belgio commorantes, quibus specialiter (quod notandum) graviterque injungit & vetat, &c.

48. Actoris proinde partes erant, scientiam Citati etiam quoad omnes partes Brevis, (de quo quæstio) ad sufficientiam juris probare: Quia de jure *præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur* Cap. 47. de Reg. Jur. in VI.

49. Ad Articulum præfatum, uti & 39. 40. & 41. ubi Actor prætendit, quod Citatus convincatur legisse ex contento præfatæ suæ Epistolæ, de qua hic quæstio.

50. In Epistola Citati unico tantum loco, ejusdem Brevis fit mentio, eaque honorabilis, cum ibidem pro confirmatione suæ opinionis a Citato impendatur.

51. Unde vero Citatus habuerit notitiam sufficientem proposito suo, independenter a lectione Brevis præfati, & a notitia reliqui contenti ejus, dictum est articulis 29. usque ad 33. *Provisionalis Responsionis*.

52. Contra quæ Actor non habuit quod reponeret: Quod acceptatur.

53. Ut proinde plane frivola sint contenta dictorum Articulorum a 38. usque ad 43.

54. Hæc tamen dicta sint sine præjudicio eorum, quæ hic ante ab Articulo 13. usque ad 17. deducta sunt de illegalitate instrumenti ipsius Brevis ab Actore producti, & exigua imo nulla fide, quam meretur.

55. Quod vero Articulis 44. & 45. Actor se referat ad Epistolam Citati, similiter acceptatur.

56. Verum cum actor Articulo 11. *Libelli Gravaminum* accusasset Citatum, quasi Electionem Cornelii Steenoven deprædicasset ut validam & justam.

57. Quæstio erat, ut Actor designaret in eadem Epistola locum & verba, quibus de prædicta Electione ageretur, juxta Requisitionem a Citato factam Articulo 39. suæ *Provisionalis Responsionis*.

59. Verum cum id non possit, & ne verbum quidem de Electione Cornelii Steenoven sit reperire, rectius honori suo consuluisset Actor excusando oscitantiam.

59. Quam vano multiloquio fucum velle facere, & sic malæ fidei ingerere opinionem.

60. Quid enim aliud agit Articulis sequentibus, ubi longe & late excurrit, ut ostendat quod Citatus egerit de Consecratione Cornelii Steenoven, de quo Actor non requirebatur.

61. Sed tantum super eo urgebatur, ut designaret locum, ubi de Electione illa ageretur.

62. Ceterum negatur contentum Articulorum, a 46. usque ad 62. inclusive: cum fere nihil aliud sint, quam malitiosæ contorsiones textus Epistolæ Citati.

63. Nisi quod acceptetur Articulus 60, in quantum Actor non potuit designare verba, quæ prætendit esse injuriosa Brevi, de quo quæstio; item quæ scandalosa & quæ perniciosæ consequentiæ, prout ab actore requisitum fuerat articulo 43. suæ *Provisionalis Responsionis*.

64. Transeundo ad Articulum 63. & sequentes de Decreto Consilii Status de dat. 12. Septembris 1725. exhibito per Actorem *Libello* suo *gravaminum* sub Num. 3.

65. Observari in primis potest, quod Actor adhuc Citatum relinquat in incerto, nolendo se aperte & categorice declarare, quo

(*) Vide supra, ad calcem Libelli gravaminum.

quo genere modi, aut quo pede intendat uti præfato Decreto; an ut Arresto sive re judicata, aut alio, & quo: uti Articulis 55. 56. 57. *Provisionalis suæ Responsionis* requisierat Citatus.

66. Articulo 65. dicit Actor de magno Volumine: ait nullum magnum Volumen Citatus exhibuit in Consilio Status.

67. Sed ad Sacratissimam Personam suæ Majestatis recurrit.

68. Quæ etiam dignata est Recursum Citati admittere, volensque *Querelas* & *Defensiones ejus ulteriores* benigne & clementer audire, mandavit eas tradi Serenissimæ Archiduci.

69. In eum finem composuit Citatus Volumen aliquod continens dictas *Defensiones* suas *ulteriores*.

70. Quod Volumen Actor innuit se vidisse, nescitur qua arte aut medio.

71. Ibidem interim indubie viderit, quam merito Citatus sit conquestus, quod prævie ante Decretum, de quo hic agitur, impetrare non potuerit ut audiretur, licet sæpius & instantissime illud petiisset.

72. Imo ut saltem admitteretur ad recognoscendum Exemplar exhibitum, an genuinum foret & non suppositirium.

73. Sustinuit autem Citatus, quod in legitimo judicio, & coram Judice suo competente debuisset audiri.

74. Hinc etiam corruunt Articuli 64. & 65.

75. Porro negatur, quod sacra Cæsarea & Catholica sua Majestas confirmaverit dictum Decretum Consilii Status, prout asseritur Articulo 67.

76. Quin ex hactenus gestis potius deducitur, quod eadem sua Majestas Decretum illud non probaverit.

77. Sed potius probaverit querelam Citati, dum interpellari voluit Citatum, ut Exemplar laceratum examinaret, & declararet an pro suo agnosceret; ita præbens illi omnem facultatem & opportunitatem necessariam.

78. Quo facto satis declarat eadem sua Majestas, hæc omnia ante facta oportuisse.

79. Quod autem sua Majestas mandasset illico agi ad onus Citati, uti dicit Actor Articulo 68. certe si hoc verum sit, nullo modo evincit, quod Cæsarea & Catholica sua Majestas Decretum Consilii Status confirmasset.

80. Quin potius effectus dici debet querelæ Citati, qui semper quæsivit & quærit in legitimo judicio audiri, ut innocentia ejus contra adversariorum ejus calumnias palam omnibus pateat.

81. Et in hoc Ei etiam annuit Clementissimus Imperator.

82. Quid vero eadem sua Majestas finaliter ordinatura sit, postquam ex eventu Litis innocentia Citati apparuerit, quod brevi futurum confidit Citatus, eventus docebit.

83. Interim acceptatur, quod Actor dictis Articulis 64. & 65. admittat, quod Citatus non fuerit auditus coram dicto Consilio ante præfatum Decretum.

84. Siquidem ex eo patet, quod non fuerit latum in judicio contradictorio.

85. Et consequenter, quod judicium coram hoc Tribunali adhuc integrum manere debeat eodem modo ac si alibi nihil actum fuisset.

86. In confesso autem hic est, quod Citatus hactenus nullas Defensiones habuerit.

87. Quas quidem salvas sibi fore non dubitavit, dum Epistolam suam agnovit per Responsum ab Actore reclamatum Articulo 22. *Libelli gravaminum*.

88. Injuriam proinde facit Actor Religiosissimo Imperatori, & ejus Ministris, dum eis talem mentem affingere prætendit, quæ directe repugnaret primo Articulo Læti Introitus, ad cujus observantiam sua Majestas juramento se adstringere dignata est.

89. Hisce mediantibus credit Citatus, omnia sufficienter soluta usque ad Articulum 73.

90. Ad Articulos 74. usque ad 76. plane a veritate alienum est, quod Citatus sive in magno Volumine, sive quocumque alio Scripto unquam dixisset, supremum Consilium Brabantiæ esse solum suum Judicem competentem:

91. Unde calumniosus est Articulus 75.

92. Verum quid his Articulis intendit Actor? Prætenditne, quod hoc Tribunal possit aut debeat esse merus Executor Decretorum aut Arrestorum alicujus alterius, in

in Causis criminalibus Suppositorum hujus Universitatis; quod Citatus negaverat Articulo 52. suæ *Provisionalis Responsionis?*

93. Denique acceptatur Articulus 77. & ultimus, quatenus per illum evertit omnia, quæ mox prætendebat.

94. Quandoquidem Actionem suam unice & privative instituerit virtute Mandati Magnifici D. quod jubet servari ordinem juris.

Quare hæc jungendo priori Schedulæ *Provisionalis Responsionis*, aliisque mediantibus, &c.

Et rejiciendo ulterius contentum dictæ Replicæ per frivolitatem, impertinentiam & denegationem, &c.

Persistit Citatus ut ante cum Expensis, aut alias salutariter, &c.

Implorando, &c.

Z. B. van-Espen.

ULTERIOR REPLICA (*)

Pro Consultissimo D. Theodoro Leonardo Streithagen J. U. D. & hujus Universitatis Promotore, nomine officii Actore.

Contra Clarissimum D. Zegerum Bernardum van-Espen J. U. D. & SS. Canonum Professorem, Reum citatum.

ACTOR visa schedula *Responsionis Ulterioris* D. Rei Citati, dicit ex adverso sequentia sub & mediantibus, &c.

1. Quod dicta schedula pro magna parte contineat invectivas, quas evomere præsumpsit Reus Citatus tum adversus Curiam Romanam, tum adversus Actorem, quæ proinde nullam mereri possunt solutionem.

2. Et nullam profecto solutionem meretur, quod idem Reus Citatus dicat, quod optasset ut Actor melius profecisset ex monitis Citati circa officium suum.

3. Injuste quippe monuit dictus Reus Citatus præfatum Actorem.

4. Quandoquidem Actor huc usque functus sit officio suo, prout debuit & potuit;

5. Ac in eo prosequatur prout decet.

6. Unde optaret Actor ut Reus Citatus in posterum abstineret ab invectivis, ac Sanctam Sedem Apostolicam Romanam, summumque Pontificem magis revereretur, ac obtemperaret Bullis & Decretis, amplecteretur quoque salutares Ejus monitiones sincero animo.

7. Quandoquidem non præsumeret illo casu Bullas & Decreta Pontificia describere tanquam machinationes Curiæ Romanæ, prout facere non erubuit.

8. Maxime cum per similia verba & dicta S. Sedi summoque Pontifici non parum injuriosa, causam suam non sit facturus meliorem, nec evasurus pœnas & Censuras, quas incurrit;

9. Sed causam suam per hoc potius aggravat, & consequenter se majori pœna dignum reddit, majorisque pœnæ se reum facit.

10. Et ideo speculatæ ejus excusationes ipsi (ut speratur) prodesse non poterunt.

11. Ac in primis ipsi prodesse non poterit, quod Actor non citasset verba, quibus Reus Citatus Electionem Cornelii Steenovii in Archiepiscopum Ultrajectinum deprædicasset validam & justam.

12. Cum enim Consecrationem dicti Cornelii Steenovii qua talem deprædicaverit; quis non viderit, quod etiam Electionem qua talem deprædicare voluerit.

13. Attento, quod Consecratio sit sequela Electionis.

14. Non

(*) Exhibita 25. Aprilis 1727.

14. Non proderit etiam Reo Citato, quod Actor non designaverit verba Rei Citati, quibus Consecrationem præfati Cornelii Steenovii factam per solum Episcopum, & quidem suspensum, deprædicaverit validam.

15. Quandoquidem id tam clare asseruerit Reus Citatus, ut cuilibet legenti ejus Responsionem Epistolarem de ea dubitare foret nefas; quod ideo judicio D. Judicis submittitur.

16. Nec proderit ipsi quoque, quod prætendat se habuisse ignorantiam Brevis Apostolici, de quo quæstio.

17. Maxime cum ex sua Responsione Epistolari sat superque de contrario sit convictus.

18. Quare acceptando, quod D. Citatus fateatur Articulo 47. Breve Apostolicum non fuisse directum ad has partes; sed Litteras in forma Brevis solum fuisse directas ad Catholicos in confœderato Belgio commorantes, non proderit ipsi quod illud non fuisset Placetatum, prout deductive latius.

19. Non proderit ipsi similiter, quod dicat se non fuisse auditum in Consilio Status; quoniam tum noluit se fateri Auctorem dictæ Responsionis Epistolaris.

20. Et finaliter ipsi non proderit, quod obtinuerit magnum Volumen Cæsareæ suæ Majestati;

21. Attento, quod constet, Cæsaream suam Majestatem, Volumine illo examinato, mandasse agi ad onus dicti Rei Citati.

22. Idque conformiter ad Resolutionem & Decretum de 12. Septembris 1725.

23. Quo Mandato Cæsarea sua Majestas disertis verbis approbavit Decretum illud de 12. Septembris 1725. in Lite exhibitum. Relatio sub humili correctione ad Mandatum seu Epistolam Cæsareæ suæ Majestatis, hic in Copia authentica junctam (*a*).

24. Quanquam mandando præfata sua Cæsarea Majestas agi ad onus Rei Citati, omnis per hoc Placetationis defectus fuisset purgatus, si Placetatio fuisset in hoc casu requisita, quod absolute negatur.

25. Sic ut D. Reus Citatus frustra, perperam, & invito jure in contrarium exhibuerit Mandatum de 25. Septembris 1724. quod hoc in casu procul dubio nihil operari potest ad exonerationem Citati, prout similiter instructive latius.

26. Maxime cum intentio Cæsareæ suæ Majestatis sat sit manifesta quoad hoc punctum.

27. Et quam proinde intentionem manifestam Cæsareæ suæ Majestatis egredi fas non erit Judici.

28. Benignissimum enim licet fateamur Imperatorem Nostrum Augustissimum, simul tamen est & justissimus, ut notorium esse dignoscitur.

Quare his aliisque jungendis &c.

Rejiciendo ulterius contentum dictæ schedulæ, quatenus hic in particulari non solutum, per meram frivolitatem, impertinentiam & expressam denegationem, quatenus contra vel facti præjudicialis, acceptando ea quæ pro,

Concludendo persistit Actor ut alias & ante cum Expensis.

Implorando, &c.

D. Goes.

EX ACTIS ROTULÆ

In quibus potissimum agitur de Nominatione Assessorum in hac Causa.

9. Maii 1727. Procurator Citati, visa *Ulteriori Replica* Actoris, illius contentum *rejicit per frivolitatem*, & *persistit simpliciter salvo Motivo juris*.

20. Maii 1727. Procurator Citati, *antequam reproducat suum Motivum juris, petit D. Actori injungi, ut etiam concludat in causa seu persistat*.

27. Maii 1727. Procurator Actoris ex speciali informatione sui Principalis dicit: *Quandoquidem Amplissimus D. Vice-Rector* non

(*a*) Hanc Epistolam vide supra, Litt. D.

non sit Jurisconsultus , adeoque notorie in hac causa assumere debeat pro decisione Causæ Assessores; hinc rogat eamdem Amplitudinem Vestram, quatenus suos assumendos Assessores nominare dignetur , ut eo facto Actor facere possit prout consilii.

30. Maii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum : *Denominabimus satis tempestive Assessorem vel Assessores antequam procedatur ad lecturam , & interea exhibeant partes , quidquid exhibendum habent.*

6. Junii 1727. Procurator Citati *dicit Motivum juris pro parte D. Citati traditum esse ad manus Clarissimi D. Judicis, petens . . . D. Actori injungi, ut similiter satisfaciat Decreto novissimo sub pœna seclusionis.*

10. Junii 1727. Procurator Citati *petit & persistit in termino suo novissimo, & Acta in eum finem deferri.*

13. Junii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum : *Iterato injungimus parti, ut anteriori nostro Decreto satisfaciat sub pœna juris.*

25. Junii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum : *Assignamus & denominamus Assessores nostros in hac causa Consultissimos DD. Cools , Tourneville & De Swert Advocatos in supremo Consilio Brabantiæ Bruxellis.*

In hosce tres Assessores ad hanc causam Nominatos utrinque consentiunt Partes.

Eodem die D. Vice-Rector tulit Decretum : *Suppleantur & deferantur Acta.*

28. Junii 1727. Procurator Actoris reproducit ad Rotulam Libellum D. Vice-Rectori oblatum, tenoris ut sequitur : Exponit ea qua par est reverentia Consultissimus Theodorus Leonardus Streithagen Promotor hujus Universitatis, quod in causa, quam in dicta sua qualitate sustinere cogitur contra Clarissimum D. van-Espen, eo usque processum sit , ut Magnificentia vestra 25. hujus dignata fuerit nominare tres Assessores ad legendum præfatam causam : verum cum causa illa maximæ sit consequentiæ, atque adeo e re sit tum Reipublicæ , tum etiam Cæsareæ suæ Majestatis , ut plures assumantur Assessores , qui dictam litem legant , ac argumentis & authoritatibus advisamentum suum in ea dandum confirment : hinc recurrit ad Magnificentiam vestram humillime rogans, quatenus plures Assessores nominare, dictumque numerum ut minus augere dignetur usque ad quinque , ut ita ad minus sint numero quinque. Quod faciendo, &c. (Erat signatum) T. L. Streithagen . (Copia Apostillæ) Remittentes hunc libellum ad Rotulam , annuentesque petitioni D. Actoris, denominamus insuper Assessores Consult. DD. *Descartes* & *Vander-Vorst* Advocatos in supremo Consilio Brabantiæ, tribus aliis nominatis jungendos . Hac 28. Junii 1727.(Infra habebatur) De Mandato M. D. Vice Rectoris (Signatum) Bart. Hendrikx .

Procurator Citati ad hoc dicit , *quod numerus priorum Assessorum a Clarissimo D. Judice ex officio Nominatorum , esset plusquam sufficiens , ac proinde , ut novi isti Nominati ad Requisitionem partis , non veniant nisi expensis partis , referendo se ad Judicium Clarissimi D. Judicis in decisione causæ.*

30. Junii 1727. hora septima matutina Procurator Actoris exhibet Motivum juris, & protestatur *ne ad sententiam procedatur, nisi habito quinque Assessorum advisamento super omnibus.*

Eod. post meridiem circa quintam, Procurator Citati ducit ad Rotulam Libellum supplicem D. Vice-Rectori oblatum hujus tenoris.

Clarissimo D. Vice-Rectori . Exponit qua par est reverentia, Zegerus Bernardus van-Espen J. U. Doctor & SS. Canonum Professor in hac Universitate , quod in causa , quam sustinere cogitur coram hoc Tribunali tanquam Citatus contra D. Promotorem Actorem nomine Officii , inaudierit processum esse ad lecturam, quodque in ea tantum intervenerint duo ex Assessoribus nominatis , quamvis tres in hanc civitatem advenerint . Quare recurrit ad Clarif. D. V. humiliter supplicans, quatenus memoratum tertium Assessorem in urbe præsentem & modo per partem agnitum, ut constat per libellum Apostillatum 28. Junii currentis, ad eandem lecturam advocare dignetur , alias , in quantum opus , protestatur de nullitate & denegata justitia. Quod faciendo, &c. (*Erat signatum*) Z. B. van-Espen. (*Copia Apostillæ.*) Ponatur

natur in Rotula & contradicat Actor, si quid contradicendum habet infra horam. Lovanii 30. Junii 1727. medio tertiæ pomeridianæ (*Erat signatum*) H. Rega Vice-Rector.

Procurator Actoris *ex speciali informatione sui Consilii dicit se inaudivisse suam Celsitudinem Gubernatricem Patriæ per Litteras ad* Claris. D. Vice-Rectorem *directas significasse ob rationes sibi notas, ne dictus Consultis. D. De Swert, qua Assessor admitteretur; unde relinquit maturiori judicio* D. Vice-Rectoris.

Eod. D. Vice-Rector tulit Decretum: *Advocetur in crastinum Consultis. D. Assessor de Swert ut intersit lecturæ hujus causæ.*

7. Julii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum : *Cum Consultissimi DD. Vander Vorst & de Swert petierint excusari, aliosque Assessores in eorumdem locum assumi : Assumimus & denominamus Consultissimos DD. Fierlants Fratrem scilicet Audientiarii Militaris, & de Foox Assessores in hac causa, tribus aliis, nempe Dominis Descartes, Cools & Tourneville ante denominatis adjungendos.*

31. Julii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum : *Inferant Partes hinc inde suas sportulas sub pœna executionis in defectum.*

MOTIVUM JURIS

Pro Clarissimo Domino Z. B. Van-Espen *J. U. Doctore & SS. Canonum Professore, tanquam Citato.*

Contra Consultissimum Dominum Streithagen *hujus Universitatis Promotorem, nomine Officii Actorem.*

CLARISSIME DOMINE VICE-RECTOR,

Si res, quæ hic in judicium venit, ex malevolorum quorumdam suggestionibus, vel ex quorumcumque hominum præoccupatis opinionibus, aut voluntate decernenda esset, cedere maluisset Citatus potentiæ, quam in extrema senectute sua tam insuetatum periculum tantumque dispendium subire.

Verum cum constet ab Augustissimi Monarchæ nostri æquitate & Religione impetratum esse, quod per supplicationes suas unice petiverat Citatus, ut nempe Causa hæc in Foro competente, & juris ordine servato, secundum Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones, per solam veritatis justitiæque trutinam, mente libera atque integra diligenter examinari ac dijudicari deberet. Hinc Citatus in spem maximam erigitur, fore ut diu multumque vexata sua innocentia & fama in extrema hujus vitæ periodo optatum solamen præsidiumque in gravissimi Judicis æquitate, & sapientissimorum Virorum delectis Consiliis feliciter inveniant.

Id, inquam, omnino sperandum a talibus Viris, qui sciunt in hoc Tribunali exerceri judicium non hominis, ast Dei, qui personas non accipit, sed vel ipsos Deos sive Judices in medio eorum dijudicat.

Hunc in finem exhibere visum est præsentem deductionem, eo ordine qui sequitur.

ORDO CAPITUM.

PROŒMIUM.

Exponitur Causæ occasio, necnon vera ejus Idea, seu Quæstionis Status.

CAPUT I.

De prætenso Brevi dato 21. Februarii 1725. sub nomine SS. Domini Benedicti XIII. quod proponitur novem primis Articulis *Libelli gravaminum.*

CA-

CAPUT II.

Expenduntur Articuli, quos Actor procedit ex Epistola Citati, & ostenditur eorum contorsio & malignitas.

CAPUT III.

Quod ne vel minimus hic argui possit contemptus alicujus Brevis vel Auctoritatis S. Sedis, ut prætenditur Articulis 16. & 17.

CAPUT IV.

Nihil in præsenti Casu a Citato dictum aut actum esse, quod vergat in contemptum aut imminutionem jurium S. Sedis aut Disciplinæ Ecclesiasticæ, adversus Articulos 18. 19. 20. & 21. *Libelli gravaminum*.

CAPUT V.

Ostenditur Decretum Consilii Status, annexum *Libello gravaminum* sub num. 3. nullam vim habere posse in hac Causa.

CAPUT VI.

De Conclusione Actoris.

CAPUT VII.

Irregularitas hujus processus, & nullitas quæ ex eo oritur; atque ea quæ inde sunt consectanea.

RECAPITULATIO.

PROOEMIUM.

Exponitur Causæ occasio, necnon vera ejus Idea seu Quæstionis Status.

§. I.

Introductio Historica ad Casum.

1. Causa Cleri Ultrajectini per totam Europam notissima est.

2. Non est hic quæstio de puncto aliquo Fidei, aut de dogmate Theologico; sed unice agitur de juribus Ecclesiasticis, nempe de Statu & juribus Ecclesiæ Ultrajectinæ.

3. Contendunt Ultrajectini, quod, non obstante revolutione & mutatione, quæ circa Statum Politicum ac Dominantem Religionem in Provinciis Fœderatis evenit, Ecclesia Ultrajectina Romano-Catholica ad hunc usque diem subtiterit & subsistat.

4. Contendunt, quod delecti illi Viri, qui Collegium constituunt, quod ibidem Vicariatus appellabatur, sint verum Capitulum Cathedrale, quibus Sede vacante competat quoque Regimen & administratio Diœcesis, etiam juxta Tridentinum *Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Reform.*

5. Contendunt insuper, quod sibi, cum de Jure communi non interrupto, tum vigore Concordatorum Germaniæ, competat Electio Canonica Episcopi Ultrajectini, quam teneatur Pontifex admittere & confirmare, si non habeat rationem Canonicam recusandi Confirmationem.

6. E contrario Ministri Curiæ Romanæ sustinent, Ecclesiam Ultrajectinam sic collapsam esse, ut ipsius Cathedra, Capitulumque perierint; neque ibi superesse nisi nudam Missionem, cui jam nullum simile jus competat.

7. In hac quæstione & controversia, quæ non solum circa jus, sed etiam circa facta versatur, volebant Ultrajectini deferre legitimæ cognitioni habendæ per Arbitros

bitros vel per Judices indifferentes in Patria juxta notorium & commune Belgarum omnium jus & sua quædam particularia Privilegia.

8. Verum id hactenus nulla ratione impetrari potuit.

9. Sustinentibus interim Ultrajectinis nudam oppositionem Curiæ Romanæ omne legitimum Judicium aspernantis nihil officere posse suæ causæ, juxta notissima Juris axiomata: *Quod nemo via facti, sed ex Legibus & judicio tractari debeat: Et quilibet maneat in sua possessione, donec per sententiam Judicum competentium evincatur.*

10. Ne tamen leviter & temere in re tanti momenti procedere viderentur, duxerunt consulendos esse celebriorum Universitatum Jurisperitos & Theologos.

11. Hinc in favorem subsistentiæ & jurium Capituli Metropolitani Ultrajectini prodiit *Resolutio* Citati & quatuor aliorum Utriusque Doctorum in Universitate Lovaniensi data 25. Maii 1717. cujus hic jungitur Exemplar.

12. Quæ Resolutio pluries impressa, nullam contradictionem per annos sex vel septem passa est, sed e contrario roborata fuit suffragiis multorum Jurisconsultorum Parisiensium, & plusquam centum Theologiæ Doctorum.

13. Unde & plures Episcopi jura Ecclesiæ Ultrajectinæ pro indubitatis agnoscentes, facile ordinarunt Ecclesiasticos, qui ab ejusdem Ecclesiæ Capitulo cum Dimissoriis Litteris ad eos dirigebantur.

14. Tandemque prædictum Collegium Vicariatus, sive Capitulum Ultrajectinum, cui Sede vacante incumbebat cura Ecclesiæ, quæ jam ab annis duodecim Episcopo viduata lugebat, videns Romanam Curiam nulla ratione flecti posse, seque sine ministerio Episcopali amplius non posse subsistere, processerunt ad Electionem Episcopi, cum de Jure communi, tum vigore dictorum Concordatorum Germaniæ, Electionemque suam factam de persona Cornelii Steenoven, transmiserunt Romam, petentes humiliter ejus Confirmationem, cum dispensatione, quæ facile concedi solet, peragendi Ordinationem per unum solum Episcopum.

15. Post reiteratas sæpius Supplicationes, multosque alios labores in hunc finem inutiliter adhibitos; post invitatos de more Episcopos vicinos, curarunt tandem, iis non comparentibus, Electum suum consecrari per Episcopum Babylonensem in Hollandia commorantem. Quod factum est 15. Octobris 1724. sine assistentia quidem aliorum duorum Episcoporum, ita exigente, ut ipsi contendunt, necessitate: sed assistentibus duabus Personis in dignitate Ecclesiastica constitutis; quemadmodum fieri solet, cum dispensatio super assistentia concessa est.

16. Hæc præmittenda fuerunt, non tanquam talia, quæ ad præsentem Causam sint necessaria; sed ut habeatur notitia aliqua occasionis aliarumque circumstantiarum, sine quibus formari nequit justa idea Casus, super quo præsens Quæstio vertitur.

§. II.

Status Quæstionis.

17. Circa memoratam Consecrationem Steenovii nulla per plures menses mota fuit controversia, donec tandem mense Aprili subsequente, sub nomine Doctoris Damen, editus est libellus sub hoc titulo: *Dissertatio de numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito.* Quo prætendit Ordinationem Episcopalem factam sine assistentia duorum Episcoporum, seclusa dispensatione Pontificis Romani, esse nullam & invalidam, & saltem sub conditione, esse reiterandam.

18. Hujus Libelli occasione Vir Amplissimus e Clero Ultrajectino antiqua amicitia confisus, a Citato petiit per Epistolam, quæ foret ejus sententia *de Ordinationibus Episcoporum per unum Episcopum celebratis, præcipue in casibus necessitatis: & an ullam habeat veri speciem quod juxta Jus divinum tres Episcopi ad tales Ordinationes ita requirantur, ut aliter habendæ sint irritæ & invalidæ, nisi factæ sint cum dispensatione Romani Pontificis.* Hoc a Citato petitum fuisse patet ex ipso exordio Epistolæ responsoriæ Citati.

19. Nec huic requisitioni deesse potuit Citatus, sed resolvens juxta professionem suam, Scriptum Doctoris Damen refutavit, pluribusque ostendit nullum prorsus esse

esse dubium, quin consecratio talis sit valida & vere Characterem imprimat.

20. Pervenit hæc Resolutio scripta per modum privatæ Epistolæ, ad manus alicujus, qui eam prælo adornavit, non simpliciter sicut a Citato scripta erat, sed distinxit eam numeris, præposuit Præfationem, quæ fere tota in laudes excurrit Citati, præfixitque titulum, Z. B. VAN-ESPEN *J. U. Doctoris* . . . . RESPONSIO EPISTOLARIS, *occasione*, &c. atque hoc modo totum typis edidit.

21. Quæ omnia ad Citatum non pertinere vel ipse consentit Actor conformiter ad Instrumentum, quod exhibuit cum *Libello gravaminum* sub N°. 4. ubi Citatus respondet ad Interpellationem, qua ipsum idem Actor de Mandato Serenissimæ Archiducis interrogaverat, an Citatus esset Auctor *Responsionis Epistolaris*, cujus exemplar dilaceratum 12. Septembris 1725. servabatur adhuc in Secretaria Consilii Status?

22. Atque ita tota causa redigitur ad solum casum alicujus Resolutionis vel Epistolæ, quæ ut erat manuscripta, casu aliquo incidisset in manus Actoris.

23. Totaque quæstio, quantum concernere Citatum potest, in eo versatur, An hoc nomine, scilicet manuscriptæ hujus Resolutionis, Actio aliqua Criminalis adversus Citatum institui valeat?

24. Hæc una clavis est, qua in rectam hujus causæ cognitionem intretur; hæc fax, quæ justæ ejus decisioni præluceat: rogaturque proinde humiliter Clarissim. Dominus Judex, ut Statum illum Quæstionis dignetur semper in mente fixum retinere, atque ad eum referre quidquid dicitur pro parte Actoris. Ne confundantur hic duæ personæ, nec duo prætensa delicta, nec duæ diversæ Actiones quæ inde possent resultare.

25. Nimirum distinguenda est persona Citati quatenus Auctoris Resolutionis, a persona quæ curavit eam typis imprimi & evulgari.

26. Distinguendum item factum Citati scribentis, a facto illius qui præfixit Titulum *Responsionis Epistolaris*, præposuit Præfationem, de qua supra, distinxit eam numeris, atque hoc modo prælo dedit & luci publicæ: cujus factum ad Citatum non pertinet.

27. Distinguenda denique est Actio, quæ ex causa prædicta oriri potest adversus Citatum, quæ certe nulla est, ab Actione quæ concerneret eum, qui illam modo prædicto typis adornatam edi curavit: circa quam Actor aget prout consilii.

28. Hæc est expositio Causæ, & genuina idea Quæstionis, quæ hic vertitur; quæ sola omnes pene nebulas & primorum Instigatorum molitiones nativa sua luce dissolvat; tantosque motus ac strepitus super prætenso Brevi Apostolico, facili negotio disturbet.

CAPUT PRIMUM.

De prætenso Brevi dato 21. Febr. 1725. sub nomine SS. D. Benedicti XIII. quod proponitur 9. primis Articulis LIBELLI GRAVAMINUM.

§. I.

Breve istud non habet vim Legis, ac ne quidem Ultrajectinos, quos propius concernit, hactenus arctat.

29. Totum fundamentum, quod pro intentione Actoris allegatum est, consistit unice in memorato Brevi de 21. Februarii 1725.

30. Quod fundamentum quam in hac Causa infirmum & inane sit, apparebit ex iis, quæ circa Breve illud per hoc Caput observanda sunt.

31. Istud Breve in primis non habet vim Legis.

32. Nam ad conditiones essentiales Legis pertinet, 1°. ut promulgetur de mandato & voluntate Legislatoris; quia a voluntate Legislatoris pendet tota virtus Legis.

33. Debet 2°. Lex taliter promulgari, ut ad omnium notitiam devenire possit; quia fertur Communitati non singulis personis, nisi in quantum sunt pars Communitatis.

34. Atqui utraque conditio illa essentialis hic deficit, ergo Lex nulla.

35. Deficit prima conditio, quia ne quidem

dem ullo modo constat de voluntate aut mandato aliquo suæ Sanctitatis, vi cujus publicatio Brevis curanda erat.

36. Nullam equidem hujusce modi mandati mentionem facit Breve impressum ab Actore exhibitum.

37. Nec aliunde ullum talis mandati documentum prolatum est.

38. Imo nec apparet quidem cujus jussu idem Breve typis mandatum sit.

39. Deficit quoque conditio essentialis altera, nempe sufficiens Promulgatio.

40. Quia nec per Exemplar Brevis exhibitum, nec aliunde constat de ejus Publicatione vel Romæ, vel alibi facta.

41. Multo minus de tali aliqua Admissione & Publicatione, quæ idonea fuisset ut Legem faceret in Belgio.

42. De hac tamen aut simili ut doceret Actor, serio petitum fuerat; & sic ejus defectus habendus est pro Confesso: juxta sustentum Citati in *Provisionali Responsione* Articulis 23. & 24.

43. Imo vero vel ipsa prætensa attestatio *Vincentii Montalti*, quæ ad calcem dicti Brevis cernitur, de qua postea, evincit, Breve istud ne quidem Romæ (nota bene) publicatum fuisse. Nec enim hac attestatione opus erat, si publicatio ejus peracta fuisset: saltem de ea, si extitisset, mentionem fecisset attestatio.

44. Eo magis quod notorii juris sit nullam Legem adversus quemquam allegari posse, nisi una ad sufficientiam Juris doceatur de debita ejus publicatione, sine qua Lex omnis, licet sit concepta & edita, non minus sit absque ulla vi aut operatione quam corpus mortuum & inanime.

45. Quocirca Henricus Pyringh e Societate, Professor SS. Canonum in Universitate Dilingana, post alios concludit ad titulum de *Constitutionibus* sect. 1. §. IV. *Quod etsi Lex aut Constitutio fuerit lata vel edita solemniter, hoc est, in publico Consilio Regio, vel Senatorum Reipublicæ, vel Concilio Generali seu Oecumenico*: (notentur hæc) *si tamen non fuerit publice communitati promulgata, non obligat etiam præsentes & scientes*.

46. Addit Suaresius ex eadem Societate, Tractatu *de Legibus* lib. 3. Cap. 16. N. 2. *Quod optime explicatur in Legibus editis in generali Concilio: nulla enim potest esse solemnior editio ante promulgationem, & nihilominus non sufficit, nisi sequatur promulgatio*.

47. Cumque ex illa prætensa attestatione *Vincentii Montalti* hoc ad summum habeatur, quod Breve illud foret missum ad Dominum Internuntium & asservaretur in ejus Archivis; nullo modo hinc habetur, quod illud curaverit intimari ac notificari Cornelio Steenovio, aut Presbyteris Ultrajectinis, aliisque ad quos propius spectat Breve istud.

48. Etenim si D. Internuntius hanc intimationem & notificationem seu insinuationem utcunque fieri curasset, seu ad personam, seu ad domum, vel etiam *per Edictum*, ut loquimur; haud dubie de eo *Vincentius* ille *Montaltus* fecisset mentionem; intimatio enim & notificatio usque adeo essentialis est, ut etiamsi *constet de non tuto accessu*, ea peragenda sit per affixionem ad valvas seu loca publica in partibus vicinioribus.

49. Quidquid de hoc sit, Actoris fuisset per authentica Instrumenta probare, talem intimationem legitime factam fuisse; quod tamen ne quidem hic allegavit, vel asserere ausus fuit.

50. Adeo ut nullo modo constet Breve illud vel ipsos Ultrajectinos huc usque arctare seu obligare, ut ex supra deductis manifeste patet.

§. II.

Idem Breve non concernit Citatum, nec potest, tametsi ipsum concerneret, ad onus ipsius allegari.

51. Si Breve, de quo agitur, nullam habeat vim Legis, uti §. superiore probatum est, nescitur qua sinceritate aut fide ex parte Actoris idem Breve propositum sit tanquam fundamentum agendi in Citatum: *Ubi enim non est lex nec prævaricatio*, inquit Apostolus ad *Rom*. C. 4. v. 15.

52. Eoque minus adversus Citatum illud Breve proponi potest, quod ipsum ne quidem respiciat.

53. Quod ex ipsa inscriptione Brevis totoque ejus contextu liquidissime patet.

54. Ja-

54. Jactatur quidem Articulo 7. *Libelli gravaminum*, quasi Pontifex per dictum Breve *graviter injunxerit & vetaverit* OMNIBUS *Christi Fidelibus*, &c. ut nemini dubitatio incideret, quin Citatum inter ceteros directe respiceret.

55. Sed observatum fuit, Articulum illum non sine mala fide & fraudulentia, sic adornatum fuisse; cum Breve non respiciat nisi *Catholicos in fœderato Belgio commorantes*, ad quos solos dirigitur: sicut Actor ipse veritate compulsus agnoscere debuit in *Replica ulteriore* Articulo 18.

56. Illud equidem notandum, quod vel sic Actor prodat adeo sese in animo convictum fuisse, quod Breve necessario deberet respicere Citatum quo posset ad onus ipsius allegari; ut ad egregiam falsificationem profugere debuerit, qua Breve extenderet ad Citatum, illud inscribendo: OMNIBUS *Christi Fidelibus*.

57. Præterea etiamsi Breve illud respexisset Citatum, allegari tamen & urgeri contra ipsum non poterat defectu Placiti.

58. Hinc contra istam allegationem Brevis excepit Citatus super illo defectu Placiti.

59. Cujus necessitatem absolutam Citatus invicte adstruxit in *Responsione Ulteriori*. Articulo 21. & seq.

60. Nec non in Tractatu singulari *de Promulgatione Legum Ecclesiasticarum*, summo Censorum Censoris Regii elogio in lucem dato.

61. Quod & firmat solidissime Supremi Brabantiæ Senatus Consultum de 16. Junii 1708. quo ex Edictis Regiis, ac perpetua praxi idem Senatus adstruit, Bullas, Decreta, aliaque Curiæ Romanæ Rescripta Regio Placito munienda esse: *Avant qu'on les puisse publier, mettre en execution, ou en faire aucun usage*. Extat in Tractatu altero Citati de *Recursu ad Principem*, inter Monumenta sub *litt. S.*

62. Quod usque adeo observari voluit sua Majestas ut, per Decretum de 6. Aprilis 1591. latum in Consilio suo Sanctiori injunxerit Decano & Capitulo Tornacensi, antequam super Principali jus diceret, *de tracer tout ce qu'ils ont allegué au sujet de la Bulle* in Cœna Domini, *& de l'observance d'icelle: leur faisant défense de ne se pas servir à l'avenir de semblable allegation, à peine qu'il y sera pourvû, comme pour la conservation de son Etat & Authorité Elle verra être requis*. Extat in Arrestis Consiliarii du Laury, Arresto 125.

63. Quibus adde Litteras gravissimas de 25. Septembris 1724. quas Citatus cum sua *Responsione Ulteriori* exhibuit, & ad quarum conspectum Actor obmutuit.

64. Quid, quod nec ipsa Decreta Synodalia Episcoporum Nostratium ullam vim aut executionem habeant, antequam Regio Placito debite fuerint munita, uti per varia Decreta adstruit prælaudatus du Laury Arresto 132. & 159.

65. Necessitatem *Placiti* aut *Visæ* negare non fuit ausus Actor, quinimo eam tacite admisit Articulis 26. & sequentibus usque ad 30. suæ *Replicæ*.

66. Sed pro eo ut hujusmodi Admissionis proferret idoneum aliquod documentum, prout oportebat secundum Requisitionem & Sustentum Citati in *Provisionali Responsione* Articulis 23. & 24. quæsivit varia subterfugia.

67. Ac 1°. quidem recurrit ad Decretum Consilii Status de 12. Septembris 1725. insinuans, quod illud reputari debeat pro *Visa*, vel saltem pro testimonio *Visæ* ante concessæ.

68. Sed negatur primo, quod hoc Decretum Consilii Status habeat locum *Visæ* aut *Placiti*.

69. Et quamvis ita foret; quo jure illud retrotraheretur, ut operari posset contra factum Citati, quod contigit tribus mensibus ante, puta 14. Junii 1725. quando data est Epistola?

70. At, inquies, *Visa* aut *Placitum*, de quo quæstio, datum fuit ante scriptam Epistolam.

71. Respondetur suppositionem istam falsam esse, & omnino negandam.

72. *Non esse enim & non apparere, in Jure sunt eadem.*

73. Falsitas autem vel ex eo evincitur, quod istiusmodi *Visæ* vel *Placiti* nulla mentio fiat in prædicto Decreto Consilii Status, quæ alioquin indubitanter facta fuisset ad gravandam *Epistolarem Responsionem*, quam insectabatur.

74. Quid,

74. Quid, quod in eodem Decreto Consilii Status mentio fiat plurium Rescriptorum S. Sedis? An audebit Actor dicere, hinc sequi, ea omnia fuisse placetata?

75. Ut ut sit, debuisset Actor de *Visa* seu *Placito* Brevis authentice docere; allegantis enim est probare.

76. Maxime cum hoc ipsi esset facillimum si ullum *Placitum* aut *Visa* extitisset, proferendo v. g. extractum ex Registro Consilii Status; siquidem non dissimulat, se in ejusdem Secretaria inspectionem & copiam habuisse variorum aliorum Instrumentorum.

77. Quinimo (quod est notandum), ne quidem potuit Actor designare diem, quo prætensum *Placitum* aut *Visa* concessum foret, etiam postquam super productione ejus legitime fuerat provocatus.

78. Prætensam admissionem Brevis adstruere etiam præsumpserat ex Litteris Cæsareæ & Catholicæ suæ Majestatis, quibus mandasset agi ad onus Citati, etiam post examinatum *magnum Volumen*, ut vocat ex parte Citati oblatum.

79. Sed verisimiliter tunc nondum Litteras istas Regias inspexerat. Nam ubi cum *Replica sua ulteriore* easdem produxit, ibidem statim argumentum illud cum tota sua prætensione de habita *Visa* deseruit, haud dubie cum attonitus videret, ne vel verbo quidem Breve reclamari in dictis Litteris Regiis.

80. Qua de causa aliud medium arripiens Actor, jam necessitatem omnis *Placiti* in hoc casu negare vellet; hoc scilicet prætextu, quod Breve directum non fuerit ad has partes, sed solum ad *Catholicos in Fœderato Belgio commorantes*.

81. Sed ita se multipliciter illaqueat.

82. Nam sic prodit insigniter dolum illum, quo Articulo 7. *Libelli gravaminum* idem Breve proponebatur tanquam legem dictans OMNIBUS *Christi Fidelibus*, uti supra adnotatum est.

83. Deinde, quam lepidum est prætendere velle, quod Breve aliquod non Placetatum posset magis constringere Citatum, dum dirigeretur ad exteros, quam dum dirigeretur ad has nostras partes?

84. Et interim ne quidem ullatenus docere de Publicatione ulla legitima, & sufficiente quoad Citatum.

85. Neque de alia certa via, qua sic innotuerit Citato, ut illud citra culpam ignorare non potuerit?

86. Cum tamen de jure præsumatur ignorantia ubi scientia non probatur. *Cap.* 47. *de Reg. Juris in VI.*

87. Sed credibile, inquit Actor, non est, Citatum non legisse Breve, de quo mentionem facit in sua Epistola.

88. Imo multo magis hoc credibile est, quam sit credibile, Citatum mentiri voluisse, dum dixit se illud non legisse: quod mendacium non sine gravi injuria ipsi impingit Actor.

89. Nec enim opus habebat legisse, ut constaret ipsi de eo, ob quod Breve illud ad propositum suum per transennam citavit. Cum istud tam ex litteris Amici Consultoris, quam ex dissertatione adversaria Doctoris Damen scire potuerit, quemadmodum explicatum fuit Articulis 26. & seq. usque ad 33. *Respons. Provisionalis*.

90. Nec minus certum est Articulum 10. *Libelli gravaminum* indigne turpiterque imponere, dum asserit, Citatum super Brevi illo fuisse consultum, quæ impostura amplius propalabitur. Cap. seq. §. I.

§. III.

Idem Breve non est Instrumentum Legale aut fide dignum, meritoque in suspicionem venit.

91. Gravissimorum Pontificum monitis & experientia magistra edocemur, non statim omne Rescriptum aut Decretum Romanum, quod sub nomine Papæ editum vel vulgatum conspicitur, habendum esse ut genuinum, maxime si contineat talia, quæ a S. Sedis prudentia, æquitate & benignitate videantur abhorrere; aut si quæ alia suppositionis signa præ se ferat.

„ Multa tanquam a nobis deferuntur „ & scripta, & dicta, nobis nescienti„ bus „ aiebat Gregorius VII. lib. 9. Epist. 32.

92. Sic & Innocentius III. *De crimine falsi C.* 4. in parte recisa. „ Accidit nuper, quod quidam falsitatis astutiam perniciosius exercentes, fuerint „ in iniquitatibus suis deprehensi, ita „ quod

„ quod Bullas tam sub nomine nostro, „ quam Bonæ Me. Cæ. P. P. p. n. quas „ falso confinxerant, & quamplures Litteras Bullis signatas invenerimus apud „ eos. „

93. Imo tam frequentes erant hujusmodi fraudes, ut Pontifices acerrimas pœnas coacti fuerint statuere adversus tales impostores.

94. Atque hic notandum, non agi illic de simplici Brevi, in quo adhuc facilius falsitas committi posset; sed de Litteris Bullatis, quæ solent esse solemniores.

95. Refert etiam gravissimus Auctor Historiæ Ecclesiasticæ Claudius Fleury lib. 74. num. 53. ad annum 1195. quemdam Clericum Eboracensem morti proximum confessum esse, se edidisse plures falsas Litteras Apostolicas. Similia legere est apud eumdem lib. 75. num. 4. lib. 77. num. 19. &c.

96. Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit *In tanta*, quæque extat in magno Bullario, testatur se pluries audivisse ex ore S. Pii V. Prædecessoris sui, multa aliter, alioque sensu a se prolata fuisse, quam Litteris expressa essent, scilicet in famosa Bulla *Etsi Mendicantium* ejusdem Pii V. quæ etiam extat in magno Bullario.

97. Sub Innocentio X. quidam Mascambrunus, cum jamjam decorandus putabatur pileo Cardinalitio, plexus est Capite, eo quod plura falsa Acta etiam sub nomine Pontificis confinxisset.

98. Porro inter signa suppositionis & falsitatis merito reputatur si Rescriptum aliquod modo insolito & irregulari evulgari cernatur.

99. Breve autem, de quo quæstio, modo plane insolito & extraordinario clam in hac Patria divulgari cœpit, priusquam vel de ulla promulgatione Romæ facta constaret, de qua nec hactenus constat, ut supra observatum est.

100. Quapropter Citatus non absque causa in *Responsione Provisionali* Articulo 34. cavit, se Breve illud relinquere fidei, quam de jure meretur.

101. Et in *Responsione* sua *Ulteriore* ejusdem Instrumenti fidem & legalitatem, saltem quoad præsentem causam, aperte rejicit: Et jure quidem optimo propter rationes allegatas.

102. Quibus & istud addi potest, quod cum careat signatura authentica, non possit hic considerari, nisi tanquam mera charta volans, nulla auctoritate publica agnita aut firmata.

103. Nec refert quod exemplar impressum ab Actore exhibitum & reclamatum præferat quamdam subscriptionem cum chirographo *Vincentii Montalti* prætensi *Auditoris*;

104. Quia notorium est juxta jura & consuetudines Patriæ, quod dictus *Vincentius Montaltus* non sit hic habendus ut Vir Legalis; cum nomina *Auditoris*, & *Archivorum* Nuntiaturæ, sint hic nova & antehac inaudita.

105. Quinimo in exemplaribus impressis apud Martinum van Overbeck & hic Lovanii dispersis, ne quidem habetur dicta signatura prætensi Auditoris, ut videre est in eo exemplari, quod per Citatum consignabatur ad Articulum 46. suæ *Responsionis Ulterioris*.

106. Ita ut saltem Lovanii, ubi Citatus domicilium habet, vel ex solo illo capite potuerit & debuerit esse suspectum.

107. Quibus omnibus superaddi potest quod de signatura illa prætensi Auditoris nunquam legitime constiterit.

108. Cum igitur, ut hoc capite ostensum est, memoratum Breve non habeat vim legis;

109. Cum Citatum non concernat, neque ad onus ipsius allegari possit; cum non fuerit munitum Regio *Placito* aut *Visa*;

110. Cum hic non sit publicatum more & locis solitis, illudque in confesso sit;

111. Cumque etiamsi non foret suspectæ fidei Instrumentum, tamen hic ab Actore exhibitum omni auctoritate & legalitate destituatur;

112. Sequitur in primis; quod Citatus potuerit illud citra ullam culpam, vel in totum, vel pro parte ignorare.

113. Quodque eo saltem tempore, quo Epistola ipsius conscripta est, nullam vim sive Legis, sive Mandati habere potuerit in Belgio.

114. Sequitur 2°. quod in hoc Judicio majorem considerationem non mereatur, quam si Actor illud ex aliquo libello extractum exhibuisset.

115. Atque ita diruto prorsus fundamento, quod Actor pro sua Intentione unicum habet, conjiciendum relinquitur, quam solida possint esse cetera, quæ superstruuntur.

CAPUT SECUNDUM.

Expenduntur Articuli, quos Actor procudit ex Epistola Citati, & ostenditur eorum contorsio & malignitas.

§. I.

De Articulo X. Libelli gravaminum.

116. Articulus decimus *Libelli gravaminum* sic incipit: *Quod Dominus Reus Citatus super Brevi illo Apostolico consultus ab aliquo . . . scripserit Responsionem Epistolarem*, &c.

117. Quibus verbis non obscure significatur quasi Citati Epistola non esset nisi Responsio ad Consultationem sibi propositam, qua quæreretur quid de Brevi illo censendum esset.

118. Quæ enunciatio vocari deberet apertum mendacium, si Actor legerit Epistolam Citati; etenim nihil ea potest esse falsius, sicut omni legenti Epistolam, vel ex prima ejus pagina manifestum erit.

119. Nihil item ea malignius & fraudulentius, sicut patebit omni attendenti ad seriem Articulorum, maxime quinque sequentium, qui huic decimo ita superstructi & connexi sunt, ut de ejus falsitate & malignitate egregie participent.

120. Ac propterea idem decimus Articulus a Citato rejectus fuit *ut falsus*, nempe prout expressus est. Atque eodem pede in primis negati fuere iidem quinque sequentes, etsi quidam eorum specialem contineant falsitatem, uti videbimus infra.

121. Nempe consultus hic fuit Citatus, non *super Brevi*, ut imponere putabat Actor; sed *De numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito*; *quæque Citati esset sententia, de Ordinationibus Episcoporum per unum Episcopum celebratis*; *præcipue in casibus necessitatis*: & *an ullam habeat veri speciem, quod juxta Jus divinum tres Episcopi ad tales Ordinationes ita requirantur, ut aliter habendæ sint irritæ & invalidæ.*

122. Idque occasione *Dissertationis Doctoris Damen*, ubi eadem quæstio tractatur, & simul Ordinatio Cornelii Steenovii vehementissime impugnatur.

123. An ergo non sufficiebat commisisse, quam obiter notavimus, falsitatem in Articulo 7°. ubi SS. Dominum in Brevi illo loqui facit non ad fideles tantum Fœderati Belgii, sed *ad omnes Christi fideles*.

124. An, inquam, hoc stratagema non sufficiebat, nisi etiam malignitatis hoc alterum adderetur specimen? Et utinam vel in eo subsisteretur!

§. II.

De Articulo XI. & tribus sequentibus.

125. Articulus XI. a Citato negatus est duabus de causis.

126. 1°. Quia de Electione Steenovii ne verbum quidem reperitur in Epistola, de qua agitur. Nam Præfatio *Responsionis Epistolaris* ubi de Electione fit aliqua mentio, Citatum, Actore consentiente, non concernit, ut ante observatum est.

127. 2°. Quia ibi in fine dicitur, quod Citatus Consecrationem ejusdem deprædicaverit validam & justam.

128. Rogatur Clarissimus Dominus Judex ut dignetur hic attendere malignitatem in verbo *deprædicavit*, cum in loco dictæ *Responsionis Epistolaris* ab Actore sequentibus tribus Articulis indicato, ubi casus hujus Consecrationis obiter attingitur; hoc solum quæratur, An *excusari* possit hujusmodi Ordinatio facta sine dispensatione Pontificis Romani, contra litteram *Legis Canonicæ* per unum Episcopum sine assistentia duorum aliorum Episcoporum.

129. Certe non est species quod aliquis deprædicaret illud, quod agnoscit peractum esse contra externum rigorem *Legis Canonicæ*, & cui facto propterea executionem quærit.

130. Hoc ipsum & non aliud memorato loco agi agnoscet omnis lector intelligens & æquus, dummodo verba ista Epistolæ: *Haud*

Haud porro necessitatem & exigentiam salutis populi, advertat relativa esse & connexa cum illis, quæ paulo ante ponuntur: *Sed sola tunc necessitas & salus populi excusabat hujusmodi Ordinationes*, &c.

131. Quin hujusmodi excusatio legitima sit, dum re ipsa subsistit; non est credibile Actorem velle in dubium revocare, nisi una condemnare vellet sanctos illos Episcopos, qui in eadem periodo laudantur.

132. An autem dicta necessitas & exigentia salutis populi in casu Ordinationis Steenovii, quatenus per solum Episcopum Babylonensem peracta est, revera locum habuerit, quæstio est facti, quæ cum a multis pendeat circumstantiis, posset quis minus prudens aut nimium occupatus circa eam facile aberrare aut circumveniri.

133. Citatus autem, qui in causa illa examinanda non fuit indiligens, significat, sed modeste, persuasum sibi esse in Ordinatione Cornelii Steenoven memoratam illam excusationem obtinere locum; assignando in hoc idonea valde motiva, quibus simul erga SS. Canones, erga Sedem Apostolicam & Sanctissimum Dominum in ea sedentem, venerationem & observantiam suam demonstrat, quam habuit semper, maximam.

134. Dixit autem illa ut Doctor, non ut Censor, in materia, quæ studium ipsius & professionem concernit.

135. Dixit in privata Epistola ad Amicum, de cujus probitate & rectitudine non dubitabat; quemque noverat SS. Canonum tenacissimum & erga Sedem Apostolicam observantissimum, ut in ipsa Epistola exprimit.

136. Dixit denique in controversia, quæ jam per publica scripta ad publicum judicium Eruditorum quasi perlata erat.

137. Cui enim bono controversiæ intra Ecclesiam scriptis etiam publicis agitari sinuntur; nisi ut de meritis causæ audiantur Eruditorum & Prudentum hominum judicia, & ita eliquetur tandem veritas?

138. Tantum autem abest, ut in Citato vel minimus argui possit contemptus in Auctoritatem aut Personam Sanctissimi Domini, ut in eo ipso eluceat singularis, quam de ejus persona & æquitate habet, existimatio, necnon genuinum, quo honori & auctoritati S. Sedis addictus est, studium; uti fuse declarabitur Capite sequenti.

139. Hoc interea meminisse dignetur Clarissimus Dominus Judex, Citatum egisse hic ut Jurisconsultum, qui de scripto aliquo aut controversia ad instantiam Amici, & quidem oppressi, ut existimat, opinionem suam in Epistola depromit, quatenus versatur in terminis Juris, ubi facta supponi solent potius quam asseri, multo minus *deprædicari*, uti dolose prætendebatur ex parte Actoris.

§. III.

De Articulo XV.

140. Aliud malignitatis exemplum suppeditat Articulus 15. ubi dicitur: *Quod propterea exhortatus fuerit*, &c.

141. Notatu digna est conjunctio *propterea*, in qua manifestat se temeritas Actoris, qui penetrare vult mentem Citati, ipsique attribuere quod verba ejus nequaquam significant, vel innuunt; quamvis nullas ceperit informationes, nec ullum factum alleget, ex quo mens illa Citati, *quod propterea*, deduci vel levi conjectura possit.

142. Etenim vox *Ceterum*, a qua periodus illa indicata inchoatur, tantum abest ut quod sequitur connectat cum iis, quæ præcedunt, ut illud ab his abrumpat manifestissime.

143. Dicitur 2°. *quod exhortatus fuerit*. Et in *Replica*, Articulo 59. dicitur insuper quod Citatus *excitaverit*, &c.

144. Verum quæ species exhortationis & incitationis in his; *Neque desinam Deum precari, ut per ipsius sanctum auxilium pergatis pascere eum, qui in vobis est, gregem Dei?*

145. Sciat Actor allusionem hic fieri ad verba B. Petri Ep. 1. Cap. V. v. 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coacte, sed spontanee, non turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

146. Sciat esse hic conclusionem Epistolæ familiaris, quæ de more contineat salutarem apprecationem, qua inter cetera

loquendo ad veteranum Pastorem, qui salutatur, ipsi peroptat; ut per spiritum prudentiæ, fortitudinis & caritatis munus suum secundum Deum administret; ideoque continuo adjecit verba B. Petri immediate sequentia, *Atque cum apparuerit Princeps Pastorum ab eo, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam.*

147. Sciat denique, usitatum plane esse & innoxium, ut eos, qui sunt in actuali exercitio & possessione alicujus functionis aut muneris, consueto & competente titulo honorare pergamus, etiamsi forte jus ipsorum in dubium revocetur & super eo litigent; idque in hoc casu tanto magis decebat Citatum, quia ille de æquitate Causæ ipsorum persuasus erat, juxta Resolutionem suam datam anno 1717. in favorem subsistentiæ Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini, de qua supra.

148. Ut autem magis pateat quam perperam, quantaque temeritate Actor ex hoc loco contemptum Brevis, de quo agitur, adstruere velit; attendere dignetur Clarissimus D. Judex Breve illud Catholicis Fœderati Belgii nihil aliud in hanc rem prohibere, quam ne a Cornelio Steenoven aut aliis ab ipso deputatis *Sacramenta aut Ordines accipiant:*

149. Debuisset itaque Actor habere informationes, ex quibus constaret, quod ille Reverendus admodum & Amplissimus Dominus, ad quem dirigitur Epistola & Amplissimi ipsius Collegæ essent ex illis, qui a dicto Cornelio Steenoven essent ad Curam animarum deputati, quod nisi ostendatur (& non ostendetur quia falsum est) jam ne quidem de illis Breve loquitur in hac parte, & ita omnis materia contemptus evanescit.

150. Scivit indubie aut scire debuit Actor id de Viris illis nulla verisimilitudine afferi posse, cum simili titulo insigniri non soleant nisi viri in dignitate constituti & seniores e Clero, ita ut in hoc non minus, quam in superioribus Articulis, mala fides insigniter sese prodat.

CAPUT TERTIUM.

Quod ne vel minimus hic argui possit Contemptus alicujus Brevis vel Auctoritatis S. Sedis, ut prætenditur Articulis XVI. & XVII.

§. I.

Disquiritur in quo Contemptus ille poni deberet.

151. Provocatus fuerat Actor Articulis 41. & 43. *Responsionis Provisionalis*, ut in Epistola Citati designaret verba, quibus adstruere intendisset ea, quæ de contemptu illo afferebat Articulis 16. & 17. *Libelli gravaminum.*

152. In eadem *Responsione Provisionali* similiter petitum fuerat ut designarentur verba, quæ essent injuriosa Brevi alicui Pontificio: Item quæ scandalosa & perniciosæ consequentiæ, ut præfertur Articulis 18. & 19.

153. Sed nulla hujusmodi verba unquam proferre aut designare potuit Actor, & ita in confesso est nulla ibi talia reperiri.

154. Multo minus ostendere potuit in Citati dictis vel factis animum aspernandi vel injuriandi, sine quo nulla Actio injuriarum consistere potest; cum *injuria ex affectu facientis consistat.* l. 3. §. 1. ff. de Injuriis.

155. Porro ad injuriam referri debet Contemptus, juxta id quod dicit Imperator Inst. §. I. de Injuriis. *Injuria dicitur specialiter, alias contumelia, quæ a contemnendo dicitur.*

156. Tantum autem abest ut Citati Epistola aliquod dictum contineret, ubi in modo peccasset adversus reverentiam & observantiam S. Sedi aut SS. Domino debitam, ut e contrario ea ipsa loca Epistolæ, ex quibus Actor Articulos suos producit & contemptum illum & injuriam adstruere nititur, erga dictam Personam & auctoritatem, singularem spirent existimationis & submissionis affectum; sicut omni æquo lectori patebit ex superioris Capitis discussione.

157. Quapropter totus contemptus ille & inju-

& injuriandi animus desumi deberet ex rebus ipsis, hoc est, ex eo quod Citatus in Epistola illa dissentire inveniretur a prætenso Brevi, nempè circà Electionem, ut vult Actor, & Consecrationem Cornelii Steenoven.

158. Verum tota hæc prætensio ruere & evanescere debet eo ipso, quo ostensum est Cap. 10. reclamatum Breve nullam hic mereri considerationem; propterea scilicet quod non habeat vim ullam aut Legis aut Præcepti respectu Citati; quodque proinde ab ipso ignorari innoxie potuerit. Imo quod instrumentum Brevis exhibitum, non sit Legale, nec ullam in Judicio fidem facere possit.

159. Et hæc quidem defensio & exceptio revera sufficiens est, ut Actor defectu probationis rejiciatur, & Citatus absolvatur.

160. Verumtamen, ut uberius etiam pateat hujus Actionis inanitas, ipsiusque Citati innocentia, demus tantisper (quod tamen non admittitur) quod tale Breve esset genuinum, quodque Citatus Breve impressum ab Actore productum etiam legisset tunc, dum scripsit Epistolam suam, nempe 4. Junii 1725.

161. Necdum tamen in simili supposito argui posset vel minimus in Citato contemptus aut aspernatio adversus S. Sedem ob ea præcise, in quibus Epistola dissentire reperiretur a dicto Brevi.

162. Sed antequam ad eam demonstrationem procedamus, ex supradictis Cap. 2. recolligenda & determinanda sunt ea, in quibus Epistola Citati vere a Brevi illo dissentiri dici posset.

163. Certum in primis est, quod in Citati Epistola nullo loco agatur de Electione Steenovii: estque hoc in confesso, cum Actor iterum lacessitus nullum de ea verbum in Epistola designare potuerit.

164. Ita ut Citatus non possit dici desuper mentem suam ibi aperuisse.

165. Actor quidem multum desudat ut per interpretationes & per consequentias illud deducat.

Verum tales sequelas in Causis criminalibus, qualis est hæc, non posse admitti in gravamen Rei, notorium est.

166. Nihilominus etiamsi supponeretur Citatum in dicta Epistola Electionem hanc resolvisse validam & justam, nec hinc tamen ullus argui posset contemnendi aut injuriandi affectus.

167. Cum enim ne quidem circa formam & ritum, quo eadem Electio celebrata est, ullum appareret vitium Canonicum (quale nec ab ipso Brevi notatur) non videtur ex alio prætextu censeri posse irrita & illicita, quam ex eo quod Cathedrale Capitulum Ultrajectinum intercidisset.

168. Hanc autem prætensionem cum Citatus jandudum sciret esse inanem, atque ea in parte existimaret Pontifici esse sub- & obreptum, non esset mirandum si Citatus scribendo Epistolam, Electionis Steenovii validitatem, atque Canonicitatem supposuisset, inhærendo adhuc antedictæ suæ Resolutioni in favorem Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini datæ 1717. (*) & super qua nunquam molestia ei illata fuerat.

169. Ad Consecrationem autem Steenovii ut transeamus, certe Epistola ejus non dissentit ab ipso Brevi circa ejus validitatem, cum illam validitatem Breve aperte supponat & præ se ferat, quæ sola quæstio hic ad dogma referenda est.

170. Adeo ut ex hocce Capite in primis gravissimo contemptus, si quis in hac controversia subsit, omnino conjiciendus sit in Citati adversarium Doctorem Damen, qui opinionem suam contrariam, prorsus exoticam, dicto Brevi prætulit in memoratæ suæ *Dissertationis* Additione.

171. Ad ejusdem Consecrationis justitiam, sive inculpabilitatem quod attinet; non inficiatur Citatus putasse se, cum de ea omnimode persuasus esset; quod posset citra ullius offensionem se pro illa declarare, eo modo quo in fine Epistolæ suæ fecit, quodque id ad officium, sive qua Amici, sive qua Jurisconsulti pertineret.

§. II.

(*) Appensa erat huic Motivo, in prima Editione; sed in hac eam prætermisimus, utpote jam datam in IV. Parte hujus Operis, Num. III.

§. II.

Qui dissentire inveniretur ab aliquo Brevi vel Decreto Romano, non ideo statim habendus foret contemptor S. Sedis aut Pontificis.

172. Considerandum ante omnia controversiam, quæ hic agitur, versari circa factum, cujus justitia dependet a factis innumeris & Juris positivi quæstionibus bene multis.

173. In hujus autem generis judicatis quid de summo Pontifice sentiendum sit ex ipsis Pontificiæ Infallibilitatis defensoribus statim patebit.

174. Unde fas sit dicere, quoniam ita cogimur, sed salvo in omnibus S. Sedis honore & auctoritatis ejus culmine, Pontificem hominem esse, *circumdatum infirmitate*, qui *& pro semetipso offerre* debeat *pro peccatis*, qui multis modis circumveniri possit, male informari, privatis duci affectibus, aliena jura impetere, &c. Absit tamen ut SS. Domino nostro Benedicto XIII. sinistri quidpiam animi aut intentionis non rectæ tribuere, vel cogitet Citatus.

175. Ecce quid dicant illi ipsi, qui opinionem propugnant Infallibilitatis Pontificiæ: „ Lumen illud, aiunt, S. Spiritus, „ quod summo Pontifici adest, cum ex„ plicanda sunt fidei mysteria, & traden„ da morum præcepta, non perpetuo illi „ hypochritarum fraudes, Aulicorum adu„ lationes, improborum mendacia detegit, „ non adversus Ambitiosorum importunita„ tem, Magnatum preces, suspecta Officia„ lium consilia immotos servat. Quid si, „ quod tamen sine gravi fundamento su„ spicari nefas est, summus Pontifex ali„ quo ulciscendæ injuriæ, congreganda„ rum divitiarum, augendæ familiæ, alio„ ve pravo affectu impelleretur ad præci„ piendum aliquid suæ potestatis limites „ trascendens, aut Justitiæ repugnans? Nec „ enim altitudo & sanctitas Solii sanctum „ facit & a peccato immunem. Num si „ quid hujusmodi contingeret, ab exequen„ do Mandato non liceret abstinere? „ Ita Auctor de *Libert. Eccl. Gallicanæ* Lib. 2. Cap. 3. Num. 5. edit. Leod.

176. Namque uti docet Cardinalis Cajetanus in S. Thomam 2. 2. q. 39. A. 1. ad 2. „ Potest persona Papæ tyrannice gu„ bernare, & tanto facilius, quanto po„ tentior est, & neminem in terris timet „ ultorem. „

177. Consonat Concilium delectorum Cardinalium & Prælatorum ad Paulum III. „ Principium horum malorum inde „ fuisse (aiunt Pontifici) quod nonnulli „ Pontifices tui Prædecessores, prurientes „ auribus, ut inquit Apostolus Paulus, „ concervaverunt sibi magistros ad deside„ ria sua, non ut ab eis discerent quid „ facere deberent, sed ut eorum studio & „ calliditate inveniretur ratio, qua liceret „ id quod liberet. Inde effectum est, præ„ terquam quod Principatum omnem se„ quitur adulatio, ut umbra corpus, diffi„ cillimusque semper fuit aditus veritatis „ ad aures Principum; quod confestim pro„ dirent Doctores, qui docerent .... „ quod voluntas Pontificis, qualiscumque „ ea fuerit, sit Regula, qua ejus operatio„ nes & actiones dirigantur; ex quo pro„ cul dubio efficitur, ut quidquid libeat „ id etiam liceat. Ex hoc fonte, Sancte „ Pater, tanquam ex Equo Trojano irru„ pere in Ecclesiam Dei tot abusus & tam „ gravissimi morbi, quibus nunc conspi„ cimus, eam ad desperationem fere salutis „ laborasse. „

178. Et sane in Ecclesia omnes sumus filii, non servi; patri debetur reverentia & observantia filialis, non tamen subjectio servilis.

179. *Quoniam omnibus*, inquit Cardinalis Contarenus Epist. 2. ad Paulum III. *puto compertissimum esse, Regimen Pontificis esse maxime liberorum hominum regimen, ad eorumque utilitatem & bonum maxime spectare .... Quid magis contra Legem Christi, quæ est Lex libertatis, excogitari potest, quam Christianos subjectos esse pareteque debere Pontifici, cui tributum sit a Christo ut pro arbitrio leges constituat, leges abroget, dispenset in legibus, habeat in his omnibus voluntatem suam pro Regula? ... Sic Jurisperiti quidam voluerunt id licere Pontifici quod vult .... sed, per Deum immortalem! .... nonne hæc positio idololatriam sapit? Nam hæc positio adeo est falsa,* adeo

adeo repugnans sensui communi, adeo est contraria Doctrinæ Christianæ, adeo depravat universi Christiani populi gubernationem, ut nihil perniciosius inveniri potuerit.

180. Quod si forte eveniat ut pater filium bonis & juribus suis spoliare aut aliter præter jus Patrium male eum tractare velit, certe in paternam reverentiam non peccat filius, si jura sua, si bona, si personam suam mediis legitimis defendat, neque in omnibus mox patri cedat.

181. Nec in reverentiam erga patrem delinqueret alter filius, qui fratris sui causam æquo jure niti putans, dolenter, prudenterque innueret causam communis patris se non probare.

182. Etenim si S. Sedis aut Pontificis Romani contemptor, gravissimarumque pœnarum ac Censurarum dignus habendus esset, quisquis non probans omnes Romanorum Pontificum actiones, nec omnibus eorum prætensionibus acquiescens, qualicumque decreto Romano contraria sensisse aut egisse nosceretur; jam profecto plerique per Gallias & Belgium celebrioris famæ Theologi & Jurisperiti, jam omnes fere Catholicorum Statuum Ministri, Magistratus & Principes; jam Cives innumeri & optimæ spei fideles, imo & multi in Cælo hujusmodi criminis arguendi erunt.

183. Ergo contemptus Pontificis reus erit S. Paulus, vas Electionis, qui cum vidisset, *quod* B. Petrus *non recte ambularet ad veritatem Evangelii, & Gentes cogeret Judaizare, in faciem ei restitit*, ejusque simulationem coram omnibus reprehendit.

Quod Exemplum Spiritus Sanctus comprobare & in perennem memoriam extare voluit in Epistola ad *Gal.* Cap. 2.

184. Ejusdem contemptus accusandi erunt non solum S. Polycarpus, qui ab Aniceto Papa dissensit, omnesque illi Episcopi, & Ecclesiæ Asiæ, qui cum Polycrate Victori Papæ cedere noluerunt in controversia circa tempus Jejunii & Paschæ.

185. Verum etiam S. Irenæus ceterique Galliarum Præsules, qui modum agendi Victoris Papæ hac in parte acriter scriptis litteris coarguerunt, ut testatur Eusebius *Histor. Eccl.* lib. 5. Cap. 24. & apud Fleury lib. 4. N. 44. & 45.

186. Hinc Nicolaus I. *Cum videamus*, inquit, *Victorem Papam & Martyrem pene a totius Ecclesiæ Præsulibus pertinaciæ redargutum*. Epistola 9. ad *Michael. Tom.* 8. *Conc.* pag. 341.

187. Contemptor Pontificis erit S. Cyprianus tum in causa Baptismatis hæreticorum, quam cum S. Firmiliano & tam multis Africanis & Asiaticis Episcopis sustinuit; tum in causa duarum Ecclesiarum Hispaniæ, quam idem gloriosissimus Martyr contra eumdem Papam defendit.

Notum tamen est quod in primo casu non solum excusetur, sed etiam sæpe laudetur a S. Augustino in opere *de Bapt. contra Donat.* & alibi.

188. Idem dicendum erit de SS. Meletio & Flaviano, qui jura sua adversus SS. Damasi & Siricii Pontificum præventiones sustinuerunt. Et primus quidem mortuus est antequam Communioni Romani Pontificis restitueretur. Theodoret. *Hist. lib.* 5. *C.* 23.

189. Idem de S. Basilio, qui in causa Meletii & trium Hypostaseon de Pontifice Romano S. Damaso graviter conquestus est. *Ep.* 10. alias 349. quemadmodum & S. Paulinus de Siricio Papa aliisque Romanis *Epist.* 5. ad *Sulpit. Severum*.

190. Idem de SS. Aurelio, Alypio, Augustino aliisque Episcopis, dum pro juribus Ecclesiæ Africanæ strenue restiterunt Zosimo & duobus ejus successoribus. *Epist.* Patrum Concilii Africani Cælestino. *Conc. Tom.* 2. pag. 1148.

191. Similiter statuendum erit de S. Hilario Arelatensi, dum jura sua contra S. Leonem Magnum ad mortem usque fortiter tutatus est. S. Leo *Epist.* 10.

192. Similiter de S. Mamerto, qui ab Hilaro Papa dure habitus est propterea quod Urbi Diensi Episcopum præfecisset. *Baron.* ad annum 464. edit. Colon. 1609.

193. Ubi & a Baronio adnotatum est. „Non mireris, inquit, Lector, Romanum „Pontificem Hilarum adversus Mamertum „adeo vehementer insurgere, virum, ut „declarant eventa, sanctitate insignem. „In his enim, quæ contentiosi fori sunt, „perfacile est quemquam decipi. Persimile „etiam S. Leoni accidit, qui in S. Hilarium eadem ferme ex causa acerrime invectus

„ vectus est. Quis nesciat sæpe accidere ut „ falsis accusationibus & subreptionibus aures Pontificum repleantur, & cum putant agere quod justum appareat, extigitent innocentem? „

194. Similiter de S. Juliano cum Concilio Toletano XV. adversus Benedictum II. Tom. 6. Conc. pag. 1303.

195. Qui omnes accusandi erunt contemptus Auctoritatis Pontificiæ, si ad hoc sufficiat qualiscumque oppositio aut dissensio.

196. His adde S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, qui pro juribus Ecclesiæ suæ contra Decreta & comminationes Joannis Papæ VIII. ad mortem usque certavit. Cujus Ignatii causam suo Casui similem esse contendit Clerus Ultrajectinus.

197. De quo tamen sic rursum loquitur Baronius: „ Neque est quod quisquam ob „ litem hanc Ignatium animo fuisse in „ Apostolicam Sedem infesto existimet vel „ ingrato, cum quæ juris essent suæ Ecclesiæ defendere juramento teneretur „ obstrictus, etiam æternæ vitæ dispendio; „ Non enim aliena retinere, sed sua possidere ex possessione Prædecessorum jure „ justum putavit, cui haud dubium sponte cessisset, si id facere sibi licuisset. „ Ad annum 878.

§. III.

Hujusmodi oppositiones quomodo in Belgio usitatæ sint, salva S. Sedis reverentia & Auctoritate.

198. Frequentiores multo fuerunt hujusmodi oppositiones postquam per falsas Decretales aliaque supposititia monumenta, quæ seculo VIII. prodierunt, potestas Pontificia ultra limites antiquos non parum dilatata est, maxime autem postquam seculo XII. Romæ formari cœpit Curia, & hujus nomen invalescere.

199. Hujus Curiæ placitis & praxibus a S. Bernardo aliisque viris magnis & piis summopere reclamatum est.

200. Quin incredibile est quot & quantæ hinc in Ecclesia Dei exortæ sint turbæ & contentiones.

201. De iis, quæ Belgium propius concernunt hic quædam interim perstringentur.

202. Non exponetur hic quam partem Belgium habuerit in solemni illa interjectione & Appellatione, quam Philippus Pulcher Rex Franciæ instituit adversus Bullam *Unam Sanctam* aliaque Bonifacii VIII. Decreta.

203. Nihil item de aliis appellationibus quæ adversus Litteras & nonnulla Decreta Romana a Principibus & Ordinibus Provinciarum Belgii interjectæ fuerunt ad manutenendam saluberrimam illam Conciliorum Constantiensis & Basileensis Sanctionem Pragmaticam.

204. Non dicetur de mediis Cassationis, quæ adversus quædam Ultramontana Rescripta, & speciatim adversus Evocationes sæpenumero adhibita sunt, & adhuc quotidie adhibentur; de quibus videre est celeberrimi Stokmanni egregiam lucubrationem *contra Evocationes & peregrina Judicia*, cui subnecti posset Diploma datum Viennæ 26. Junii 1708. quo gloriosissimæ memoriæ Imperator Josephus cassat & annullat Bullam Clementis XI. de 27. Julii 1707. qua inter cetera publicabantur Censuræ Ecclesiasticæ contra Cæsareos Ministros, Commissarios, Milites, &c.

205. Ipsa Edicta, quibus Principes nostri inveteratum in his Provinciis usum *Placiti* confirmandum instaurandumque censuerunt, & eorumdem viridis adhuc observantia, palam declarant, non quascumque Bullas & Litteras sub venerando nomine Pontificis aut S. Sedis emanantes, statim cæco modo admittendas esse & probandas, sed licere hic quasdam ignorare, imo & quandoque nonnullis obviare & contradicere.

206. Edicta illa sunt Philippi Boni Ducis Burgundiæ de 3. Januarii 1447. Maximiliani & Philippi Archiducum de 12. Septembris 1485. Et solemnissimum atque gravissimum illud Philippi Archiducis patris Caroli V. de 20. Maii 1497. in quo etiam commemorat solemnem Appellationem suam.

207. His accessit Pragmatica Sanctio, quam Philippus II. anno 1574. condidit habita prius consultatione & exquisita sententia Conciliorum Belgii, tum Supremorum, tum Provincialium, qua diserte vetitum est sub

sub pœna exilii & punitionis exemplaris, ne quis ullius argumenti Bullas, aut Diplomata ex Urbe Roma aut a Legatis Pontificiis profecta, per Belgium executioni mandare ausit, nisi Litteris *Placiti* prius comprobata fuerint vel in Sanctiore Consistorio, vel in Brabantiæ Concilio.

208. Constans autem usus & observantia eorumdem Edictorum abunde probatur per ea, quæ deinde in Belgio evenerunt circa receptionem ipsius Concilii Tridentini, cui tamen Legati Principis interfuerant & subscripserant.

209. Per ea quoque, quæ evenerunt circa famosum Indicem librorum prohibitorum post Concilium Tridentinum a Romano Pontifice editum: cujus inter ceteras *Regula quarta*, aliorumque multorum librorum generalis Censura non solum recepta non fuit, sed etiam per Indicem Expurgatorium a Rege Philippo II. cum Edicto solemni 1571. editum positive rejecta fuit censura seu prohibitio multorum librorum.

210. Constans usus & observantia dictorum Edictorum abunde rursus probatur ex iis omnibus, quæ acta & agitata hic fuerunt occasione famosæ Bullæ *In Eminenti* Urbani VIII.

211. Uti & postmodum circa quædam alia Decreta libros quosdam prohibentia.

212. De quibus omnibus late refertur, & differitur in laudatissimi Stokmanni opusculo: *Jus Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptionem*.

213. Atque etiam in Tractatu Citati *de Promulgatione Legum Ecclesiasticarum*, ubi usus & necessitas Placiti Regii multis modis stabilitur atque defenditur.

214. Qui Tractatus approbationem habuit Censoris Regii Senatus Brabantiæ, necnon commendari & defendi meruit coram Parlamento Mechliniensi per Fiscales Regios junctos in causa Citati contra Vicarium Buscoducensem *Govaerts*; ac dein per ejusdem Parlamenti sententiam de 23. Februarii 1722. doctrina Tractatus illius confirmata est.

215. Præmissis autem coronidem imposuit eximium Decretum Regiminis Belgii de 27. Septembris 1724. a Citato cum *Responsione ulteriori* exhibitum.

216. An auderet dicere Actor, quod omnes illi, quorum voluntate, opera & consilio cuncta, quæ hic breviter commemoravimus gesta, administrata atque defensa sunt, quique adhuc quotidie factis & scriptis tueri similia pergunt; quod, inquam, ii omnes contemptores sint auctoritatis S. Sedis aut in ea Præsidentis?

217. Attento quod sic multis modis obnitantur & adversentur variis Diplomatibus & Decretis Romanis speciatim famosæ Bullæ *Cœnæ Domini*, quæ longe alterius considerationis habetur, quam Breve, de quo quæstio, cum de hoc merito dubitetur an sit genuinum, cumque non constet de publicatione. Ubi tamen Bulla *Cœnæ Domini* est solemnissima, utpote quæ singulis annis in die Cœnæ Domini exquisito ritu publicetur velut ad Universos Christi fideles pertinens, quæque publicis libris inserta commentariis suis non careat.

218. Similiter dum Consilia Regia in causis Possessoris quotidie judicant de Bullis Romanis & sæpe contra provisos per Bullas Apostolicas: dicat, an illi viri ideo censeri deberent Bullas istas aspernari, contemnere, aut nihil facere?

219. An & tales reputandi sint Jurisconsulti, qui contra provisos Apostolicos respondent, aut Advocati, qui contra hujusmodi patrocinantur?

220. Præterea quid notius quam existere in Belgio egregios Theologos & Jurisperitos, qui in materiis v. g. de potestate Papæ, de Hierarchia Ecclesiastica, de firmitate juramentorum Fidelitatis, de Asylo, &c. dissentiant a variis, jam non dico Curiæ Romanæ Placitis, Rescriptis, & Brevibus: sed a Constitutionibus solemnibus & a Decretalibus Romanorum Pontificum, etiam ab iis, quæ Corpori Juris insertæ præcipuam auctoritatem obtinuisse videntur, iisque contraria prorsus & profiteantur & tradant.

221. Nunquid & hi omnes Doctores eo nomine puniendi erunt ut contemptores auctoritatis Papalis?

222. Quæ si innuere nemo auderet, nisi is qui simul fundamentales Patriæ leges, sanctissimos Ecclesiæ Canones, populi inveteratos mores, laudatissimasque Consuetudines, Ecclesiarum nostrarum pretiosas Libertates, atque adeo totam Jurisprudentiam Belgicam damnare & evertere vellet.

223. Non est conceptibile quomodo in foro Belgico coram Judicibus solum Deum & justitiam præ oculis habentibus, sacrorum autem Canonum & legum Patriarum Consultissimis, ac tenacissimis tanquam contemptor Pontificiæ dignitatis,& injurius in S. Sedem accusari possit Citatus, ex hoc capite quod in Epistola privata officium agens Jurisconsulti Belgæ & respondens in Causa Ecclesiæ Belgicæ, contraria quædam sentire reperiatur alicui Brevi Romano nulla hic fide digno, forte suppositio, certe nec Placetato, nec omnino publicato.

224. Rogatur proinde Clarissimus D. Judex, ut considerare dignetur, an non vel hinc clare pateat innocentia Citati & inanitas Actionis, quæ dicto Brevi unico innititur.

§. IV.

Ostenditur qua ratione hujusmodi Oppositiones non raro sint necessariæ & laudabiles, simulque ad verum S. Sedis honorem & Pontificum venerationem conducant.

225. Notum est quod multa Diplomata & Mandata Romana, etiamsi nomen præferant summi Pontificis, dicenda tamen sint emanare potius a Curia quam a S. Sede: sive id contingat ex eo, quod per importunitates ipsi extorqueantur, vel aliter per ob-aut subreptionem impetrentur, aut eo inconsulto vel præter ejus intentionem expediantur, sive ex alia causa.

226. Notum etiam esse debet, quod Principia, Regulæ, Consuetudines, & scopus Jurisprudentiæ Belgicæ parum concordent cum placitis, prætensionibus & intuitu Curiæ Romanæ, imo quod in multis e diametro opponantur.

227. Ex quo sequitur, necessum esse, ut ii qui Belgii Regimen administrant, qui in ejus Tribunalibus sive secularibus, sive Ecclesiasticis judicia exercent, qui Jus illud tradunt, aut de eo respondent, non raro impingant in quædam Decreta aut Constituta Romana, nempe subreptitia illa ex mente & spiritu Curiæ adornata, quibus & quandoque obniti & contradicere opus sit.

228. Si quis in libro Cardinalis *de Luca*, cui titulus: *Relatio Curiæ Romanæ* tantisper expendat, quæ sint opiniones, quas *Romana Curia recepit & PRACTICE retinet ac servat*; statim advertet quantopere jura & consuetudines nostræ ab iis abhorreant.

229. Curia Romana & Canonistæ Ultramontani attribuunt Papæ plenitudinem potestatis in temporalibus & spiritualibus; potestatis quæ a quocumque legis humanæ vinculo soluta sit.

230. Ecclesiæ vero Belgicæ atque hujus Patriæ populi & Principes talem potentiam in Papa non admittunt; sed libenter in ipso agnoscunt eam Auctoritatem & Jurisdictionem, quæ per SS. Canones agnita & ordinata, quæque per Leges, Privilegia, consuetudines, statuta & usus inveteratos Belgii circumscripta est; quæ jura Ecclesiarum particularium ac Pastorum non obturbet, sed e contrario studiose conservet; quemadmodum hoc Pontifices summi & sanctissimi libenter professi sunt.

231. Ex principiis contrariis necesse est fluere sequelas contrarias.

232. Sustinemus itaque nos Belgæ, adversus prætensiones Ultramontanas, quod non sit in potestate Papæ pro suo arbitrio extinguere Episcopatus nostros, Ecclesias nostras, Capitula aut Beneficia Ecclesiastica, nec annexa iis jura, auctoritatem & jurisdictionem pro libitu auferre.

233. Quod hoc nullatenus fieri possit nisi ob rationem legitimam atque Canonicam cum cognitione Causæ, auditis iis quorum interest, per Superiorem competentem.

234. Quod causa omnis Belgica, cujus cognitio Papæ reservata sit, committi debeat Judicibus in Partibus, ut per eos judicetur & definitive terminetur.

235. Quod nullus Belga, sive Ecclesiasticus sive secularis citari possit Romam, cujuscumque status aut conditionis fuerit.

236. Quod monitoria, fulminationes, & Censuræ in Curia Romana ad onus eorum latæ habeantur irrita & cassa, ac velut nunquam extitissent.

237. Quod Papa non possit pro nutu suo deponere Episcopos aut alios superiores Ecclesiasticos, aut Jurisdictionem eorum ordinariam revocare.

238. Quod neque a sola voluntate Papæ dependeat Sedibus vacantibus concedere vel recu-

recusare Episcopos ; sed quod e contrario confirmare teneatur eos, qui electi aut nominati sunt, nisi denegationis causam alleget Canonicam.

239. Et casu quo Pontifex negare persisteret sine causa, crederent Principes nostri fas sibi esse adhibere media congrua & efficacia, quibus Juribus suis & subditorum prospicerent.

240. Atque hæc sunt præcipua axiomata sive dictata, in quibus sitæ sunt *libertates* & *immunitates* Ecclesiæ populique Belgarum. Neque aliud sunt quam pretiosæ quædam reliquiæ veteris libertatis sive juris communis Ecclesiæ universalis, quas Belgium nostrum, sicut & nonnullæ aliæ Ecclesiæ, diligentius custodivit, ne sub Curiæ Romanæ arbitrariam dominationem redigeretur.

241. Porro ad tuendum has Libertates & excludendum omnem Curiæ novitatem, statuerunt Principes nostri sollicitèque semper conservarunt absolutam *Placiti illius Regii* seu *Visæ* necessitatem quoad Bullas omnes Romanas, quemadmodum & *Possessionis* & *Cassationis* remedia. (Vide laudata Edicta & Ordinationes supra Cap. 1. §. 2.)

242. Neque in Belgio tantum, sed in omnibus fere Regnis & Statibus Catholicis hujusmodi cautelas, privilegia & jura obtinere notorium est ; eorumque usus non communi solum Theologorum & Jurisprudentum calculo, sed & Pontificum tacito vel aperto consensu agnitus est, ut videre est apud Stockmannum in opusculo prælaudato *de jure Belgarum.*

243. Et sane mens S. Sedis nunquam fuit nec esse modo potest Patrum statuta mutare ; vel Ecclesiarum jura & Privilegia violare, cum in eis custodiendis atque fovendis officium suum & gloriam posita esse toties professa sit.

244. *Privilegia Ecclesiarum SS. Patrum Canonibus instituta .. nulla possunt novitate violari, in quo necesse est me perseverantem exhibere famulatum.* S. Leo. Ep. 78. al. 54. ad Marcian. Aug.

245. *Sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus.* S. Greg. lib. 2. Indic. X. Ep. 39. Vide & Gratian. Causa 25. q. 1. Can. 7. & ibid. q. 2. C. 1.

246. Absit ergo ut ad injuriam S. Sedis pertinere credatur, si quis mandatum aliquod aut Diploma sub nomine illius editum, prudenter admittere recuset, subreptionis allegando vitium ; cum ita agere ad S. Sedis venerationem referendum sit.

247. *Neque enim*, ut S. Cyprianus ait, *tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit.* Ep. 67. al. 68.

248. „ Qui summi Pontificis, inquit „ Melchior Canus, omne de re quacum„ que judicium temere & sine delectu de„ fendunt, hic Sedis Apostolicæ Auctori„ tatem labefactant, non fovent ; ever„ tunt, non firmant." De Locis Theologicis lib. 5. Cap. 5.

249. Etenim nimis ineptus fautor Curiæ Romanæ foret, qui diceret Bullas, quæ inde adveniunt nullis unquam laborare vitiis, cum hoc confiteri non erubescant ipsi Pontifices, sicut jam supra C. 3. §. 2. ex parte monstratum est, & ulterius videri potest Cap. 10. tit. de Rescr. Extrav. 2. inter Comm. de Præb. item in Bulla Greg. XIII. quæ incipit ; *In Tantas* in *Bull. M.*

250. Hinc nec ægre ferebant, si qui hujusmodi mandatis non obtemperabat : *Per litteras tuas*, inquiebat Alexander III. *quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas ; quia patienter sustinebimus, si non feceritis quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Cap. *Si quando* tit de Rescriptis.

251. Quin & paratos se exhibebant *emendare si incompetenter aliquid egissent ; & subditis juste legis tramitem non observassent.* Can. *Nos si.* Quæst. 7.

252. Sicut re ipsa non semel eos incompetenter Acta emendasse Historiæ nos docent.

253. Sunt hæc plusquam sufficientia, ut luce clarius appareat, quod etiamsi daretur, Breve ab Actore productum, tam esse genuinum & authenticum, quam est suspectum & nulla fide dignum : Citatus tamen ne per speciem quidem vel minimi contemptus aut injuriæ in S. Sedem accusari mereretur, nempe ex eo capite, quod in Epistola privata subindicasset, sed modo valde suavi & modesto, opinionem suam, quæ dicti Brevis contento in aliquibus sit contraria.

CAPUT QUARTUM.

Nihil in præsenti casu a Citato dictum aut actum esse, quod vergat in contemptum aut imminutionem Jurium Sanctæ Sedis aut Disciplinæ Ecclesiasticæ . . . . adversus Articulos XVIII. XIX. XX. & XXI. LIBELLI GRAVAMINUM.

§. I.

Nihil tale dictum esse in iis, per quæ Citatus colligitur bene sentire de existentia & Juribus Ecclesiæ ac Capituli Ultrajectensis.

254. Ex omnibus, quæ in Epistola Citati arguere intendit Actor, duo ad summum puncta reperta sunt, quæ ibi aliquo modo continentur, sicut in fine C. 2. eliquatum est.

255. Unum erat quod in dicta Epistola sub finem supponatur ac subindicetur, Ecclesiam ac Capitulum Ultrajectinum cum juribus suis Hierarchicis etiamnum subsistere, & sic proprios adhuc habere Pastores. Quid autem inde consequatur pro validitate Electionis Cornelii Steenoven non est hujus loci disputare, cum de ea, ut supra observatum est Cap. 3. §. 1. nihil in Epistola Citati speciatim statuatur aut memoretur.

256. Alterum punctum erat, quod ibidem significetur persuasum esse Citato Ordinationem sive Consecrationem ejusdem Cornelii, attenta necessitate & Canonum spiritu, fuisse etiam licitam.

257. De his ergo duobus superesse forte posset difficultas, non ex eo præcise, quod ibi contrarium aliquid inveniretur prætenso Brevi; ab hoc enim aliisque similibus allegationibus se jam plane expeditum & liberatum confidit Citatus, sed ex eo, quod Decretum Consilii Status, de quo Articulo 18. & sequentibus *Libelli gravaminum*, quantumvis eidem Brevi innixum & subreptitium, per suas tamen in *Responsionem Epistolarem* qualificationes, nescio quam relinquere videatur suspicionem, quasi Epistola Citati saltem in memoratis illis duobus punctis, Juribus S. Sedis & Disciplinæ Ecclesiasticæ adversa foret.

258. Demonstrabitur hoc Capite, quam suspicio ista sit infundata & inanis. Incipiamus a primo puncto.

259. Non diffitetur Citatus se subscripsisse Resolutioni 25. Maji 1717. de qua supra in proœmio §. 1. datæ in favorem Jurium Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini.

260. Putatque Resolutionem illam tam solidis & æquis rationum momentis subnixam esse, ut non sit futurus ullus Canonum Consultus, nisi Jurisprudentiæ Belgicæ inimicus, qui possit illa vel in speciem offendi, imo ei calculum negare; *suppositis* nempe *factis*, pro quibus, ut scitur, non solet in Responsis hujusmodi sponderi.

261. Certe, quod in ea opinione Citati, quæ per dictam Resolutionem asseritur, nihil enorme aut a communi jurisprudentia nostra exorbitans occurrat, vel ex eo colligi potest, quod per sex vel septem annos typis publicis edita fuerit & vulgata antequam passa sit ullam contradictionem, qualem nec hactenus passa est, nisi forte a quibusdam scriptoribus nimium præoccupatis.

262. Sed quod e contrario multorum Eruditorum plausum adepta sit ac plusquam centum in Academia Parisiensi Theologiæ Doctorum, omniumque fere, qui ibi florebant Jurisprudentiæ Professorum suffragio sit confirmata.

263. Primus qui contra eam Resolutionem Doctorum Lovaniensium disputasse scitur, est Auctor Anonymus Historiæ de rebus Ecclesiæ Ultrajectinæ anno 1725. Bruxellis evulgatæ.

264. Quod tamen ille tam leniter & urbane egit, ut satis pateat, nihil ei, quanquam Placitis Ultramontanis deditissimo, ibidem occurrisse, quod videretur exorbitans, aut graviore reprehensione dignum.

265. In eamdem Resolutionem ferocius declamat Auctor Dissertationum Historiæ Ultrajectinæ, quæ sub nomine Canonici Hoynck van Papendrecht edita est Mechliniæ eodem anno.

266. Ut nihil dicam de horrendis calumniis, quibus speciatim Citatus gratis impetitur;

267. Tali arrogantia invadit homo junior

nior Doctores veteranos, Magistros suos, ut non tam *testimonium perhibeat de malo*, quam militariter, ut ita dicam, in faciem eos *cadat*.

268. Sed solatio ipsis sit, quod petulantia istius nec Sanctis parcat in Cælo regnantibus. Neque enim S. Hilarium Arelatensem traducere veretur velut olim ambitiosum, velut *Beatissimi Petri Reverentiam verbis arrogantibus minuentem*, velut insigniter *mendacem*, &c. (pag. 294. col. 2.) nempe in causa, in qua Viri hujus innocentiam miraculis utique comprobatam, & S. Leonis Magni adversus illum præventionem fateri etiam debuerunt, qui Pontificum Romanorum gloriæ maxime dediti fuerunt, ut v. g. Baronius ad annum 445. & 464. Item Binius Tom. 2. Conc. part. 1. in notis ad Epist. xi. Hilarii Papæ.

269. Unde mirari subit quomodo liber ille Papendrechtianus, tantæ dignitatis Præsulum tutelam & approbationem invenire potuerit. Liber, qui cum nihil habeat bonæ doctrinæ aut solidæ rationis, per superciliosum istum suum stilum, per stratagemata & invectivas imponere & triumphare præsumit.

270. Posset Citatus quod asseritur pluribus demonstrare, si esset hujus loci; hoc interim dicere cogitur & breviter indicare, se magis in opinione sua confirmatum esse, ex quo memoratas adversariorum istorum contra se Dissertationes examinavit atque expendit.

271. Famosus Desiderantius, qui pro parte Curiæ Romanæ in Causa hac scripsit sub patrocinio & approbatione solemni Nuntii quondam Coloniensis Cardinalis Bussii, Epocham interitus Ecclesiæ & Cleri Ultrajectini fixerat in morte Rovenii, quæ evenit anno 1651. nempe quod tunc per Pacem Monasteriensem, conclusam anno 1648. Fœderatarum Provinciarum dominium ad potestatem acatholicam transiisset.

272. Verum prænominati adversarii Ultrajectinorum hic mutant arma, illamque Epocham interitus sic anticipant, ut cum obitu Archiepiscopi Schenkii coincidat in annum 1580.

273. Hunc autem prætensum interitum fundandum autumant in revolutione & tempestate illius temporis, qua Catholicorum Templa & Sacra violata, qua reditus & bona Ecclesiasticorum direpta sunt, qua item liberum Religionis Catholicæ exercitium impeditum, ejusque apparatus & splendor oppressus & obscuratus sit. Totalem autem Capituli Metropolitici extinctionem tribuendam contendunt Decreto Acatholicorum, quo Præbendæ omnes in posterum vacaturæ addicuntur Acatholicis.

274. Quibus argumentis quid potest in hac disputatione allegari miserabilius? Quid a spiritu Religionis Christianæ & idea Ministerii Sacerdotalis & Evangelii magis alienum?

275. Quasi vero a parietibus & ornatu externo, a reditibus & præbendis, a pompatico Ministrorum apparatu aut strepitu aliquo forensi dependere possit compago, vigor, aut status vel Cathedra & auctoritas Pastoralis, totaque Disciplina & Jurisdictio Ecclesiastica.

276. Quasi vero *Canonicus* aliud sit quam *nomen officii*, *operis & militia Clericalis*, *non redituum*, *præbendarum*, *aut emolumentorum*, ut scite observavit Guilielmus Parisiensis de Collat. Benef. Cap. 3.

277. Hujusmodi equidem commodis temporalibus & prærogativis externis caruerunt in primis Ecclesia Hierosolymitana primitiva sub persecutione Judæorum. Item Ecclesiæ Gentium, ipsaque Romana omnium Mater & Magistra, dum sub tyrannide trium seculorum eo magis efflorebant quo premebantur magis, quibus & fere similes fuere in exordio suo Ecclesiæ nostræ Belgicæ; atque ipsa Ultrajectensis, quæ ante mille annos Sancti Willebrordi, gloriosissimi sui Apostoli ac primi Episcopi labore & sudore fundata est. An idcirco hæ omnes non fuerunt veræ Ecclesiæ, aut Jurisdictionem Ordinariam non habuerunt?

278. Longe aliter judicavit Innocentius III. dum Episcopum Vercellensem, qui ad Ecclesiam Hierosolymitanam erat electus, sed onus suscipere detrectabat, ita exhortatus est: „ Præterea licet pars „ ipsius Ecclesiæ, quod dolentes referi„ mus, in excidio Terræ Sanctæ capta fue„ rit & ab hostibus trucidata, pars tamen „ quæ manus evasit hostiles, imo etiam „ ipsa

„ ipsa Ecclesia, quæ per novam est sobolem renovata, in Pastorem te sibi expetit. Non ergo de *loco* causeris, cum *personas* habeas, quas gubernes, quia *nomen Ecclesiæ ad personas refertur amplius quam ad locum*. „ Tom. 1. Epistolarum Innocentii III. Num. LXXXVIII. *Gestorum*.

279. Nihil autem intolerabilius quam quod opinionem suam Papendrechtius probare velit per celebrem Clementinam IN PLERISQUE, quam totam in eum finem invertit, affingendo particulæ *nedum* significationem, quam in Decretalibus forte nusquam babet; & in hac certe habere non potest, nisi inepta reddatur & ridicula; quasi scilicet doceret Pontifex, meliori jure Ecclesiis *Clero carentibus & populo Christiano* dandum esse Episcopum, modo illis proventus assignari possint; quam Ecclesiis, quæ proventibus spoliatæ essent, etsi alioquin *Clerum & populum* numerosum semper habuissent, uti hactenus habuit Ecclesia Ultrajectina. Quæ interpretatio tam aperte repugnat omni rationi, ut referri non mereatur, nisi ut pateat adversarios Cleri Ultrajectini nihil habere quod cum aliquo colore respondere possint ad dictam Clementinam.

280. Idem Desiderantius approbante eodem D. Cardinali Bussio, admittit, Sasboldum & Rovenium fuisse veros & proprios Ecclesiæ Ultrajectensis Archiepiscopos seu Ordinarios, quanquam sub peregrinæ Ecclesiæ nomine delitescentes.

281. Hoc autem cum Dissertatores adversarii negare volunt, pulchre semetipsos produnt; siquidem Anonymus. pag. 94. actam profert Consistorialem, qua Sasboldus Clero eligente & instantibus Principibus Belgii, institutus fuit Episcopus, ubi sic legitur: „ Romæ in monte Quirinali die Lunæ 9. Septembris 1602. fuit „ Consistorium secretum, in quo SS. D. „ N. referente Eminentissimo D. Cardinali de Terra-nova, providit Ecclesiæ „ Philippensi in partibus infidelium vacanti „ per translationem Reverendissimi Card. „ de Guerara ad Ecclesiam Hispalensem „ de persona Sasboldi, *cum Decreto quod* „ *non possit exercere Pontificalia, nisi in* „ *Insulis Hollandiæ & Zelandiæ*, &c „. Nempe volunt Sasboldum fuisse Episcopum Ecclesiæ Philippensis, ubi ipsi inhibitum erat exercere Pontificalia, & nolunt eum fuisse Episcopum Ultrajectinum, ad cujus ministerium unice deputatus erat & missus, secundum quod ipsi dictum est in Consecratione: *Accipe Evangelium & vade, prædica populo tibi commisso*. Pontif. Rom. de Consecr. Episc.

282. Circa subsistentiam & continuationem Capituli Ultrajectini hoc etiam notandum quod super illa misceantur quæstiones quædam facti, quantum videtur, superfluæ, attento maxime,

283. 1o. Quod stante tali rerum conditione, qualis accidit circa Ecclesiam Batavam, aut Prælatorum *negligentia*, aut *temporum* lapsus juri non præjudicant Ecclesiarum. Cap. 5. EXT. de *Concess. Præbendæ*. Causa 16. q. 4. Can. *Porro* 14.

284. 2o. Quod Ecclesia particularis, mortuo Episcopo, non amittat jura sibi essentialia, ac speciatim ea, quæ ipsi opus sunt ut se manuteneat.

285. 3o. Quod eadem jura in simili casu soleant commissa esse delectis quibusdam e Clero, ac per eos administrari seu exerceri; qui Delectus Ordinarius perinde est, sive vocetur *Presbyterium* aut *Senatus* Ecclesiæ, ut olim; sive *Capitulum* ut jam passim; sive propter circumstantias aliquas, *Vicariatus*.

286. Neque illud prætermittendum quod memorati adversarii, usque adeo argutiarum suarum & cavillorum infirmitatem senserint, ut cum agant de Missione, ut ipsi aiunt, Batava, nunquam tamen allegationes suas extendere ausi fuerunt ad Capitulum Cathedrale Harlemense, quod eandem tempestatem & sortem cum Ultrajectino expertum est, sive olim ex parte Acatholicorum, sive postea ex parte Curiæ Romanæ.

287. Imo non ita pridem, anno scilicet 1725. visum est quod Lovanii in Actu Licentiæ Theologico Amplissimi D. Philippi Cavelier, idem Candidatus in tribus Carminibus gratulatoriis & alibi compellaretur Canonicus Cathedralis Ecclesiæ S. Bavonis Harlemi.

288. Unde tandem confugere coguntur omnes adversarii Ecclesiæ Ultrajectinæ ad Pla-

Placita Ultramontana apud Belgas nunquam admittenda, de quibus supra Cap. 3. §. 4.

289. Atque in primis ad prætensam illam plenitudinem potestatis, qua Pontifex Romanus Ecclesias & Capitula nutu suo & arbitrio possit extinguere.

290. Qualem potestatem sanctissimi & doctissimi Rom. Pontificum palam repudiarunt ut SS. Leo Magnus, Gregorius Magnus, &c. qualem nullus Canonum vere Consultus agnoscat; nullus Princeps Catholicus in ditione sua executioni mandari sinat.

291. Etenim allegatur ab adversariis Decretum aliquod Rom. de 7. Aprilis 1703. in quo duo *præclara Capitula* Ultrajectense scilicet & Harlemense, qua appellatione anno præcedente Internuntius tum Bruxellensis D. Card. Bussius ea ornaverat, uno stilo Curiæ. perempta jacerent.

292. Quod Decretum, si tamen genuinum sit & authenticum, sicut & alia, quæ in hac controversia contra Ultrajectensem Clerum citantur, latum fuisset extra Patriam, nempe trecentis leucis inde.

293. Latum fuisset parte inaudita & indefensa, & legitimum judicium atque integrum identidem postulante.

294. Merito itaque & vere dixit Citatus se eo magis confirmari in opinione sua de subsistentia Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini, quo magis legit scripta adversariorum.

295. Attendere tamen dignetur Clarissimus D. Judex multa adduci in hoc §. sicut & in sequenti, non eo fine quasi in discussionem causæ Ultrajectensium Citatus hic intrare vellet; sed ideo mere ut evellatur omnis suspicio, quasi de Juribus Ecclesiæ illius aliquid exorbitans & improbabile sustineret; & ut appareat se in hoc casu nihil singulare sensisse, aut nihil insoliti egisse; cum sæpenumero a Jurisconsultis pro Capitulis & Ecclesiis adversus Curiam Romanam respondeatur, non tantum in Belgio & Gallia, sed & in aliis Regnis Catholicis ac in ipsa Italia.

§. II.

Nihil item tale reperiri in iis, quæ Citatus insinuavit in fine suæ Epistolæ circa Consecrationem Archiepiscopi Ultrajectini.

299. Nihil vehementius urget Actor quam quod Citatus in fine suæ Epistolæ videretur approbare Consecrationem Cornelii Steenovii in Archiepiscopum Ultrajectinum, quæ facta fuit sine confirmatione Romani Pontificis, & per unum Episcopum sine dispensatione Romana.

297. Fatetur quidem Citatus secundum disciplinam hodie passim receptam non licere consecrare Episcopum, antequam Romæ impetratæ sint Bullæ Confirmationis, neque consecrationem peragere citra præsentiam duorum Episcoporum assistentium præter Consecratorem, nisi Pontifex in hoc dispensaverit.

298. Fatetur etiam disciplinam istam, etsi quantum ad Bullas confirmationis & dispensationis satis recens sit, religiose servandam esse in quantum fieri potest. Ac profitetur, quod & ipsa Epistola satis indicat se plane improbaturum fuisse dictam Consecrationem, si Clerus Ultrajectinus hanc disciplinam contempsisset aut neglexisset.

299. Verum sciebat Citatus, Clerum istum totos sesquianno omnibus modis institisse, ut istas Bullas confirmationis & dispensationis obtineret, neque ab inslando desiisse, nisi postquam satis superque intellexisset nihil tale a Curia Romana sperandum esse, etsi alioquin a Concordatis Germanicis, sub quibus comprehenditur Ecclesia Ultrajectina, non liceat Pontifici negare confirmationem Episcopo electo, nisi allegando causam legitimam recusationis.

300. Certum porro est apud omnes quod in iis, quæ sunt meræ disciplinæ & institutionis humanæ (uti sunt istæ confirmationes & dispensationes Romanæ) liceat, dummodo adsit urgens necessitas, præterire externum & litteralem rigorem disciplinæ, ut eo melius conservetur illius spiritus & scopus præcipuus, qui est salus animarum.

301. Vetus est Axioma circa moderationem Reipublicæ: *Salus populi suprema Lex esto*. Quod sane in Ecclesiastico Regimine eo ma-

eo magis obtinet, quo pretiosiores sunt animæ Christi Sanguine redemptæ præ salute corporis in hac brevissima vita. Pharisaicum profecto esset & animo Christiano indignum de hujus axiomatis veritate dubitare. Quis nescit in casu morbi ab eo, qui esu carnium indigeret, posse in die Jejunii carnes comedi, etiam sine dispensatione, si non possit haberi dispensatio, vel si ea injuste negetur?

302. Atqui nihil aliud docuit Citatus in fine *Responsionis Epistolaris*, nisi indubitatum illud axioma. Solum hoc est quod *juris* dici possit: cetera *facti* sunt, an scilicet Clerus Ultrajectensis revera esset in casu sufficientis necessitatis. Qua in re etiamsi errasset Citatus, sine crimine errasset. Jurisconsulti veritatem factorum supponunt, neque resolvunt nisi circa jus, quod ex factis resultat.

303. Non negat tamen Citatus, se existimare vera esse, quæ a Clero Ultrajectino exposita sunt facta; idque eo magis quod lectis diligenter scriptis præcipuorum adversariorum istius Cleri, nihil in illis solidi deprehenderit.

304. Sed tamen quidquid sit de illis, non docuit Citatus, nisi supradictum axioma. Hoc autem axioma etiam locum habet circa disciplinam vetustissimam; uti probant non pauca exempla in Epistola Citati prolata, quibus unum addere liceat multorum laudibus celebratum.

305. Refert Theodoretus, inter veteres Ecclesiæ Historiographos nominatissimus(*) tempore Valentis Imperatoris plures Viros sanctos in exilium pulsos fuisse in iisque sanctum Eusebium Episcopum Samosatensem, qui in Thraciam relegabatur; hunc Antistitem, postea Martyrem cum intellexisset non paucas Ecclesias Pastoribus orbatas esse, militarem habitum induisse, & tiaram imposuisse capiti, atque hoc ornatu percurrisse Syriam, Phœniciam & Palæstinam ordinando Presbyteros & Diaconos, aliaque officia sui Ordinis obeundo; quin ubi in Episcopos Catholicos incideret, eos præfecisse Ecclesiis, quæ Episcopum non habebant.

306. Hic si unice inhærendum esset literæ SS. Canonum, eorum plures violasse dicendus esset Vir sanctissimus; quod militarem habitum induisset; quod Ordinationes peregisset in variis Diœcesibus, in quibus Jurisdictionem non habebat; quod Episcopos præfecisset Ecclesiis, quarum Metropolita non erat: sed temporum necessitas hæc ejus gesta non modo excusavit, verum & summopere commendavit.

307. Operæ pretium est referre quid in hunc Theodoreti locum annotaverit Vir eruditissimus Henricus Valesius. „ Quæ „ omnia, inquit, cum sint contraria Le„ gibus Ecclesiasticis, extra ordinem gesta „ sunt ab Eusebio Samosatensi, divino „ Spiritu ad hoc eum impellente, ut Aria„ norum furori obsisteret. Hujusmodi plu„ rima & tunc & alias gesta sunt a præ„ stantissimis Episcopis: qui ubi Christia„ nam Religionem periclitari videbant, „ parvi pendere solebant Regulas & Ca„ nones Ecclesiæ, dummodo Ecclesiam „ ipsam salvam atque integram conserva„ rent. Itaque in hujusmodi discriminibus „ valebat hæc Regula: *Salus populi Lex* „ *suprema esto* „.

308. Si porro dubitari nequeat, quin axioma istud valeat circa Canones vetustissima auctoritate munitos, quis non videat multo magis valere circa confirmationes & dispensationes Romanas, quarum usus non valde antiquus est?

309. Agnoscit quidem Citatus & semper agnovit, Pontificem habere potestatem dispensandi, & dispensationem, de qua hic agitur, ipsi reservatam esse ex hodierna disciplina.

310. Sed valde hospitem in veteri disciplina oporteret esse eum, qui putaret, has Romanorum Pontificum dispensationes & confirmationes semper usitatas fuisse.

311. Singuli Apostoli præficiebant Episcopos Urbibus, in quibus esset satis magnus Fidelium numerus, ut Ecclesia illic posset haberi.

312. A temporibus Apostolorum usque ad Concilium Nicænum, hoc est per duo secula & amplius, non videtur fuisse determina-

(*) Histor. Eccles. lib. 4. Cap. 12.

minata Lex, quæ statueret cui competeret Ordinatio cujusque Episcopi. Aureis illis seculis pro Lege erant simplicitas, humilitas, caritas, quæ non finebant oriri dissidia circa jus Ordinationis, aut nata mox restringebant.

313. Sed pace Ecclesiæ reddita, cum cresceret in dies numerus Episcopatuum & contentiones nascerentur, Concilium Nicænum statuit Can. 4. ut deinceps Confirmatio & Consecratio Electi in Episcopum maxime spectaret ad Metropolitanum, sive Episcopum Urbis, quæ suæ Provinciæ Metropolis esset ex Legibus Imperii Romani; atque ut Metropolitanus ad illud negotium conveniret cum omnibus Episcopis comprovincialibus.

314. Lex ista universim recepta fuit & per multa secula religiose servata. Erat igitur Metropolitani examinare, an Electio Canonice peracta esset, eamque confirmare si nihil deesset. Aut si quid in Electionis forma defuisset, erat Metropolitani judicare cum Episcopis comprovincialibus, an propter Ecclesiæ bonum defectus iste posset dissimulari.

315. Hæc erat vetus disciplina: ita ut spatio decem priorum seculorum vix ullum exemplum reperiatur confirmationis aut dispensationis Romanæ, nisi erga Ecclesias suburbicarias, quarum Romanus Pontifex erat Metropolitanus.

316. Quin ex Corpore Juris Canonici apparet veterem istam disciplinam adhuc passim viguisse, non modo tempore Gregorii IX. sed & sub initio seculi XIV. Videatur titulus de Electione. Ext. in VI. in Clementin. in Extravag. Com.

317. Sed deinceps Curia Romana titulo illimitatæ potestatis, qualis tamen in Belgio non agnoscitur, paulatim plures adhibuit reservationes Episcopatuum, donec tandem per regulas Cancellariæ sibi reservavit provisionem omnium Ecclesiarum Patriarchalium, Primatialium, Archiepiscopalium & Episcopalium, ut hac ratione abrogaret Electiones, & sibi arrogaret jus confirmationis quod ad Metropolitanum spectabat.

318. Malis, quæ ex istis reservationibus oriebantur, mederi voluit Concilium Basileense, instaurando jus commune: sed cum huic rei modis omnibus obluctaretur Romana Curia, tandem descendendum fuit ad Concordata.

319. Interea, ut jam dictum est, quamvis recens sit hæc disciplina, oportet eam servare ubi est recepta. Sed cum in casu necessitatis nonnunquam recedere liceat a littera vetustissimorum Canonum, quanto magis id licet erga disciplinam seu praxim multo recentiorem alienam ab antiquis Canonibus & contra jus commune introductam, si hoc saluti animarum conducat, ac præsertim si prius nihil fuerit neglectum quo etiam litteraliter servari possit moderna disciplina.

320. Hujus rei exemplum circa ipsam confirmationem habetur seculo XII. Ad Episcopatum Ravennatensem electus fuerat Guido de Blandrata. Verum cum Pontifex istum, utpote virum idoneum, Romæ retinere cuperet, nolebat Electionem confirmare: sed Ravennatensibus favente Imperatore Frederico institutus est Guido sine confirmatione; & Ecclesiæ Ravennatensis Archiepiscopus mansit ad mortem usque, hoc est ab anno 1159. ad 1169. Videatur Italia sacra tom. 2. pag. 370.

321. Non alia ibi apparet necessitas, nisi ut pro salute animarum Ecclesiæ suæ servaretur Episcopus idoneus & Canonice electus; etsi forte reperiri potuisset alius non minus idoneus. Sed si hæc necessitatis excusatio usquam locum habere debeat, debet sane in casu, de quo hic quæstio.

322. Quod patere putat Citatus ex sola expositione circumstantiarum. Capitulum Ultrajectinum satisfacere volens juri divino & necessitati, in qua erat Ecclesia ipsorum habendi Episcopum, canonice elegit Steenovium. Et Capitulum & Electus pluries petierunt confirmationem & dispensationem, ut liceret peragere Consecrationem sine Episcopis Assistentibus, qui difficulter adesse poterant. Adhibita sunt omnia media, quæ excogitari poterunt. Nullas preces aut instantias suscipere voluit Romana Curia. Interim Ecclesia Ultrajectina absolute indigebat Episcopo, alioquin brevi interitura. Itaque processum tandem est ad Consecrationem Archiepiscopi, observando ordinem debitum, omne-

omnesque solemnitates, quæ servandæ fuissent, si Romana confirmatio & dispensatio fuissent concessæ.

323. Adeoque non intelligit Citatus, quomodo in hoc casu culpari possit Clerus Ultrajectinus, nisi convellantur tria principia æquissima & summi momenti, nimirum.

324. 1°. Non licere Curiæ Romanæ pro arbitrio suo negare confirmationem Episcopo legitime electo aut designato.

325. 2°. Si tamen contingat eam id negare sine causa canonica, jus esse procedendi ad Consecrationem sine ista confirmatione.

326. 3°. In casu necessitatis Consecrationem licite fieri per unum Episcopum.

327. Hæc porro principia convelli non possunt, quin una convellatur Hierarchia & disciplina Ecclesiastica; quin Respublica exponatur summo periculo, juraque Principum & Ecclesiarum in gratiam Romanæ Curiæ prodantur.

328. Hæc principia abdicare non aliud esset, quam dictæ Curiæ viam ostendere, qua posset pro commoditate sua, integras Ecclesias extinguere, quaslibet prætensiones suas promovere, Principes sibi obnoxios facere, & absolutam dominationem per totum orbem exercere.

329. Neque dici potest hos esse vanos metus aut invidiosas declamationes, siquidem re ipsa pluries hæc media adhibuit Curia Romana: nec per illam stetit quominus tota Regna Episcopis destituerentur; quibus sublatis brevi deficerent Presbyteri omnisque ritus Catholicus.

330. Sic temporibus Henrici IV. Galliæ Regis, occasione sacri Fœderis, quod Galli vocant *la Ligue*, negabat Roma Bullas & expeditiones Beneficiorum iis, qui Regi parebant: unde factum est, ut in Gallia sanciretur, *que la nomination du Roi aux Benefices seroit confirmée par les Eveques*. Mezeray Hist. de France Vie de Henry IV.

331. Sub medium seculi proxime præteriti, fervente Bello inter Hispanos & Lusitanos, Romana Curia hac in parte favens Hispanis, nolebat Bullas confirmationis concedere Episcopis a novo Rege Lusitanorum nominatis, ne videretur eum ut Regem agnoscere. Proximum erat ut omnino Episcopis careret universa Lusitania. Fuerant omnino tredecim initio Belli: ex his post decem annos unicus supererat. Rex suos Theologos & externas etiam Academias consuluit quid in tanto Religionis discrimine agendum videretur. Responsum est a plurimis, necessitatem Episcoporum Juris divini esse, Romanas confirmationes tantum esse institutionis humanæ; ac proinde has posse omitti, si eas negare perseveraret Romana Curia. Ea de re ediderunt Lusitani anno 1649. librum, cui titulus: *Balatus ovium*. Anno sequenti Conventus Cleri Gallicani causam Lusitanorum suscepit, ac nervosam Epistolam scripsit ad Innocentium X. Hæc consilia secuturus videbatur Rex Lusitaniæ; sed Romana Curia hoc metuens, tandem Bullas tandiu negatas concessit.

332. Non diu post, eodem fere loco fuerunt res Gallicæ. Conventus Cleri ediderat anno 1682. Declarationem circa Auctoritatem Concilii Generalis, potestatem Papæ & auctoritatem Regiam, quæ Romæ admodum displicebat. Negavit itaque Bullas confirmationis omnibus, qui in Conventu isto fuerant, & a Rege Episcopi designati erant. Rex interim alios eorum loco designare abnuebat. Quod dissidium cum per aliquot annos durasset, Rex videbatur ex multorum consilio, omissa Romana confirmatione, negotium permissurus Metropolitanis; quod Romana Curia summopere timens, maluit Bullas relaxare.

333. Quin & Augustissimo Imperatori ac Regi nostro simile quiddam contigit, dum circa initia hujus seculi eadem Curia nolebat suam Majestatem agnoscere ut Regem Hispaniæ in Bullis, quas edebat ad providendum Sedibus vacantibus in Regno Neapolitano; quibus proinde Bullis noluit sua Majestas concedere Regium *Exequatur*. Unde, teste ipso Monarcha nostro in Litteris ad Cardinalem Grimani datis 13. Septembris 1708. *Multæ Ecclesiæ istius Regni manebant Episcopis viduatæ, & oves absque spirituali alimonia, idque ex culpa Curiæ Romanæ*: Quocirca profitebatur sua Majestas sese usuram mediis in jure concessis ad obviandum tot incommodis. Non sinebat rerum status in Italia,

ut

ut Roma diutius persisteret in Consilio suo. Sed si perstitisset, tumque Majestas sua dignata fuisset consulere Theologos & Jurisconsultos circa isthæc *media in jure concessa*, an hi piaculum admisissent suggerendo ut prætermissa Romana Confirmatione provideretur Ecclesiis vacantibus ex more veteris Disciplinæ?

334. Si autem nulla veri specie culpari possint Consilia data a tot Episcopis & Theologis in negotiis Lusitaniæ & Galliæ, (quæ consilia etiam locum habere potuissent in Regno Neapolitano) non videt Citatus, qua ratione culpari possit id, quod fecit Clerus Ultrajectinus.

335. Egit enim Clerus iste secundum principia jam exposita, postquam prius adhibuisset supplicationes, instantias & media omnia, quæ desiderari possunt; nihilque obtinuisset a Curia Romana, quæ eos privare in perpetuum studebat jure habendi Episcopum proprium & Ordinarium, qualem habent ceteræ Ecclesiæ Catholicæ. Cum itaque non possent servare Disciplinæ hodiernæ usum ad litteram, quam in Consecratione sui Archiepiscopi servare summopere optassent, studuerunt saltem ei tam prope adhærere ac necessitas sineret, redeundo ad veterem Disciplinam. Non supererant Episcopi Comprovinciales; itaque confugerunt ad viciniores Episcopos: quibus non comparentibus, non restabat alia via quam implorandi auxilium cujuscumque Episcopi, cui satis constantiæ esset, ne Ecclesiæ derelictæ & jamjam perituræ succurrere formidaret.

336. Hoc rerum articulo confugerunt ad Illustrissimum Babylonensem, qui, cum ob negotia propria in Hollandia versaretur, erat secundum corporis præsentiam vicinior, & per se judicare poterat, an Ecclesia Ultrajectina, post annorum plusquam viginti viduitatem, revera esset in casu sufficientis necessitatis, ut tali occasione non liceret Episcopo negare ministerium suum ad Consecrationem Archiepiscopi Ultrajectini.

337. Potuit etiam Vir Illustrissimus consuluisse alios Episcopos & viros doctos, potuit didicisse ex S. Litteris & Ecclesiasticis Monumentis (in quibus eum singulariter versatum esse ostendunt ambæ ejus Apologiæ sacra Eruditione refertissimæ.) (*a*) *Episcopatum* UNUM *esse, cujus a singulis in solidum pars tenetur*. (*b*) *Ecclesiæ Præsulem, non de illa tantum sollicitum esse debere, quæ a Spiritu Sancto illi commissa est, sed etiam de quavis in orbe terrarum constituta*. (*c*) *Limites habere jurisdictionem Episcoporum, sed nullos limites habere caritatem*. (*d*) *Etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias, quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur; tamen præponi omnibus caritatem Christi, in qua nulla simulatio est: nec considerandum quid factum sit, sed quo tempore & quo modo, & in quibus, & quare factum sit*.

338. Si tandem objiciatur Episcopum Babylonensem jam tum fuisse suspensum a functionibus pontificalibus, respondet Citatus hoc non pertinere ad præsentem casum. Nam etsi suspensio ista esset valida & legitima (cujus contrarium Illustrissimus Antistes invicte demonstravit) necessitas tamen defectum illum supplevisset, & ipse interim character est indelebilis. Sic Presbytero suspenso licet absolutionem dare moribundo, si non adsit copia alterius Presbyteri.

339. Solum ergo principium hoc indubitatum de casu necessitatis secuti sunt Clerus Ultrajectinus & Episcopus Babylonensis. Solum hoc est, quod docuit Citatus in calce Epistolæ suæ. Hoc principium si accuset Actor, fidenter dicit Citatus, illum accusare doctrinam Christi & totius Ecclesiasticæ Disciplinæ scopum, quem illibatum servare interest summorum Pontificum, interest publicæ tranquillitatis, interest Ecclesiæ, cujus Principes sunt protectores.

340. Hoc ad summum restaret discutiendum,

(*a*) S. Cyprianus de Unitate Eccles. & refertur Causa 24. q. 1. Can. 18.

(*b*) S. Chrysostom. in S. Eustath tom. 2. novæ edit. pag. 607.

(*c*) Epist. Encycl. Cleri Gall. 10. Febr. 1651.

(*d*) S. Epiphan. Epist. ad Joannem Hierosolymitanum.

dum, an revera in tali casu necessitatis facta sit Consecratio Archiepiscopi Ultrajectini. Hic autem Citato sufficit suum non esse, sed Episcopi Consecratoris & Capituli Ultrajectini de factorum & circumstantiarum veritate respondere.

341. Nec dubitat Citatus quin hoc præstare possint, cum notorium sit quod Roma nullo modo velit ipsis dare Episcopum proprium & ordinarium; & cum nihil fere objiciatur, quin nitatur hac hypothesi, quasi Clerus & Capitulum Ultrajectense non amplius subsistant; cui hypothesi nullus Jurisconsultus assentietur, si æqui amans sit, & controversiæ statum probe intelligat.

342. Porro si negent Curiæ Romanæ administri ullam fuisse necessitatem in isto casu, facile ipsis est adhibere media, quibus Ecclesia in talibus causis semper usa est, videlicet Canonicum causæ Judicium. Hujusmodi Judicium Clerus Ultrajectinus tandiu instanter postulavit.

343. Hæc abunde sufficiunt circa Consecrationem Archiepiscopi Steenovii. Nam de ea pauca valde dixerat Citatus in fine *Epistolæ suæ*, quibus etiam consolabatur Amicum ejusque Collegas, quos una cum defuncto Archiepiscopo & cum Episcopo Babylonensi horrendis conviciis impetiverat D. Damen in sua Dissertatione: quæ convicia recidebant in ipsum Citatum, qui Jura Ecclesiæ Ultrajectinæ suo suffragio comprobaverat; quod & fecerunt tot alii Jurisconsulti & Theologi.

344. Hæc, inquam, abunde sufficiunt, ut Clarissimus D. Judex perspiciat circa dictam Consecrationem nihil ibi a Citato insinuatum esse quod vel per umbram dici posset extravagans aut malæ consequentiæ, imo quæ ibi juris sunt tam esse certa & gravia, ut sine magna injuria institutionis Episcopatus & salutis animarum negari non possint.

345. Advertit, credo, hoc aliquousque Actor; ideoque in *Replica Ulteriore* Tragœdiam suam renovans de Consecratione illa Steenovii facta per solum Babylonensem Episcopum, ibidem addit Articulo 14. *& quidem suspensum*.

346. Sed si per hanc circumstantiam gravabilis putabatur Citatus, sine fundamento tamen, sicut jam supra ostendimus, debuisset Actor inde conficere Articulum specialem in suo *Libello gravaminum* & una probare quod Citatus habuisset specialem notitiam illius suspensionis.

347. De qua & per informationes præparatorias docere debuisset, simulque prætensæ suspensionis proferre instrumentum legitimum.

348. Unde ex omni parte inania sunt, nec ulla attentione digna, quæ de dicta suspensione miscere posset Actor; quia non esse & non apparere hic sunt eadem.

349. Nec conceptibile videtur quomodo audeat Actor in Citatum tantam tempestatem excitare super ista Consecratione per solum Babylonensem Episcopum peracta.

350. Cum videat in illo ipso Brevi, quod totius Actionis suæ fundamentum posuit, nullam adversus solum illum Consecratorem decerni censuram, qui tamen eo nomine multo magis reus esset quam Citatus.

§. III.

Nihil hic a Citato admissum esse quod dici queat scandalosum aut perniciosæ consequentiæ.

351. Articulo 19. *Libelli gravaminum* refertur, quod *Responsio Epistolaris* per Decretum *Consilii Status*, de quo ibidem Articulo præcedente, declarata etiam sit *scandalosa & perniciosæ consequentiæ*.

352. Quæ qualificatio cum contra Citatum nonnunquam in lite impendatur, operæ pretium videtur ut illi etiam specialiter occurrat.

353. Ex superioribus, ac notanter iis, quæ circa Confirmationem & Consecrationem Episcopi in casu necessitatis dictæ sunt liquere jam satis potest in Epistola Citati nihil reperiri, quod de se sit scandalosum & perniciosæ consequentiæ.

354. Sed e contrario modum agendi quo adversus Clerum Ultrajectinum proceditur plenum esse periculi & malæ sequelæ, non solum quoad Ecclesiam, sed etiam quoad Statum publicum.

355. Maxime si attendatur, sicut debet, ad institutionem Christi Domini & ad praxim

praxim Apostolicam, qua particulares per Orbem Ecclesiæ sic constitutæ & fundatæ sunt, ut essent ex sese perpetuæ, haberentque Prælatos ac Ministros ordinarios & fixos.

356. Necnon ad Ordinem Hierarchicum juxta Sacros Canones religiose semper in Ecclesia conservandum, instaurandum, manutenendum.

357. Quapropter si quid hic peccatum esset a Citato quod referri posset ad scandalum aut perniciosam consequentiam, deberet esse ex eo quod illi rei quasi scabrosæ se immiscere non debuisset, nec talia scribere in istis circumstantiis.

358. Verum etsi hic aliquid imprudentiæ admissum esset, nunquid inde ansa desumi posset ad actionem publicam & conclusionem tam severam?

359. Ut autem Citatus in hac etiam parte plane inculpatus agnoscatur, dignetur Clarissimus D. Judex huc rursus revocare ipsas casus circumstantias.

360. Doctor Damen publicat Dissertationem exoticam & turbulentam, ejusque convicia redundant in Citatum, quatenus hic pro Juribus Capituli Ultrajectini pridem responderat.

361. Super hujus Libelli quæstione principali consultus Citatus respondit solide & graviter argumenta suggerens, quibus male turbati animi facile pareantur, nec hactenus culpatur.

362. In fine vero Epistolæ obiter aliquid tangit, sed valde modeste & decenter de negotiis, quæ in omnium ore versantur, & de quibus non erat prohibitum mentem suam aperire.

363. Idipsum quoque fit tum ad consolandum Amicum super atrocissimis dicteriis, tum ad tuendam propriam innocentiam a dicto Doctore turpiter impetitam.

364. Totum autem agebatur per Epistolam privatam.

365. Quid, quæso, etiam in hac parte deliquisse potest Citatus in ratione agendi?

366. Neque dicat quispiam quod de causa illa, utpote odiosa, tacere oportuisset.

367. De eo qui sic loqueretur dubitari in primis posset, an sensum habeat, non dico boni civis & Christiani, sed vel honesti ethnici.

368. Certe se parum nosse ostenderet quale sit munus & officium Doctoris & Jurisconsulti publici æternæ veritatis in Christo Discipuli ac testis.

369. Oportet Jurisconsultum non minus quam Judicem, oculis esse velatis ut personas non accipiat.

370. Oportet eum causis miserabilium & oppressorum opitulari alacrius.

371. Debet ea esse animi fortitudine, ut non timeat vultum potentium, valeatque virtute perrumpere iniquitates, paratus pro justitia agonizare usque ad mortem.

372. Ea autem prudentia & justitia, ut de causis & controversiis non judicet secundum faciem, non secundum vulgi clamores, sed verum judicet judicium.

373. Si quis talis existat vel saltem esse studeat, videbit ille quam sint multæ calumniæ sub sole, & quam pauci consolatores: videbit quot technis, artibus & coloribus innocentia & justitia ab aliis dire opprimatur, multis sæpe præter intentionem cooperantibus, ab aliis vero turpiter deseratur.

374. Hæc autem advertens erit-ne mirum, si quandoque causas odiosas suscipiat; vel censendus erit propterea reprehensione dignus?

375. At Citatus, inquies, abstinere debebat a causa, quam ignorare non poterat Romanæ Curiæ displicere.

376. Quis est in Belgio Jurisconsultus aut Judex, qui hoc observare possit, nisi velit in Belgio peregrinam & novam prorsus Jurisprudentiam exercere.

377. Jam enim supra vidimus nihil esse communius in hac Patria quam causas & lites eo modo defendere & dirimere, qui non possit non displicere Curiæ Romanæ: neque aliter fieri potest stante Jurisprudentia Belgica, sive vigentibus hic Patriæ Legibus & Ecclesiæ Canonibus.

378. Ceterum tantum abest ut contra tranquillitatem publicam aut commune bonum videatur, si Doctores secundum professionem suam & dictamen conscientiæ, Consultoribus suis dent responsa cordata.

379. Ut nihil e contrario ad pacem & commodum Reipublicæ & Ecclesiæ magis conferre possit, quam hujusmodi prudentum studia

ſtudia atque conſilia, cum per hæc uterque ſtatus feliciter regi ſoleat, ſine bis autem miſere confundi & turbari.

380. Unde talium virorum libertatem aut vocem conſtringere foret ſaluti Orbis, quæ Inde pendet, velle nocere.

381. Exigere ut ſe quibuſcumque Reſcriptis Romanis vel Decretis & Cenſuris extra Patriam latis conformarent, eſſet evertere legem Placiti aliaſque ſimiles, quas Principes & populi fere omnes non minus quam Belgæ ad conſervandam pacem, quietem, & libertatem ſuam ſumme neceſſarias judicarunt, ut ab Auctoribus paſſim obſervatum eſt, qui de hac materia ſcripſerunt, & ex ipſis Principum noſtrorum Edictis evidens eſt.

CAPUT QUINTUM.

Oſtenditur Decretum Conſilii Status annexum Libello gravaminum ſub N. 3. nullam vim habere poſſe in hac cauſa.

§. Unicus.

382. Cum adverſus Citatum vehementer urgeatur Decretum Conſilii Status in lite exhibitum, idque non ſolum in Libello gravaminum, ſed & in Replica Articulo 63. & Seq.

383. Hinc cogitur Citatus pro ſua defenſione, quædam circa idem Decretum obſervare, ſalva quæ debetur illi Conſilio reverentia & obſervantia; eritque tribuendum Actori ſi quid forte hic attingatur minus grati.

384. Non potuit Actor in Epiſtola Citati allegare aliquod verbum vel in ſpeciem injurioſum in S. Sedem, ut demonſtratum eſt ſupra Capite 3. §. 1.

385. Nec argui poteſt Citatus ullius contemptus ex eo quod ipſius Epiſtola in uno aut altero puncto diſſentire inveniretur a prætenſo Brevi Romano de 11. Februarii 1725. in lite exhibito & in ipſo Decreto Conſilii Status reclamato: patet hoc ex Capite 3. §. 2. & 3.

386. Multo minus in punctis illis admiſſis aut in reliqua tota Epiſtola Citati invenire eſt aliquid ſcandaloſum aut pernicioſæ conſequentiæ, ut colligitur ex Cap. 4.

387. Hinc patet quod Conſilio Status ſit ſubreptum quando forte ipſi fuerit ſuggeſtum, quod Citatus eſſet Auctor impreſſionis, vel quando caſus rerumque circumſtantiæ minus ſincere expoſitæ, aut verba Epiſtolæ ipſius ſiniſtra interpretatione, interpolatione, contorſione depravata fuerint, quemadmodum hic in Libello gravaminum factum eſſe vidimus.

388. Quod tanto tunc facilius ita tentari potuit, quia prævidebatur non futurum ut Citatus prævie audiretur.

389. Quidquid ſit, Decretum illud Conſilii Status in hac cauſa nihil operari poſſe, nec omnino attendi, evincent conſiderationes ſequentes.

390. Quia præſens Actio unice & privative inſtituta eſt vi Decreti Magnifici Domini Rectoris, ut patet ex Libello gravaminum Articulo 23.

391. Vult autem illud Decretum ut agatur ſervato juris ordine reſpectu *Reſponſionis Epiſtolaris* ad onus Citati.

392. Ex quo ſequitur quod in hujus Actionis ex auctoritate Rectoris Magnifici unice intentatæ progreſſu & deciſione abſolute & indiſpenſabiliter obſervari debeant Stilus, uſus, ſtatuta & Leges Univerſitatis Lovanienſis.

393. In quam rem etiam facit Epiſtola ſeu Decretum Majeſtatis ſuæ Imperialis & Catholicæ datum Viennæ 21. Decembris 1726. ab Actore productum cum ulteriori Replica.

394. Siquidem per Decretum illud ordinatur ut Sereniſſima ſua Celſitudo curaret Actionem inſtitui ad onus Citati *devant ſon Juge competant de l'Univerſité de Louvain, ſervato juris ordine.*

395. *Pour y être fait droit ſuivant les loix du pays & Canons de l'Egliſe.*

396. Jam vero prima & præcipua Lex Patriæ habet, unumquemque in quavis cauſa tractandum eſſe per Sententiam & via juris coram Judice ſuo competente ſecundum ſtatuta, jura, & Conſuetudines loci.

397. Quam legem fundamentalem Majeſtas ſua Cæſarea & Regia in Inauguratione Ducatus Brabantiæ jurejurando aſſeruit bonis Civibus, ejuſdem Ducatus Incolis.

398. Sic

398. Sic enim sonat primus Articulus læti illius Introitus: (*a*) *In den eersten dat zyne Majesteyt hen goedt, gerecht, ende getrouwen Heere zal zyn, ende egeen kregt ofte wille aen hen doen, laeten oft gedoogen te geschieden in eeniger manieren, en dat ziine Majesteyt die buyten vonnisse en rechte niet handelen en zal, noch laeten handelen, maer alle zijne Prelaeten, Godshuysen, Baenrotsen, Edele en goede luyden ende ondersaeten van zijne Steden, Vryheden en Landen van Brabant, ende van Overmaeze, handelen en doen handelen in alle saeken met vonnisse ende met rechte naer den Rechten van Steden ende banken daer dat behooren ende schuldigh zyn zal te geschieden, en dat die Rechteren van Zijne voorsz. Majesteyts landen hunne gerechten zullen moeten houden sonder eenig middel van uytsetten by hunnen ocsuyme, gebreke of toedren, behoudelijk dat de voorsz. Rechteren, hunne genechten van heerlijkheydt wel eens sullen mogen uytsetten, ende niet meer.*

399. Huic Articulo etiam conformis est Articulus primus Litterarum additionalium Philippi Boni de data 20. Septembris 1451. & 28. Novembris 1457. quæ Litteræ in omni læto Introitu diserte renovantur & confirmantur Articulo 58.

400. Est autem tenoris ut sequitur: (*b*) *In den eersten dat wy alle onse goede lieden ende onder saeten ende elken besondere van onse vryheden ende lande van Brabant sullen handelen ende doen handelen in alle saeken met Vonnisse ende met Rechte naer der rechten van de Steden en Banken, daer ende alsoo dat van outs heeft behoort, ende schuldigh zal zijn te geschieden sonder daer mede eenighsints te worden gedissimuleert, ende sonder dat wy die saeke met onse Brieven, oft anders elswaer sullen doen vertrekken, doen schorssen, oft langer dan een genechte van heerlijkheden doen oft laeten uytsetten, in eeniger menieren.*

401. Similiter juramentum, quod Majestas sua gloriosissime regnans ad normam gloriosæ memoriæ Prædecessorum suorum in Inauguratione sua præstare dignata est, formæ hujusmodi: (*c*) *Dat den zelven Keyser en Koninck zal wesen godt Aministrateur*

(*a*) Premierement que Sa Majesté leur sera bon, équitable & leal Seigneur, & qu'Elle ne leur laissera, ni souffrira être fait en façon quelconque aucune force ni volonté, & que Sa Majesté ne les traitera ni laissera traiter hors de droit à sentence, mais qu'Ella traitera & fera traiter tous sec Prélate, Maisons Dieu, Barons, Nobles & bonnes genc, & sujats de ses Villas franchisec, & Pays de Brabant & d'Outremeuse, en toutes choses par droit & sentence suivant lec droite des Villes & des Banes où il appartiendra & devra être fait. Et que les Juges dudit Pays de Sa Majesté seront obligé de tenir leurs jours de plaids sans aucun moyan de delay, par leur negligence, faute ou cooperation, sauf que lesdits Juges pourront bien une foie sane plus delayer laurs jours de plaids de Seigneurie.

(*b*) Premiarement que nous traiterons & ferons trairer nos bonnes gens, & sujets, & chacun d'eux en particulier en toutes affaires par voie de droit & par sentence, selon le droit des Villes & Bancs, la & ainsi qu'il a appartenu d'ancienneté, & devra être pretiqué sans dissimulation quelconque, & sanc que par nos Lettres, ou par d'autres pove lerons divertir ailleurs ces affaires, ni ne les suspendrons, differerons, ou ferons differer plus long-tems qu'un jour de plaids en quelque meniere qua ce soit.

(*c*) Que ledit Empereur & Roy sera bon Administrateur de Justice & fidel Prince du Duché de Brabant & des Habitans d'icelui presene & à venir, & que Sa Majesté ne leur fera aucune force ni violence, ni souffrira ou permettra qu'aucune leur soit faite, & que Sa Majesté ne les régira que selon droit & justice, meis gouvernara & treitera en toutes affaires tous & checuns sujets des Villes, franchises, villages & touc autres sujete du Pays de Brabant en corps & biens par justica & sentence, ainsi que salon les statuts, droite du Pays & coutumes il se devra faire, & que Sa Maiesté gardera aux Prélats, Monasteres, Maisons-Dieu, aux Barons, Chevaliers, Nobles, Villes, Franchises, villages & tous ses sujets dudit Pays de Brabant en general & en particulier, tous leurs Droits, Privileges, Franchises, Treités, Ordonnances, Statuts, coutumes & observances, &c. jurés & confirmés, & lesquals ils ont & dont presentement ils jouissent en general & particulier; & tout ce qu'au contraira pourroit y être changé, entraint ou innové, Sa Majesté Impériale & Catholique le reparera & remettra en son premier état; & Se Majesté observera fidelement, fermement, sans infraction ou contravention tout ce que prédit est & chaqua en particulier, & ne souffrira ni permettra qu'il y soit contrevenu en aucune maniere. *Ainsi m'aide Dieu & tous ses Saints.*

teur der Justitie, goedt ende getrouwen Prince van het Hertoghdomme van Brabant, ende van de ingesetene dessels die 'nu zijn ende naemaels wesen sullen, en dat Zyne Majesteyt hen geen gewout ofte kraghte aendoen zal, nogh eenighsins leyden ofte toelaeten dat hen 't selfde aengedaen worde, en dat Zyne Majesteyt hen niet regeren en zal dan naer Recht ende Justitie, maer in alle saeken hen allen, ende een iegeliike van de ondersaeten van de Steden, Vryheden, ende Dorpen, ende alle andere ondersaeten van den Lande van Brabant zal regeren ende tracteren in liif ende goedt met recht ende vonnisse, geliik naer de statuyten, landt-rechten ende costuymen behooren zal, en dat Zyne Majesteyt zal onderhouden den Prelaeten, Cloosteren, Godshuysen, den Baenderheeren, Ridderen, Edelen, Steden, Vryheden, Dorpen, en alle zijne ondersaeten des voorschrevens Lands van Brabant in't generael ende in 't particulier alle heure Rechten, Privilegien, Vryheden, Tractaten, Ordonnantien, Statuyten, Gewoonten, ende Observantien, &c. gesworen, en geconfirmeert ende die zy tegenwoordigh hebben, houden ende gebruyken in 't generael ende in 't besonder, ende allen 't gene wesser contrarie verandert, ingebroken, ofte geinnoveert soude mogen zijn, dat zal Zijne Majesteyt repareren, ende stellen in zijnen eersten staet, ende allen 't gene des voorseyt is, ende elk besonder zal de zelve Zijne Majesteyt getrouwelik, vast, en sonder infractie ofte contraventie onderhouden, noch en zal gedoogen, nogh toelaeten, dat hier tegens in eeniger manieren gecontravenieert worden: Zoo helpt my Godt en alle zyne Heyligen.

402. Cum itaque in vim Mandati Cæsarei ab Actore producti, in præsenti Causa jus dici debeat & procedi secundum Leges Patriæ, sequitur quod indispensabiliter observari hic debeant ea, quæ in læto Introitu & in formulari juramenti præscribuntur.

403. Ex quo ulterius habetur extra omnem dubitationem esse, quod nec directe nec indirecte ad onus Citati in hac causa allegari possit dictum Decretum Consilii Status de 12. Septembris 1725.

404. Neque fas esse Judici ut ejus intuitu moveri se sinat ut aliter judicet quam faceret si Decretum istud non existeret.

405. Quod proinde hac in causa respectu Citati a Judice considerandum est veluti non emanatum.

406. Hoc autem extra omnem controversiam & dubitationem esse evincitur per has duas rationes peremptorias.

407. Prima in eo est quod idem Decretum latum sit Citato prorsus inaudito, adeo ut ipsius respectu latum sit *buiten vonnis, Reght en Justitie*, & consequenter, ut minus respectu ipsius, sit plane nullum, inane, & irritum.

408. Potuit autem Citatus commode audiri, quia ut audiretur instantissime, ut in lite dictum est, flagitavit.

409. Porro quod in *ulteriore Replica* dicatur Citatum tunc noluisse se fateri Auctorem dictæ Responsionis Epistolaris, dicitur ineptissime.

410. Quomodo enim fassus fuisset se Auctorem esse Scripti, cujus ne quidem inspectionem tunc potuit obtinere.

411. Vel putat-ne Actor quod Consilium Status a Citato exigere potuerit, ut illud pro suo agnosceret antequam Exemplar delatum ipsi ostensum fuisset?

412. Prudentior in hoc casu debuisset esse Citatus memor Sycophantiæ Desirantiæ, memor item imposturæ Govartianæ.

413. Certe si voluisset Consilium Status serio scire an Citatus esset Auctor dicti Scripti, nihil erat facilius quam ipsi petenti concedere inspectionem, vel ipsum ad hoc interpellare, ut postea factum est ex Mandato Cæsareæ suæ Majestatis.

414. Altera ratio quare Decretum Consilii Status respectu Citati hic considerandum sit veluti non emanatum, est quod idem Decretum, quantum attinet Citatum, certissime latum sit a Judice incompetente; siquidem in confesso est Judicem competentem Citati quoad hanc causam non esse alium quam Rectorem Magnificum, ut patet vel ex ipsis verbis Mandati Cæsarei antedicti, *Devant son Juge compétant de l'Université de Louvain*.

415. Hujus autem Judicis competentis notorium officium est, ut per se cognoscat de Epistola Citati in finem ut judicare possit, an contineat aliquid pœna dignum.

416. Quandoquidem constet quod qui ratione

tione certi delicti habendus est Judex competens respectu alicujus Personæ, idem etiam sit Judex competens respectu illius delicti debeatque de eodem cognoscere & judicare.

417. Inauditum etenim est quod aliquod Tribunal quantumcumque eminens judicaret duntaxat de qualitate delicti, alteri autem mandaret meram cognitionem facti & determinationem pœnæ faciendam secundum qualitatem criminis a priori Tribunali declarandam.

418. Nimirum juxta jura quorumcumque Tribunalium & Curiarum hujus Ducatus Brabantiæ, necessum est ut omnia Judicia & maxime criminalia sint indivisibilia.

419. Utque in uno & eodem Judicio Reo integræ maneant omnes suæ exceptiones tam juris quam facti.

420. Hoc ergo fixum manet & indubitatum quod memoratum Decretum Consilii Status hac in causa non possit habere locum, sed reputari debeat velut non existens.

421. Porro plane insulsum est quod ab Actore prætexitur, quasi scilicet hoc Decretum Consilii Status confirmatum foret per illud Cæsareum de 21. Decembris 1726.

422. In primis enim non agit Cæsar de isto Decreto Consilii Status, nisi tantum narrative, cum narrativa protrahatur usque ad ista verba: *Je veux bien faire cette a VOTRE ALTESSE.*

423. Quod autem præscribitur in Dispositiva, nempe *VOTRE ALTESSE sera proceder contre la Personne dudit Docteur van-Espen devant son Juge compétant en conformité de la resolution & Decret du 12. Septembre de l'année passée*, *servato juris ordine*, nullo modo respicit prædictum Decretum, quo decernitur laceratio.

424. Quia in primis non dicit Augustissimus Cæsar: *En conformité dudit Decret*. Quam particulam relativam *dit*, quæ semper usurpatur quoties de eodem instrumento fit sermo, indubie adjecisset. Sed absolute dicit: *En conformité de la Resolution & Decret*, &c.

425. Deinde ineluctabiliter evincitur, in Dispositiva sermonem esse de alio quodam Decreto, quandoquidem in ea de tali Decreto fiat sermo, quod imperaret Actionem ad onus Citati, servato juris ordine instituendam. Nihil autem prorsus de hujusmodi Actione reperire fit in Decreto isto laceratorio.

426. Adeo ut Dispositiva certo referatur ad Decretum aliquod aliud quod Consilium Status eadem forte die tulisse potuit, qua datum est illud Decretum laceratorium.

427. Et re ipsa visum est quod circa idem tempus Actor ad onus Citati inceperit informationes præparatorias circa Responsionem Epistolarem, quamvis non perrexerit.

428. Ceterum tantum abest ut Majestas sua Cæsarea confirmare voluerit Decretum Consilii Status, de quo quæritur, ut illud jam modo ex parte correxerit, quatenus scilicet nullam facit mentionem Brevis non Placetati, quo tamen idem Decretum tantopere nititur.

429. Quid igitur, inquies, intendit Majestas sua per dictum suum Decretum de 21. Decembris?

430. Vult in primis ut Citatus inspectionem capiat *Responsionis Epistolaris* præferentis ipsius nomen, ut eam agnoscat vel non agnoscat.

431. Vult præterea ut si a Citato agnita fuerit, ex hoc capite agatur contra Citatum, eo quod ipsi persuasissent, *Responsionem* illam *Epistolarem* esse injuriosam, scandalosam & perniciosæ consequentiæ, nullum tamen de hac re ferendo judicium.

432. Sed eam unice mittendo ad Tribunal Justitiæ, ut ibidem legitime & debite examinetur, *servato juris ordine*.

433. Nihil itaque adversus Citatum præjudicat hic Cæsar, sed vult ipsi dare plenam defensionem in judicio libero atque integro.

434. Et quidem tali quod exerceatur, non ex præjudiciis externis, non ex Placitis aut Decretis peregrinis, sed secundum Leges Patriæ et Ecclesiæ Canones.

435. Neque aliud sane in recursu suo ad Cæsarem Citatus expetiverat, quando supplicavit ut non obstante dicta ordinatione Consilii Status cursus justitiæ ordinarius ipsi libere pateret, ut in legitimo judicio honorem suum ac famam defendere posset.

436. Ni-

436. Nihil item aliud cavit Citatus in Declaratione sua in lite producta, qua agnovit Epistolam, de qua quæstio, quando ibidem contestatus est, se confidere fore ut haberet in legitimo judicio omnes suas defensiones & exceptiones liberas & integras.

437. Unum superest, nimirum quod dictum Decretum Consilii Status, licet extra judicium & causam præsentem sepositum, hic tamen forte considerari posset tanquam Responsum Prudentum.

438. Circa quod rogatur Clarissimus D. Judex ut dignetur attendere, quod cum nulla allegetur ratio juridica, super qua opinio Consiliariorum fundata esse possit, hic mere consideranda veniat auctoritas personarum.

439. Et quidem cum quæstio esset circa Jus Canonicum & Disciplinam Ecclesiæ, non ægre, credo, ferent Magnanimi Viri Equestres, si in hac parte primæ tribuantur Dominis Collegis suis Togatis.

440. De his autem deberet Actor ostendere quod omnia suffragia fuerint conformia, aut declarare quinam steterint pro Decreto, ut ex fama peritiæ ipsorum fieri posset conjectura, an & quousque præponderare deberet suffragiis in contrarium forte latis.

441. Quo casu tamen & illa rediret consideratio, quod judicium procederet ab Auctoritate præventa, cum nullo modo voluerint Citatum audire.

442. Post omnia quis dixerit, quid Consiliarii illi, qui in condemnationem consenserunt Responsionis Epistolaris, talis qualis lacerata est, nempe typis editæ cum Præfatione ista: quid, inquam, senserint de Citati facto quateuus Auctor est resolutionis per modum Epistolæ privatæ ad amicum conscriptæ?

Quidquid sit, notum est quod judicium Prudentum non possit esse fundamentum Actionis, multo minus criminalis.

CAPUT SEXTUM.

De Conclusione Actoris.

§. I.

Quam immerito exigat pœnas.

443. Non esse pœnæ locum ubi delictum non est, nec ipse Actor inficiabitur. *Pœna* enim *sine fraude esse non potest ff.* de Verb. Signif.

444. In Resolutione autem juridica, de qua quæritur, data per modum privatæ Epistolæ, familiarem habentis conclusionem, nihil a Citato peccatum esse, idem Actor conspicere potuit ex Actis & Actitatis hujus litis, in qua Citati innocentia vindicata planeque asserta elucet.

445. Ut prorsus immerito & sine ulla justitiæ specie pœnas in Citatum exigat.

446. Quod eo minus tolerabile est, quod hoc se jactet facere secundum Leges Patriæ,

447. Maxime cum nullam adhuc legem Patriam attulerit, quam Citatus prævaricatus fuisset, nec ullam assignaverit pœnam, quam Lex patria inferret Citato.

448. Ex hac enim impotentia clarissime evincitur, quam infundate egerit & concluserit ad onus Citati, & simul quam insons & ab omni Culpa immunis sit Citatus.

449. Placuit nihilominus crimen inferre Citato.

450. Arguitur enim Contemptus & aspernationis prætensi Brevis SS. Domini Nostri.

451. Ex quo inferre fortasse tentabunt Citatum impegisse in Decreta concernentia Religionem & Disciplinam Ecclesiasticam, quæ Decreta Leges Patriæ voluerunt esse sancta.

452. . . . . Sed quænam quæso ista sunt? Nunquid Breve in lite productum, de quo jam probatum est quod nec vim Legis aut Decreti habeat in Belgio, quod sit suspectæ fidei & ad minus sub-& obreptitium & ne quidem in forma probante productum, ac tandem defectu publicationis a Citato inculpabiliter ignoratum.

453. Nullum equidem Contemptum inferri

ferri per actum Citati cuilibet sensato compertum erit.

454. Insuper Citatus Breve istud nunquam confutavit, nec ullo modo elevavit auctoritatem ipsius.

455. Quin nec nominavit quidem iis in locis, quos Actor per Articulos suos accusat.

456. Nec mentionem ejus fecit nisi honorabilem, citando illud pro confirmatione suæ sententiæ, argumento, ut ajunt, ad hominem.

457. Unde nemo diffiteri poterit quod hoc in casu melior multo sit Causa Citati quam Doctoris Damen.

458. Hic enim potius Brevis illius contemptor dicendus foret.

459. Cum ediderit Libellum, Dissertationem de numero Episcoporum, in quo opinionem sustinet plane exoticam, dicto Brevi, & quidem in puncto dogmatico, repugnantem; nempe circa validitatem Consecrationis Episcopalis ab uno solo Episcopo peractam.

460. Et hoc fecit postquam idem Breve legisset, & examinasset.

461. Quin & in ejusdem Libelli additione non dubitat sibi Breve illud obiicere, ejusque auctoritatem hac in parte elevare.

462. . . . Nihil simile prorsus commisit Citatus.

463. Ad summum dissensit a Brevi in quæstione & causa particulari, quæ pluribus factis complicata est.

464. Doctor Damen dissensum illum suum sustinet adversus Auctoritatem Brevis, quod agnoscit scripto publico evulgandum.

465. Ubi Citatus in Epistola privata dissensum suum in Quæstione facti modeste & amice insinuans, ne quidem opponit Brevi:

466. Adeoque si sola Justitia moveat Actorem, agere potius deberet adversus Doctorem Damen & approbatorem De Quareux.

467. Et nihilominus in Citatum Actor supra modum incenditur, dum Doctor Damen cum suo Approbatore multa pace frui finitur.

468. Utut est nihil in tota Citati Epistola designare est, quod prætensum hujusmodi contemptum Sanctæ Sedis, aut quidquam seu Religioni, seu Disciplinæ Ecclesiasticæ adversum vel per umbram præ se ferat.

469. Nisi forte, ipsis Patriæ Legibus ac Juribus spretis, prætensiones Curiæ Romanæ Religionis pallio ut sæpe fit, hic jam quoque obtendantur, quo Citatus Religionis reus constituatur, ob ea nempe, quæ in Epistola aliqua privata & Resolutione Canonica prætensionibus istis contraria inveniri contingeret.

470. Hoc si est, jam de Juribus & Legibus Belgicis, jam de libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum actum est.

471. Jam nulli amplius Jurisconsulto adversus Curiæ Romanæ placita aut Decreta qualiacumque sive genuina, sive falsata, hiscere liceat; idque sive de juribus Principum, sive de libertatibus Ecclesiarum, sive de Causis Oppressorum & Innocentium agatur.

472. Jam de ingenuorum animorum honesta libertate conclamatum est; jam rursus Belgis subeundum erit terribile illud Inquisitionis jugum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus; & a quo Sapientia & Clementia Principum nos feliciter liberaverat.

473. Jam *Veniam dabit Corvis*, *vexabit Censura Columbas*.

§. II.

Quam immerito hic exigantur Censuræ.

474. Conclusio Actoris non solum pœnas exigit, sed etiam Censuras *secundum sacros Ecclesiæ Canones*.

475. Magno animo amplectitur Citatus, sicut in omni vita fecit, Ecclesiæ Canones *Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos*.

476. Quos & Principum nostrorum Edictis commendari supra Cap. 3. §. 3. indicavimus.

477. Et quibus Belgicarum Ecclesiarum Libertates & jura ex majori parte inædificata sunt.

478. Illos præterea speciales libenter admittit, quos Usibus suis & Legibus, quasi in Codicem suum Belgica retulit.

 479. Ete-

479. Etenim secundum tales & non alios hic jus dici oportere, & res ipsa loquitur, & Cæsaris mandato, de quo supra, comprobatum est.

480. Per quos igitur hujuscemodi Canones demonstrabit Actor in casu Citati materiam esse censurarum?

481. Quid hic egit aut scripsit Citatus, quo sacros Canones tam enormiter violarit, ut Censuras evadere non possit?

482. Censuræ sunt extrema remedia, quæ juxta Concilium Tridentinum Sess. 25. Cap. 3. de Reform. parce admodum & caute adhiberi debent.

483. In Jure Ext. Cap. 1. *de Maledicis* contra formales contemptores Auctoritatis Pontificiæ decerni jubetur duntaxat pœna aliqua, non Censura.

484. Censuræ ferri non possunt nisi sint ante comminatæ a jure vel ab homine: hic autem nihil simile.

485. Breve ipsum nullam Censuram comminatur, nisi contra solum Ordinatum Cornelium Steenoven: quæ ibi dicuntur circa suspensionem, non sunt nisi comminationes pœnarum Juris.

486. Nulla quoque hic species esse potest Libelli famosi in gravissima, modestissima & privata Resolutione, quæ desinit in Epistolam familiarem.

487. Nam monere rursus liceat, Citatum in materia impressionis ne accusari quidem.

488. Tantum autem abest ut Citatus sibi a SS. Canonum Disciplina in hac parte timeat.

489. Ut e contrario in iis recte intellectis præcipuum defensionis suæ præsidium collocaverit.

490. Quin imo nec ullam summorum Pontificum Decretalem recte adducet Actor in gravamen Citati, qua Censuram aliquam meruisse probetur.

491. Quanquam ceteroquin, nulla Decretalis etiam in Corpore Juris clausa vim Juris habeat in Belgio, maxime in Criminalibus, nisi recepta sit & comprobata.

492. Adde quod Cæsarea sua Majestas hic jus dici mandaverit non juxta Decretales, sed juxta Sacros Ecclesiæ Canones.

493. Ad quos etiam Actionem suam in hac parte Actor exprese restrinxit, concludens ad pœnas & Censuras *secundum Sacros Ecclesiæ Canones*.

CAPUT SEPTIMUM.

Irregularitas hujus processus & nullitas, quæ ex eo oritur; & ea quæ inde sunt consectanea.

§. I.

Irregularitas ex defectu Informationum Præparatoriarum.

494. Primaria irregularitas processus Criminalis consistit in defectu Informationum præparatoriarum.

495. Agitur hic contra Virum honoratum via Citationis personalis.

496. Citatio autem personalis est species quædam apprehensionis, quia Citatus personaliter habet Civitatem seu locum, in quo Judicium exercetur, quasi pro Carcere; ex quo proinde illi exire non licet, & si exeat carceri mancipandus venit; ita ut taliter Citatus teneatur in Judicio stare pede ligato licet vinculo laxiore.

497. Citatio personalis & reatus inde profluens infamat, ita ut Citatus personaliter arceatur ab obtinendis dignitatibus & honoribus, fertque modum comparendi Viro honorato acerbissimum.

498. Unde jura maxime sollicita fuerunt ne temere ad ejusmodi Citationes personales procedatur.

499. Volunt præmitti plenas & exactas Informationes præparatorias de ipso delicto ejusque qualitatibus & circumstantiis.

500. Volunt ut ex Informationibus saltem semiplene constet de Auctore delicti.

501. Volunt denique ut Officiarius easdem exhibeat Judici, qui iis visis decernat Citationem personalem, si ratione Criminis & personæ materiam ad hoc dispositam invenerit.

502. Hæc omnium pene moribus obtinent, sed nihil magis in eo perspicuum quam Edicta & Instructiones Criminales Belgicæ.

503. Lætus Introitus hujus Ducatus Brabantiæ Articulo 54. diserte vetat ne quis boni nominis & famæ invadatur aut appre-

prehendatur, nisi Officiarius Loci ceperit plenam informationem suspicionum delicti, ob quod eum invadere aut apprehendere intendit.

504. Amplius & disertius stringit Edictum perpetuum anni 1611. Articulis 38. & 39. dum processum in ordine ad Citationem personalem hoc modo ordinat: „ *Que* „ *l'information soit bien & duement prise* „ & icelle *vue par le Juge*, s'il en apert „ au moins *par demie preuve* ou vehe„ mente suspicion, le delinquant soit con„ stitué prisonnier, ou adjourné compa„ roit en personne selon le sujet de mesu„ ses & qualité de l'accusé. „

505. Deinde statuit pro generali Regula. „ Neanmoins afin que l'innocent ne soit „ injustement travaillé, nous defendons a „ tous Officiers.

506. Præterea ne innocenti struatur Calumnia citationem restringit ad tres tantum Casus: „ Sçavoir qu'il soit trouvé en „ present méfait, que les Juges aient dé„ creté prise de Corps ou adjournement per„ sonel *sur les informations préparatoires* „ *par eux vues* ou bien par accusation & „ à l'instance de partie formée és lieux où „ qu'elle est reçue.

507. Verum ne dubium aliquod in hac causa moveri possit quantum ad ultimum de parte formata, sciendum hanc in Brabantia locum non habere, saltem ut procedi in eo casu possit ad Citationem personalem sine informationibus præviis, quia in primis obstat prædictus Articulus 54. Læti Introitus, qui generalis est, tum & repugnant ordinationes Consilii Brabantiæ, quæ Articulo 118. sub tit. de Officio Fiscali, statuunt, quod ubi quis de delicto vel excessu accusatur, Procurator Generalis super eis se informare debebit expensis Denuntiatoris & informationes præsentandæ erunt Senatui ut super iis detur provisio prout juris.

508. Sed nihil religiosius & magis conspicuum est quam Statuta hujus Universitatis ipsumque Juramentum Actoris.

509. Statuta hæc sub tit. de Promotore Universitatis ita sonant: „ Omnium & „ singulorum abusus, excessus, transgressiones „ & delicta quæcumque Domino Rectori „ denuntiet, sine exceptione cujuscumque „ aut dissimulatione: nullam contra quem„ quam præparatoriam informationem ca„ piat aut judicialiter procedat, vel a li„ te cœpta desistat sine jussu Domini Re„ ctoris. „

510. Statuti hujus causa in promptu est, quod vel per ipsas informationes præparatorias graviter lædatur fama inquisiti, quam iræ, vindictæ vel avaritiæ alicujus Promotoris Universitas permittere æquum non censuit.

511. Huic statuto conforme est juramentum Promotoris, quod & ipse Actor præstitit in admissione ad Officium suum. Habetur in eodem libro Statutorum sub præfato tit. de Promotore in initio, ex quo extractum ita sonat: „ Ego N. juro „ ad Sancta Evangelia quod *Officium Pro*„ *motoris* secundum *Statuta & Ordinatio*„ *nes* Universitatis facta seu facias, facien„ da, seu faciendas diligenter & fideliter „ exercebo: Quodque *nullam* causam con„ tra *aliquem* incipiam nisi de excessu, & „ delicto, aut saltem de fama fuero *pe*„ *ne* informatus. „ Unde vel supra ipsa prætensa fama plene etiam informandum fuisset, an nimirum non proveniat a malevolis & maledicis, sed a providis & honestis, uti volunt jura in Cap. 24. Ext. *de Accus.* quod sine testibus haberi non potest.

512. Unde ad hoc optime reflexit Vallensis noster in Paratit. ad tit. *de Accusat.* §. 4. num. 4. „ quod de tali fama prove„ niente non a malevolis & maledicis, sed „ a Viris probis & honestis *constare etiam* „ *debet ex Actis* & ex ipsa informatione, „ alias inquisitio impugnari posset. „ Nec mirum quia Judex non potest aliquid agere ex privata sua scientia, nihilque scire debet aut attendere, nisi quod in actis descriptum reperitur.

513. Profecto nullas plane Informationes præparatorias hic intervenisse colligit Citatus.

514. 1°. Ex brevissimo intervallo, quod intercessit inter mandatum ad agendum ab Actore exhibitum una cum Libello suo gravaminum sub num. 5. quod est de data 11. Febr. 1727. & inter Decretum Citationis personalis, cujus executio est de 12. ejusdem. Et sic intervallum esset vix unius diei, quo brevi spatio tot Informatio-

nes

nes fieri non potuissent super tot indiciis factisque, prout requirebat materia: de quibus latius infra.

515. 2°. Ex eo quod tot tantæque informationes non potuissent fieri sine notabili strepitu, qualis Lovanii eo tempore animadversus non fuit.

516. 3°. Colligit Citatus defectum Informationum ex eo quod in Decreto Citationis personalis nulla fiat mentio Informationum, quod Stilus tamen requirit, cum Decretum Citationis personalis juxta præfatos Articulos 38. & 39. Edicti perpetui, decernendum sit a Judice visis informationibus & super iis.

517. Videbit indubie Clarissimus Judex hunc defectum ex ipsis Actis, ubi informationes, si quæ sint, primo loco apparere debebunt cum fundamentum totius processus esse debeant, uti sequenti §. ostendetur.

518. Unde Judicio Clarissimi Domini Judicis relinquitur ut discipiat an processus hic conveniat cum prædictis juribus, statutis & ipso Juramento Actoris, & an talis irregularitas sustineri possit, dum omnibus his neglectis processum est ad hanc infamantem actionem contra Virum honoratum, Presbyterum, Jubilarium, seniorem Doctorem hujus Universitatis, &, absit verbo jactantia, etiam scriptis celebrem.

§. II.

Ostenditur nullitas processus ex defectu Informationum præparatoriarum.

519. Nullitas hæc ex prædicto defectu Informationum optime tractatur a Carolo Fevret, *Traité de l'abus Livre VIII. Chap. 3. nomb.* 1. ubi ita ait: *L'Information est la base & le fondement du procès Criminel, comme le Libelle l'est du procès Civil L.* Libellorum de accusat. *de même qu'en Civilibus on n'a pas accoutumé de commencer par l'exécution, lors qu'il faut venir par Action, aussi au Criminel, on ne vient pas d'abord à la Capture, & il faut qu'il y ait information & decret precedent, autrement le procedé de l'Official est declaré abusif, n'étant pas permis de commencer par l'Arrêt de la personne, si ce n'est que le delinquant soit surpris en flagrant délict. Les Juges d'Eglise étant tenus d'observer les formes qui se pratiquent ès Cours seculieres en l'instruction des procès Criminels, si un Official commençoit le procès criminel d'un Prêtre ou autre Ecclesiastique* ab Interrogatione *avant aucune information préalable, il y auroit abus.* „

520. Et in eorum confirmationem adducit tria Arresta Gallicana super similibus processibus: & in primis in Casu Officialis Abrincissensis, Vulgo *Avranches*, qui processum extraordinarium inceperat per Interrogatoria, Responsiones, Repetitiones Rei; & super Confessionibus ejus de Simonia, super qua diffamatus erat, per Sententiam eum privaverat suo Beneficio.

521. In Casu similiter cujusdam Prioris Claustralis, qui per modum Judicii declaraverat aliquem ex suis Religiosis excommunicatum ante ullam Informationem.

522. Pariformiter in Casu alterius Officialis Abrincissensis, qui processum criminalem inceperat ab interrogatoriis, & super Confessione Presbyteri accusati eum declaraverat privatum suo Beneficio, & condemnaverat in emendam viginti quinque Imperialium ad opus Regis.

523. Qui processus & Sententiæ via provocationis tanquam ab abusu per Arresta Parlamentorum respective Rothomagensis & Divionensis fuerunt declarata nulla & abusiva, & tanquam talia cassata & annullata.

524. Famosus practicus Bort *in zyn Tractaet van Criminele zaeken* tit. 4. Num. 39. & 40. hisce plane conformis est, dum ait: (*a*) *Alsoo de goede naem ende faem van per-*

(*a*) Comme les procedures criminelles ne peuvent se faire sans porter un grand préjudice au nom & à la réputation des personnes; & que deplus il arrive rarement que ceux qui dénoncent les crimes, le fassent par zele pour la Justice & pour le repos public, mais que c'est communément la haine,

persoonen zeer wert gegraveert door criminele proceduyren, dat mede delicten selden werden ex zelo Justitiæ publicæque quietis amore aengebracht, maer gemeenelyk ex odio, vindicta, propriique lucri vel quæstus gratia, soo moet, die gene die Amptshalven aenbevolen is op alle voorvallende delicten te passen, ende goede sorgen te draegen, ne cum maximo Reip. detrimento crimina maneant impunita, ook zeer voorzigtigh zyn ontrent soodaenighe zaeken, ende zig op de gelegentheidt ende Circumstantien van het feyt, *ten minsten summierelyk* informeren, al voren eenige proceduyren by de handt te nemen, *Waeromme oock by het* 19. *Art. van de Instructie van den Hove van Hollant, expresselyck is gecaveert in regart van de Procureur Generael van den selven Hove, dat den selven niemant en zal vermogen in proces te betrecken, ten zy by informatie precedente tegens de gene die hy in Rechten betrecken wil, ende wert ten dien insichte* informatie precedente, oock genoemt Actus primus, *quo contra delinquentem proceditur, Bavo in praxi & Theor. Criminal.* §. inquisitio *Num.* 2.

525. *Ende zyn soodaenige preparatoire ende precedente Informatien by de welke ex fama publica vel aliis indiciis veluti per delatores, per fugam alicujus (nam sine indiciis & suspicionibus præcedentibus, atque diffamatione non licet ad inquisitionem procedere, Bavo in prax, & Theor.* Crimin. §. inquisitio *Num* 22. *cum seqq.* Gars. *Mastril. de Magistrat. lib.* 6. C. 7. *Num.* 10. *Alsoo men geen delicten behoort te gaen zoeken, maer de zelve aen den dagh komende, op de waere gelegentheyd van dien 't inquireren) summatim duntaxat inquiritur in Crimen ejusque Auctorem*; soo noodtsaekelyck, essentieel en fondamenteel *in* Criminele *proceduyren, dat nul ende van onwaerden is, alle 't gene tegens ymant, sonder eenige preallable informatien, tot desselfs laste wert in Criminele saeken by de handt genomen, ten waere ymant waere bevonden op de beete daet, ofte dat eenige parthyen over den misdadigen klaegden (hoc tamen non obtinere in Brabantia ostensum est §. precedente) en is dien volgende by 't Hof van Hollant* van allen oude tyden verstaen, *dat een apprehensie die geschiedt sonder precedente Informatie*, soo nul is, dat de zelve door volgende informatien niet en kan werden geconfirmeert; *maer heeft* altyt *het Hof* in sulcken gevalle belast de gevangenen te relaxeeren; *Apologie van de Groot Cap.* 13. *ontrent het eynde, add. Dambouder Pract. Crim. Cap.* 12. *Num.* 2.

526. Nec mirum cum contra jura sit pro-

---

ne, la vengeance, le propre interêt & l'appas du gain qui les y porteet, ceux qui sont chargés par leur Emploi de veiller sur les delits qui se commettent, afin d'empêcher qu'au grand détriment de l'Etat, les crimes ne demetrsut impunis, doivent aussi user de beaucoup de prudenee en ces sortes d'affaires, & s'informer aumoins sommairemsot de *l'occasion & des circonstances du fait avant d'entamer aucunes proceduret*. C'est pourquoi il est marqué expressément dans l'Instruction da la Cour d'Hollande (Art. 19.) au sujet du Procureur Générsl de la même Cour, qu'il ne pourra traduire en Justice qui que ce soit, sans avoir fait précéder des informations contre celui auquel il veut intentsr procès. De là vient qu'on appelle aussi ces *informations préalables l'Actus primus* du Procès contre le delinquant. Bavo in praxi & Theor. Criminsl. § *Inquisitio* Num. 2.

Et ces sortes d'informations préliminaires & prépsistoires, par lesquelles, sur le bruit public ou d'autres indices, tels que les délations, la fuite d'une personne, on recherche sommsirement le crime & son autsur, (car sans indices & suspicions précédentes & sans diffamation il n'est pas permis de proceder à ces recherches: Bavo in prax. & Theor. Crimin. §. *Inquisitio* Num. 22. cum. seqq. Gars. Mastril. de Magistrat. lib. 6. C. 7. N. 10. : puisqu'on ne doit point aller au devant des délits, mais saisir l'occasion propre pour en informer lorsqu'ils viennent à se produire;) ces informstions, dis-je, sont si *nécessaires*, *essentielles* & *fondamentales* en fait de procédures criminelles, que tout ce qui auroit été entrepris dans une affaire de estte nature, à la charge d'une personne, sans informstions préslables, seroit nul & de nulle vslaur; à moins que cette personne n'eut été surprise en flagrant délit, ou qu'il n'y eut des parties qui eussent porté des plaintes contra le coupabla (ce que nous avons fait voir néanmoins dans le §. précédent n'avoir point lieu en Brabant). Aussi la Cour de Hollande a t elle eu *anciennement & de tout tems pour maxime*, qu' une apprehension faite sans information précédente est *tellement nulle, qu'elle ne peut être confirmée par les informations subséquentes*, mais la Cour en pareil cas a toujours ordonné de relacher le prisonnier. Apologie de de Groot C. 13. vers la fin; Ajoutsz, Damhouder Pract. Crim. C. 12 N. 2.

processum, & sic operari debeat Regula Juris: Quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi. Cap. 64. de Reg. Juris in 6.

527. Maxime vero in Actione Criminali, ubi Actor derivat suum Ministerium a Rep. & a Jure, estque quasi ejus mandatarius ad prosequendam punitionem Criminum: Instructiones, Statuta, ipsumque Juramentum ejus sunt forma Mandati, quam sequi debet: Mandatarius autem si formam mandato suo præscriptam non sequatur, imo si formam sibi prohibitam assumat, nihil agit, nisi quod se ipsum prævaricationis reum faciat.

528. Unde nullitas, quæ in hoc processu occurrit, referri potest ad nullitatem ex defectu mandati, quæ talis est, ut, licet moribus hodiernis regulariter non admittatur nuda querela nullitatis, idest, nisi pars etiam conqueratur de iniquitate & injustitia, uti Doctores & Practici passim *ad tit. C. quando non sit provocare necesse;* Tamen omnes excipiunt ab eo nullitatem ortam ex defectu Citationis, Jurisdictionis, vel *mandati*, de quibus recte dicit Zypeus in jura Pont. tit. *de Judiciis Num. 6.* „ Si quid a falso Procuratore „ Judiceve incompetente fit, qui Auctoritatem non habent agendi vel decernendi, „ non tantum in forma agendi peccatur, „ sed & in Materia; unde ex nihilo nihil „ fit. „ Ubi fundamentum deficit, necesse est ut totum ædificium corruat.

§. III.

Occurritur Excusationi, quam Actor adversus hunc Defectum Informationum obtendere posset ratione prætensa Confessionis factæ per Citatum.

529. Actor Articulo 22. Libelli gravaminum posuit & allegavit quod Citatus ad interpellationem Actoris ipsi factam de mandato Cæsareæ suæ Majestatis fassus sit se esse Auctorem prædictæ Responsionis Epistolaris de 4. Junii 1725.

530. Articulus præfatus plane est a veritate alienus.

531. Cum Responsio illa Epistolaris sit scriptum impressum continens quidem Epistolam Citati, sed præterea & præfationem ipsumque titulum, aliaque, quæ juxta ipsam actam Citatus non admisit.

532. Interim hac prætensa Confessione putavit Actor causæ suæ sufficienter provisum, sed perperam, ut ex dicendis, uti confiditur, mox patebit.

533. Quidquid enim de ea sit, certum est quod similis Confessio extrajudicialis non possit Actorem liberare ab onere capiendi Informationes.

534. Quia ipsa judicialis Confessio, quæ tamen longe altioris ordinis est, in Criminalibus non sufficit, nisi adjuvetur probationibus.

535. Hoc jure communi decisum est in *lib. 1. §. 17. ff. de quæst.* Ubi dicitur: *D. Severus rescripsit Confessiones Reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio Religionem cognoscentis instruat.*

536. Idque praxis Criminalis hodierna religiose servat & ideo etiam requirit Informationes præparatorias, quibus Rei confessio fulciri in eum eventum posset.

537. Et in eo fundata indubie fuerunt Arresta §. præced. ex Fevret citata, quibus defectu informationum, & non obstante confessione judiciali, processus, de quibus ibidem, cassati & annullati fuerunt.

538. Imo non solum in Confessione judiciali, sed multo magis in extrajudiciali confessio debet esse nuda & simplex, qualis non est ea, quæ continetur in Instrumento exhibito per Actorem una cum Libello suo gravaminum sub Num. 4. ut mox dictum est.

539. Imo vero nullum crimen fassus est Citatus, sed tantum factum indifferens, nimirum quod scripsisset privatam aliquam Epistolam ad amicum, in quo si prætendat Actor consistere crimen, debuisset super prætensa illa qualitate criminis cepisse Informationes.

540. Crimen enim duo requirit, nimirum & factum & dolum malum, quorum alterum si deficiat, deficit crimen seu ejus natura.

541. Pro cujus uberiori intellectu, quantum ad præsentem materiam attinet, distinguendum inter crimina, & facta ex quibus resultant.

542. Pri-

542. Primo dantur facta, quæ sunt de se illicita & habent malitiam intrinsecam, ut sunt homicidia, furta, sacrilegia, seditiones &c. quæ sunt de genere prohibitorum.

543. Secundo dantur talia, quæ possunt bene aut male fieri, innocenter aut culpabiliter geri.

544. Quantum ad ea, quæ sunt primi generis; nimirum de genere prohibitorum, informationes circa factum & præcipuas ejus circumstantias dici possunt sufficere, non solum quia factum de se illicitum est, sed etiam quod qui ei dat operam præsumitur esse in dolo.

545. Verum quantum ad ea, quæ sunt secundi generis, idest, ad facta, quæ possunt bene vel male fieri, non eadem est ratio: malitia enim, quæ in talibus argui potest, cum non sit ei intrinseca, aliunde ipsi accedere debet, nimirum a dolo & animo malefaciendi.

546. Igitur in tali casu non solum Actus sed insuper dolus, seu animus malefaciendi probandus est, quia dolus non præsumitur, sed probari debet, juxta commune axioma, quilibet præsumitur bonus donec contrarium probetur, fundatum in Cap. fin. Ext. *de Præsump.*

547. Si dolus malus in Judicio probari debeat, de eo consequenter ante Judicium informandum est, & quidem juxta l. 6. C. *de Dolo*. Dolus ex Indiciis perspicuis probari debet, & sic super Indiciis hujusmodi inquirendum est, sive super iis capiendæ informationes præparatoriæ.

548. Facilis est horum applicatio ad præsentem casum & materiam.

549. Certe factum, de quo hic quæstio, nulla ratione potest dici de se illicitum, cum, prout jacet & in Judicium deductum est, sit tantum Epistola aliqua privata scripta ad Amicum, in qua Actor non potuit designare vel unum convicium, dicterium, verbum aliquod injuriosum aut irreverens in S. Sedem aut quemcumque alium, etiamsi specialiter ad simile quid designandum fuerit provocatus.

550. Deinde Actor satis ostendit se in animo convictum de Innocentia Citati aut saltem de indifferentia hujus Actionis seu facti, dum ut colorem aliquem induceret huic suæ vexatoriæ actioni recurrere debuit ad falsificationem Brevis Apostolici, sive ejus tituli, & inscriptionis, verba Citati falsitatibus exaggerare, malignis interpolationibus exulcerare, uti patet ex Articulis 10. 11. 12. 13. 14.

551. Et quod amplius est, prætensus Contemptus, in quo solo prætensum crimen collocat Actor, non consistit nisi in frivolis quibusdam illationibus, quas tamen scit aut scire debet Actor, in ejusmodi causis criminalibus non admitti ubi factum & dolus solummodo attenduntur; ita ut ne quidem lata culpa dolo æquiparetur.

552. Itaque nihil in confesso unquam fuit nisi res indifferens, quæ potest innocenter fieri: Certissime talis non est, quæ sit de se illicita aut de genere prohibitorum, quia nullibi prohibitum est amico petenti mentem suam aperire super negotiis temporis Epistola aliqua privata, eamque urbana aliqua salutatione & felici apprecatione concludere, sine cujusquam injuria aut convicio.

553. Debuisset proinde Actor probare & maleficium & dolum, sive animum malefaciendi in Citato: alias enim nihil agit, cum non constaret de delicto, sed de actione seu facto aliquo indifferente, quod in criminalibus favore Rei interpretandum foret in bonam partem.

554. Proinde debuisset Actor ante Institutionem hujus ignominiosæ actionis super prætenso dolo & sinistro animo malefaciendi sufficientes informationes cepisse, easque Judici exhibuisse, cum in eo consistat basis totius processus, & sine iis non possit dici, quod de excessu vel delicto fuerit plene informatus, uti juxta juramentum suum esse debebat, antequam ad similem Actionem Criminalem prosiliret.

555. In quo Citatus ei quasi viam monstrabat per præfatam suam Responsionem ad interpellationem factam per ipsum Actorem exhibitam una cum Libello gravaminum sub Num. 4., in qua Citatus declarabat quid in scripto Responsionis Epistolaris, de quo quæstio, ad se pertineret, quid vero non, quo habito tranquille dispicere poterat quid ad recte fundandam intentionem suam sibi deesset, & super iis informationes suas præparatorias dirigere poterat & debebat.

556. Denique quomodo ab evidenti calumnia se excusabit Actor dum sine ullis informationibus præparatoriis audet Libello suo gravaminum ab Articulo 10. usque ad 15. Citatum gravare,

557. 1°. Quasi super Brevi illo Apostolico consultus fuisset, uti prætendit Articulo 10.

558. 2°. Quod electionem & Consecrationem Cornelii Steenoven per dictam suam Epistolam *deprædicasset* validam & justam, uti fecit Articulis 11. 12. 13. & 14.

559. 3°. Quod *propterea exhortatus* fuerit illum ut pergeret pascere eum, qui in eo erat, gregem, ut falsissime asseritur Articulo 15.

560. Et plura alia, de quibus in acta Responsionis vel Instrumento præfato, ne vel minima umbra confessionis apparet, nec ipso textu Epistolæ, de qua hic quæstio, ulla apparentia reperitur, uti quilibet non præventus vel ex primo intuitu judicabit.

561. Nec Citatus confessus est Breve Apostolicum, de quo hic quæstio, hic in Belgio habere vim Legis, fuisse placetatum aut publicatum, aut se aut eum, ad quem scripsit, obligare saltem tanquam mandatum; aut Citato aut illi, cui scripsit, in forma legitima ad eum finem fuisse intimatum.

562. Nec confessus est Citatus quod ille, ad quem scripsit, sit ex iis qui curam animarum aut commissionem accepissent a Cornelio Steenoven: his tamen solis per Breve, de quo quæstio, prohibetur ne curam pastoralem exerceant. Quo jure itaque prætendit Actor deducere contemptum Brevis ex eo quod *propterea fuisset exhortatus*, ut pergeret pascere eum, qui in eo erat, gregem, uti falsissime accusat Citatum præfato Articulo 15. cum Breve illud non concernat nisi eos, qui pastoralem curam accepissent a Cornelio Steenoven.

563. Hæc tamen omnia sunt essentialia prætenso delicto & sine quibus natura & ratio delicti non subsistit, & cum nihil hic sit in confesso, prætensa confessio Actorem excusare non poterat quo minus ante institutionem infamantis hujus Actionis necessarias Informationes caperet, sine quibus dici non poterat, juxta Juramentum suum, plene informatus de delicto aut etiam de fama, cum delictum non esset nisi Chimericum seu Phantasticum.

§. IV.

Occurritur excusationi, quam adversus eundem defectum obtendere posset Actor ex Litteris & Mandatis Cæsareis.

564. Multum ubique hujus litis gloriatur Actor super mandato quodam sacræ Cæsareæ & Catholicæ suæ Majestatis Domini nostri Clementissimi, quo instructus ad instituendam hanc Actionem processisset: licet tamen Articulo 77. suæ Replicæ declaret se non directe agere virtute mandati Cæsarei, sed virtute mandati Magnifici Domini in lite exhibiti.

565. Nescitur itaque quo tendat hæc ejus gloriatio, nisi forte ad hoc ut speret fore ut sub umbra augusti hujus nominis omnes ejus irregularitates obtegantur.

566. Vel etiam ut Judici terrorem incutiat, eoque modo, si fieri possit, præveniat, ne ad exceptiones Citati & media defensionis ejus animum applicare audeat, eoque tendere videntur ejus asserta Articulo 72. & 73. suæ Replicæ; nimirum quod Citatus puniendus veniat sine nova discussione Responsionis Epistolaris aut contentorum in ea.

567. Ut & Articulo 27. Ulterioris Replicæ, dum prætendit Judici non esse licitum a mandatis prædictis recedere.

568. Gratulandum est Actori quod tandem dicta sua schedula ulterioris Replicæ mandata illa Cæsarea proferre voluerit, quibus ut lucente sole tenebræ, ita discutiuntur omnia, quibus Actor quasi pulverem oculis offundere nititur.

569. Unde ut vel omnis apparentia alicujus legitimæ excusationis irregularitatis hujus processus, quam Actor ex prædicto mandato Cæsareo obtendere posset, ipsi eripiatur, aliaque, quæ ex eisdem prætendit, evertantur.

570. Qui Juris prævaricationem prætextu mandati Principis excusare prætendit, talia mandata exhibere debet, quæ sint clara, diserta, & præcisa, quæ clausulam continent

nent Juri derogatoriam, aut nullam dubitationem relinquant de mentione Principis, & enixa ejus voluntate: Quia Princeps præsumitur velle jura observari, aut pro casu occurrente novum jus velle condere maxime in Brabantia juxta lætum Introitum ad cujus observationem Imperator jurejurando se adstrinxit uti ante ostensum est Cap. V.

571. Nihil vero hic simile est, imo plane contrarium.

572. Augustissimus Imperator in præfato suo mandato disertissime Regiam suam voluntatem declarat, ut procedatur, *servato Juris ordine*, & juxta leges Patriæ; si ab iis exorbitet Actor, vitium ejus est non voluntas Imperatoris.

573. Si itaque juxta ordinem Juris & Leges Patriæ prævie ad Institutionem processus criminalis requirantur plenæ vel saltem sufficientes Informationes præparatoriæ, eas etiam præmissas voluisse censendus est Imperator.

574. Si juxta Juris ordinem & Leges Patriæ confessio quædam sit in se defectuosa, insufficiens, & ita juxta Juris ordinem & Leges Patriæ non sit attendenda, eam juxta prædictum suum mandatum non esse attendendam censendus est velle Imperator.

575. Utrumque in hoc casu occurrit, uti jam ostensum est: perperam proinde Actor in excusationem adduceret mandatum Augustissimi Imperatoris, per quod modus ejus agendi potius improbatur.

576. Minusque præsidii est in eo quod Mandatum illud ferat, ut omni diligentia & promptitudine procedatur, *servato Juris ordine*: Hoc enim non excludit necessitatem Informationum præparatoriarum, quas Juris ordo & Leges Patriæ requirunt tanquam fundamentum & basim totius processus criminalis, & tanquam primam manum, quæ ei apponi debet.

577. Qui mandat omni diligentia & promptitudine ædificandam Domum juxta Regulas Architecturæ, potest ne censeri mandare ut ædificetur neglecto fundamento?

578. Imo vero satisfaciebat Actor mandato Cæsareo simul ac Informationes capiebat: ab iis enim incipit processus, & diligentiam & promptitudinem suam præstitisset, dum sine mora iis capiendis animum admovebat.

579. Ita ut notorie ex omni parte frigida esset excusatio ex hoc mandato Cæsareo, si quam ex hoc capite Actor vellet prætendere.

580. Denique vidit Actor similia mandata quantumvis urgentia non obstare quominus Informationes præcedere debeant.

581. Dum antehac ad urgentissima Mandata Consilii Status, de quibus hic ante Cap. V. adversus Citatum incepit capere informationes, sed quæ per oppositionem Eugenii Verhulst, & litem desuper secutam non processerunt.

582. Denique minus Actori præsidii est in Mandatis Cæsareis quantum ad decisionem hujus Causæ.

583. Manifesta est mens Augustissimi Imperatoris ut jus dicatur juxta Leges Patriæ, juxta quas omnia Judicia hic sunt indivisibilia, & ad idem Tribunal eundemque Judicem spectare debet tota cognitio tam Juris quam Facti, uti hic ante ostensum est Cap. 5.

584. Ut proinde hic attendi non possit Decretum aliquod Consilii Status ab Actore exhibitum una cum Libello gravaminum sub Num. 3. idque ob rationes hic ante allegatas dicto Cap. 5.

585. Cui non obstat, sed potius plurimum favet Mandatum Augustissimi Imperatoris, de quo hic agitur; quia in eo non habetur quod jus dicendum sit juxta dictum Decretum Consilii Status, sed juxta Leges Patriæ.

586. Quæ voluntas Cæsarea de Legibus Patriæ tanquam conformis juri & juramento religiosissimo, quod ipse præstitit clara & manifesta, explicare & elucidare debet, si quid in reliquo textu ejusdem mandati, obscuri aut minus clari occurreret.

587. Itaque confidit Citatus sufficienter ostensum esse quod tota hujus causæ cognitio tam Juris quam Facti ad Tribunal Rectorale pertineat.

588. Et consequenter quantum ad præsentem materiam de necessitate præviarum Informationum Judicio Clarissimæ Dominationis vestræ relinquitur dispicere, an factum Citati, de quo hic quæstio, dici possit de se illicitum, an vero factum de se indifferens, ita ut ante omnia Actor debuisset informare de dolo & animo male-

lefaciendi, de quo in præsenti Cap. §. 3.

589. Idque independenter ab incompetente Judicio Consilii Status quod sua dicta declaratione non potuit facto de se indifferenti inferere intrinsecam malitiam, neque factum quod tribus mensibus ante præcesserat efficere de numero prohibitorum.

§. V.

Primum consectaneum ex præmissis: Quod Actor admitti non possit ad probandum, & ita Citatus ab ejus Impetitione sit absolvendus.

590. Cum juxta præmissa nullitas hujus processus sit evidens, inexcusabilis, & insanabilis, sequitur sub correctione, in hac causa ulterius non esse procedendum, quia ubi basis & fundamentum deficit, nihil est quod exstruatur.

591. Ac proinde ex defectu Informationum præparatoriarum non posse admitti ad probandum super factis, quæ post Citationem personalem ad onus Citati plane temerarie deduxit. Nullitas enim apprehensionis & Citationis personalis orta ex defectu prævíarum Informationum tanta est, ut ne quidem per supervenientes informationes possit validari, uti recte notat Petrus Bort, aliique ab eo citati hoc Cap. §. 2.

592. Causæ enim criminales earumque instructio plurimum differunt a civilibus.

593. In Civilibus partes admittuntur ad probandum super factis allegatis, licet nullis documentis earum afferta fulciantur: quia nulla Jura dictas partes ad hoc adstringunt.

594. Verum in criminalibus, quæ inchoantur ab ignominiosa citatione personali, non eadem est ratio; jura enim, quæ curam habent honoris & famæ, volunt præmitti legitimas informationes, quibus instructus Actor paratus ad ipsum limen Judicii venit, ne temere quis molestetur.

595. Ideoque ordinationes Consilii Brabantiæ Articulo 456. uti & ordinationes aliorum Tribunalium, ubi confessio non est sufficiens, non admittunt Officium Fiscale simpliciter ad probandum, sed ordinant primo ut recolantur & reexaminentur Testes.

596. In hac vero causa ubi nullæ sunt informationes, quomodo recolentur testes, qui nec sunt nec unquam fuerunt in rerum natura, quomodo reaudientur qui nunquam fuerunt auditi?

597. Ita ut jam Actori amplius locus non sit probationibus & productionibus Testium, quibus sibi viam ipse præclusit.

598. Proinde temeritati & præcipitantiæ suæ id imputare debet.

599. Itaque cum delictum duo requirat, & factum & dolum; nihil autem hic ex Actis resultet nisi factum aliquod indifferens, nec Actor probaverit dolum; nec ad illum probandum amplius sit admissibilis, cumque *Consilii non fraudulenti nulla sit obligatio* l. 47. ff. de R. J.

600. Sequitur quod in causa hac ulterius non sit procedendum, nisi ad absolutionem Citati, quam vel ex hoc solo capite obtinere deberet, juxta commune Axioma: *Actore non probante Reus absolvitur, etiamsi nihil præstiterit.*

601. Et pro eo faciunt ea, quæ hoc Cap. §. 2. adducta sunt, ubi vidimus Auctores Petrum Bort, aliosque ab eo Citatos, uti indubitatum ex constanti praxi asserere quod, quando defectus in Informationibus reperitur, apprehensus debeat relaxari.

602. Uti & Arresta citata a Fevret per quæ, ubi de earumdem Informationum defectu constabat, processus ulteriores fuerunt declarati nulli, & ut tales cassati.

§. VI.

Secundum Consectaneum: Quod Actor condemnandus sit in expensas reservata Citato Actione injuriarum & ad damna, & interesse.

603. Quamvis magnus sit favor Actoris publici, qui nomine publico punitionem Criminum prosequitur, ita ut non facile in expensas condemnetur, quia propter Officium ejus præsumitur a calumnia alienus.

604. Verum cum hoc tantum fundetur in præsumptione, quæ per contrarias probationes elidi potest, si deprehendatur dolose & calumniose, & aliter quam Officium Actoris publici requirit, processisse, non solum condemnatur in expensas, sed etiam

etiam in damna & interesse; imo quandoque pœna pecuniaria, vel etiam corporali, pro ratione calumniæ & Judicantium Religione plectendus est. Tradit *Groenwegen*, de Legibus abrogatis & Auctores ab eo Citati ad l. 1. C. *de his qui accusare non possunt*.

605. Nec mirum, quia grave & perniciosum delictum est, potestate publica abuti in alterius perniciem; & sicut Officium ejus sacrum est, ita talis ejus abusus ad sacrilegium referri potest.

606. Certe in toto hoc processu evidens apparet & dolus & calumnia Actoris.

607. In primis in notorio & non bene excusabili defectu informationum præparatoriarum, de quo toto Cap. præsente.

608. Obligatur enim ex Jure Edictis & Statutis hujus Universitatis; quin ex proprio juramento abstinere ab intentanda omni Actione criminali adversus quemcumque, nisi prævie plene fuerit informatus de delicto aut fama.

609. Unde hæc arguunt malam fidem & dolum juxta Regulam Juris: *qui contra Jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere*. l. 82. de Regulis Juris in 6. atque adeo in dolo esse præsumitur.

610. Quanto magis qui mercatur non solum contra Jura; sed etiam contra proprium juramentum, cujus semper memor esse deberet.

611. Alterum est & consistit in falsitatibus, malignis interpolationibus & additionibus, quibus textum Epistolæ, de qua hic agitur, voluit exulcerare, de quibus supra.

612. Hæc omnia asserere absque ullis informationibus, absque ulla apparentia de viro honorato Presbytero, seniore hujus Universitatis, Doctore Jubilario, res est indigna Actore publico, præsertim Academico, qui invitus ad accusandum Viros hujusmodi deberet accedere, non quærere delicta ubi non sunt.

613. Ex quibus etiam liquet Actorem non processisse amore Justitiæ & boni publici, sed ex odio personæ vel aliis sinistris affectibus contra Officium boni ministri publici, qui aures, oculos, & mentem clausa & obfirmata habere debet adversus omnia, quæ inducere possint ad ea, quæ Justitiæ & Offició suo non congruunt.

614. Hæc sufficere credit Citatus ad ostendendum dolum & calumniam Actoris, ratione quorum tam gravia & indigna passus est Citatus.

615. Nec est quod excusetur Actor super Decreto citationis personalis ad instantiam ejus lato per Magnificum Dominum, quia Decretum illud debet etiam dici vitiosum & iniquum, uti latum, ubi nondum aderat ejus ferendi materia, nimirum Informationes sufficientes.

616. Unum autem vitium non purgatur per aliud, sed potius ejus cumulatione aggravatur.

617. Actoris est Decretum Judicis præstare quod ipse sollicitare & exequi voluit, & gravamen Citato illatum non tam consistit in Decreto quam in illius executione.

618. Ideoque factum Judicis est factum partis, nec Judex sententiam defendere aut sustinere tenetur.

619. Itaque solus Actor est, qui hic ad expensas Citato tenetur salva Citati Actione injuriarum & interesse.

RECAPITULATIO.

620. Ut ea, quæ fuse in hoc Motivo deducta sunt, breviter rememorentur, rogatur Clarissimus D. Judex ejusque Sapientissimi gravissimique Assessores, ut & ante omnia revocare velint & figere genuinum statum controversiæ, agi nempe hic de sola Resolutione Citati scripta per modum privatæ Epistolæ cum familiari conclusione ad amicum: neque Citatum ullo modo gravari quoad impressionem.

621. Considerare dignentur & diligenter notare, dictam Citati Epistolam in hoc Judicio diligenter expendendam esse, ut per se solam subsistentem, sine ullo respectu ad prætensum Breve aut ad Decretum Consilii Status, de quibus hic quæstio.

622. Quod proinde Libellus gravaminum Actoris, totaque ejus Actio prorsus infundata sint, & corruere debeant;

623. Quod decem primi Articuli gravaminum mere consistant in prætenso illo Brevi.

624. Quodque ex illo plane dependeant Articuli 16. & 17.

625. Quod

625. Quod Articuli 18. 19. 20. & 21. unice respiciant memoratum Decretum Consilii Status.

626. Quod Articuli, qui in Libello supersunt, sint 11. 12. 13. 14. & 15. quatenus comprehenderent ea, quæ in Epistola Citati accusantur.

627. Item Articulus 22. quatenus juxta illum *Responsio Epistolaris* per Citatum agnita esset.

628. Nec non Articulus 23. quatenus juxta illum per Magnificum Dominum Rectorem ordinatum esset, ut ratione Responsionis Epistolaris agatur ad onus Citati.

629. Notatu quoque dignum est Responsionem Epistolarem ne taxari quidem ab Actore tanquam *scandalosam & perniciosæ Consequentiæ*, quandoquidem Articuli 18. 19. 20. & 21. positi tantum sint per modum narrationis.

630. Item notandum quod ipse Actor Articulo 18. per suum *Eapropter* totam causam invisæ illius qualificationis refundat in prætensa oppositione adversus dictum Breve.

631. Brevi autem illo ex hac causa sublato, sequitur evanescere etiam debere propositas qualificationes.

632. Attento maxime quod per ipsum Decretum Viennense Breve illud vel defertum sit vel amotum.

633. Ita ut totus Actoris Libellus & processus redigatur ad hanc Argumentationem.

634. Citatus agnovit se Auctorem esse Responsionis Epistolaris.

635. Hujus ratione mandatum est Actori agere ad onus Citati.

636. Quare Concludendo, &c.

Conclusionem autem Actoris quod attinet, ejus caducitas & irregularitas vel ex eo se prodit quod Actor hic agat, quasi Rector Magnificus esset merus Judex executor, quod cum non subsistat, patet quo loco tota ipsius intentio habenda sit.

637. Quæ cum ita sint confidit plane Citatus conclusionem Actoris penitus reiiciendam esse ut infundatam, suam autem utpote ex omni parte solidam atque æquam per gravissimi Judicis sententiam liquido approbandam atque confirmandam esse.

638. Nisi hæc in eo forte displicere possit, quod sit æquo lenior.

639. Et revera potuisset Citatus multo plura Jure merito petere, præsertim reparationem honoris ac famæ.

640. In hac enim quantopere læsus sit, cogitari aliquo modo potest, vix vero explicari; quod ipsum forte nec hic expediret.

641. Unde causam suam pro hac parte alteri cuidam Judicio reservandum duxit.

642. Pro ea porro parte, quæ huic Judicio subjecta est, Officium æquissimi sapientissimique Judicis enixe humiliterque implorat, precando Deum, ut ipsum illustret ac confortet in Christo.

Omnia sub humili correctione

VAN-ESPEN.

SEN-

SENTENTIA INTERLOCUTORIA

Lata 31. Julii 1727.

In causa Consultissimi Domini Theodori Leonardi Streithagen J. U. L. *hujus Universitatis Promotoris, nomine Officii Actoris inquirentis,*

Contra Clarissimum Dominum Z. B. van-Espen *J. U. Doctorem & Sacrorum Canonum Professorem Reum Citatum.*

Visis Libello gravaminum D. Actoris, Responsione personali D. Citati, necnon provisionali Responsione ampliata ac ulteriori Responsione D. Citati, aliisque Actis & Actitatis hujus Causæ, necnon exhibitis in eadem juxta Inventarium confectum usque ad litteram X. inclusive, omnibusque bene & perpensis & mature consideratis, Christi nomine invocato, solumque Deum & justitiam præ oculis habentes, per hanc Sententiam nostram, quam de Consilio & unanimi assensu quinque Dominorum Jurisconsultorum ad hanc causam denominatorum in his scriptis ferimus, dicimus, decernimus & declaramus quod tenentes scriptum Clarissimi Domini van-Espen, cui titulus, Motivum juris pro ulteriori Duplica, ejusdem concedimus Actori copiam ad finem Triplicandi infra primam, eodem Clarissimo Domino van-Espen integro in sua Quadruplica, reservatis expensis. Lata hac 31. Julii 1727.

De Mandato Clarissimi Domini Vice-Rectoris.

Barth. Hendrikx.

TRIPLICA

Pro Consultissimo Domino Theodoro Leonardo Streithagen *Promotore hujus Universitatis, nomine Officii Actore.*

Contra Clarissimum Dominum Zegerum Bernardum van-Espen *J. U. Doctorem, & Sacrorum Canonum Professorem, Reum Citatum.*

Actor, viso Motivo Juris Domini Rei Citati, dicit per modum Triplicæ in conformitatem Interlocutoriæ Magnificentiæ Vestræ de 31. Julii omnia sequentia sub & mediantibus, &c.

1. Quod Dominus Reus Citatus plurima eaque exquisita congesserit argumenta, sed parum, aut nihil ad casum facientia.

2. Cum enim Augustissimus Imperator noster per Gubernatorem hujus Patriæ Decreto suo lato 12. Septembris 1725. auditis prius Dominis Consiliariis Fiscalibus magni sui Parlamenti Mechliniensis,

3. Et postmodum Consilio Status, declaraverit Responsionem Epistolarem D. Rei Citati, de qua hic, injuriosam Brevi Apostolico de 21. Februarii 1725. aliisque Decretis sanctæ Sedis emanatis, ad causam, de qua in dicto Decreto de 12. Septembris 1725.

4. Nec-

4. Necnon scandalosam & perniciosæ consequentiæ.

5. Et qua talem publice lacerandam mandaverit, quod tunc etiam factum fuit per Apparitorem Consilii Status, intervenientibus ad illum effectum Amplissimis Dominis Consiliariis.

6. Cum, inquam, D. Reus Citatus postmodum Serenissimæ Principi Mariæ Elisabeth Gubernatrici nostræ benignissimæ obtulerit magnum volumen continens easdem preces propter rationes, quas habet dictum Juris Motivum; ac iis mediantibus conatus fuerit sese excusare.

7. Cum denique Serenissima Princeps Gubernatrix nostra Clementissima magnum illud volumen miserit Imperatori nostro Serenissimo Fratri suo Carissimo, necnon rationes in contrarium allegatas a Consilio Status,

8. Ut scilicet Augustissimus Imperator noster rationes utriusque maturius perpenderet & examinaret;

9. Ac Imperator noster invictissimus, iis omnibus mature perpensis & consideratis, agi mandaverit ad onus D. Rei Citati cum omni diligentia & promptitudine;

10. Quodque jus & justitiam hac in causa administrari voluerit in conformitatem præfati Decreti de 12. Septembris 1725. uti mandatum Cæsareæ suæ Majestatis in lite exhibitum probat, & ad quod brevitatis causa refertur;

11. Dubium nullum est aut esse potest quin Cæsarea sua Majestas, eo mediante non tantum rejecerit rationes & excusationes D. Rei Citati tanquam impertinentes;

12. Sed simul etiam mandaverit, ne earum vel minima haberetur ratio in judicio.

13. Cum alias non tam serio mandasset agendum esse ad onus D. Rei citati, ut puniatur secundum Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones.

14. Proinde eo ipso, quo Cæsarea sua Majestas voluit & mandavit Dominum Reum Citatum puniri debere secundum Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones; mandavit procul dubio rationes & excusationes ipsius quales & quantæ fuerint, tanquam impertinentes esse rejiciendas.

15. Maxime si reflectatur quod per dictum suum Mandatum dixerit, quod cum omni diligentia & promptitudine procedendum sit contra Dominum Reum Citatum, in conformitatem Resolutionis & Decreti de 12. Septembris 1725.

16. Adeoque quod in quantum opus Resolutionem illam & Decretum approbaverit & ratum habuerit.

17. Et per consequentiam denuo declaraverit etiam in quantum opus Responsionem Epistolarem Domini Rei Citati præfato Brevi Apostolico aliisque Decretis Sanctæ Sedis injuriosam, scandalosam & perniciosæ consequentiæ.

18. Sic ut res & causa quoad punctum illud judicata sit, & quidem ab Imperatore nostro Augustissimo.

19. Quæ cum ita sint, ut constat, nullus dubio locus esse potest, quin Responsio illa Epistolaris tam extra quam in judicio haberi debeat qua talis ab omni anima sub Imperio ejus degente.

20. Notum quippe est, ac de jure certum quod non liceat subditis judicare de Decreto Majestatis, cui supremum arbitrium Reipublicæ a Deo datum est.

21. Et eapropter cogitur Judex Mandatis Principis parere, cui omnis potestas data, & omnis anima subdita est, ut habet L. 25. §. ff. ad Trebell.

22. Proinde cum Imperator noster Augustissimus Responsionem Epistolarem Domini Rei Citati, de qua quæstio, iteratis vicibus declaravit injuriosam præfato Brevi Apostolico, ac aliis Decretis S. Sedis;

23. Nec non scandalosam & perniciosæ consequentiæ;

24. Ac ulterius mandaverit Dominum Reum Citatum ea de causa puniendum esse juxta Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones, juris ordine servato.

25. Certum est quod M. V. quæ est sub Imperio Cæsareæ suæ Majestatis, non aliud hac in causa disquirere possit, quam qua pœna Dominus Reus Citatus sit puniendus.

26. Adeo ut M. V. sub humili correctione solummodo possit & queat examinare quam in pœnam Dominus Reus Citatus debeat condemnari.

27. Attento maxime quod fassus sit sese Auctorem esse prædictæ Responsionis Episto-

ftolaris, quæ ut ante dictum & demonstratum, a sua Cæsarea Majestate, atque adeo a legitimo Superiore tum M. V. tum D. Rei Citati, declarata est injuriosa Brevi Apostolico supra memorato, aliisque Decretis sanctæ Sedis scandalosa & perniciosæ consequentiæ.

28. Et eapropter non est hujus judicii hanc quæstionem discutere vel examinare.

29. Cum alias detraheretur auctoritati Cæsareæ suæ Majestatis, quæ est & esse debet plenissima & absolutissima, quod procul dubio nemini fas est.

30. Si autem secundum Decretum ac Mandatum Cæsareæ suæ Majestatis supra reclamata Responsio Epistolaris Domini Rei Citati injuriosa sit Brevi Apostolico, de quo supra, aliisque Decretis sanctæ Sedis, necnon scandalosa & perniciosæ consequentiæ.

31. Si, inquam, M. V. in judicando sequi debeat & Decretum & Mandatum illud, ut clare patet ex prædeductis,

32. Dubitare foret nefas quin omnia & singula D. Rei argumenta tanquam ad causam impertinentia in fumum abire debeant.

33. In quantum enim D. Reus Citatus Cap. 1. dicti sui motivi prætendit quod Breve Apostolicum datum 21. Februarii 1725. non haberet vim legis, ipsum non concerneret, nec esset instrumentum legale aut fide dignum.

34. Multaque eum in finem protulit argumenta.

35. Satis superque convincitur de futilitate & impertinentia argumentorum illorum tum per Decretum Cæsareæ suæ Majestatis superius reclamatum, tum etiam per Mandatum desuper subsecutum.

36. Salvo quod si verum sit, quod Breve Apostolicum ipsum non concernat, nulla ei fuerit causa illud impugnandi, multoque minus ei licitum fuerit Clerum Ultrajectinum ex adverso excitare & exhortari.

37. Nam eo ipso aliud non fecit quam Breve illud Apostolicum spernere & vilipendio habere contra auctoritatem Romani Pontificis, qui potestatem suam habet a Deo.

38. Quin imo cum jam nunc tam effrons existat, ut dicat se magis esse firmatum in sua opinione quam erat ante, non tantum spernit & vilipendit antefatum Breve Apostolicum aliaque S. Sedis Decreta;

39. Verum etiam spernit & vilipendio habet Decretum Cæsareæ suæ Majestatis de 12. Septembris 1725. necnon Mandatum desuper subsecutum.

40. Et proinde majori etiam nunc pœna dignus est.

41. Quapropter deveniendo ad Caput secundum fatigavit se inutiliter D. Reus Citatus in quantum ibidem Actorem accusare visus est contorsionis & malignitatis.

42. Nihil enim dixit, aut in facto posuit Actor, nisi sese referendo ad Instrumenta in lite exhibita.

43. Quæ cum per se clara sint, clare etiam videre potuit D. Reus Citatus mentem Actoris non aliam esse aut fuisse, quam est mens & sensus dictorum Instrumentorum.

44. Quod autem Cap. 3. prætendat D. Reus Citatus, quod ne vel minime argui possit contemptus alicujus Brevis vel auctoritatis S. Sedis:

45. Abunde satis convincitur de contrario, tum ex Responsione sua Epistolari, tum ex supra deductis.

46. Quamvis enim Breve illud Apostolicum publicatum non fuisset, non licuisset equidem Domino Reo Citato Clerum Ultrajectinum ex adverso excitare & exhortari, prout ipsum fecisse constat.

47. Unde cum id fecerit, non tantum Breve illud Apostolicum, sanctæque Sedis auctoritatem contempsit;

48. Verum etiam jura Romanorum Pontificum & S. Sedis circa disciplinam Ecclesiasticam, contra Caput quartum, & ea quæ ibidem continentur.

49. In quantum vero Cap. 5. conatus est ostendere Decretum de 12. Septembris 1725. nullam vim habere posse in hac causa;

50. Sub hoc scilicet prætextu quod illud foret Decretum Consilii Status, frustra & perperam sese fatigavit.

51. Quandoquidem ex tenore ipsius Decreti videre sit, non esse Decretum Consilii Status,

52. Sed ipsiusmet Imperatoris latum per Gubernatorem hujus Patriæ generalem, auditis prius Amplissimis Dominis Consiliariis Fisca-

Fiscalibus magni Consilii Mechliniensis, nec non etiam Illustrissimis ac Amplissimis Dominis de Consilio Status.

53. Sic ut vere sit Decretum Cæsareæ suæ Majestatis, & consequenter legem facere debeat: ex quo patet nullum amplius esse locum ulteriori de validitate aut invaliditate Decreti Cæsarei discussioni aut inquisitioni, sed unicas Magnificentiæ Vestræ partes esse, debitas illi pœnas infligere.

54. In quantum vero Cap. 6. impugnat conclusionem Actoris, eocirca Æthiopem & laterem lavit;

55. Quandoquidem conclusio Actoris capta sit secundum tenorem Mandati Cæsareæ suæ Majestatis.

56. Ac alias juxta Edictum perpetuum anni 1611. Articulo 41. præcisa conclusio capi non debeat.

57. Sed sufficiat narrare factum & concludere prout conclusit Actor.

58. Sive autem condemnetur Dominus Reus Citatus in pœnam juxta Edicta Regia, sive in Censuram juxta sacros Ecclesiæ Canones, relinquitur justo judicio Magnificentiæ Vestræ.

59. Interim mirum est quod Dominus Reus Citatus Cap. 7. audeat hunc progressum arguere irregularitatis & nullitatis:

60. Sub hoc scilicet prætextu quod captæ non forent Informationes præparatoriæ ad onus ipsius; & ex quo solo prætensam illam irregularitatem & nullitatem eruere conatur.

61. Nam ultra quod probe sciat D. Reus Citatus quod Actor fuerit in opere capiendi dictas Informationes præparatorias:

62. Quodque progressum impediverit recusando & suspectando Judices æquissimos;

63. Idque per meram calumniam, tricas & technas, ut facere solent ii, qui malam fovent causam:

64. Scit præterea D. Reus Citatus quod ad Interpellationem juridicam ipsi factam fassus sit ante institutam hanc Actionem, sese Auctorem esse famosæ Responsionis Epistolaris, de qua quæstio.

65. Et scivit etiam famosam illam Responsionem Epistolarem a legitimo suo Superiore ante hanc Actionem fuisse declaratam injuriosam Brevi Apostolico sæpe memorato, aliisque Decretis sanctæ Sedis.

66. Prout scit illam legitime fuisse declaratam scandalosam & perniciosæ consequentiæ.

67. Unde si tantus sit, qualem se suaque scripta laudat & extollit;

68. Scit etiam aut saltem scire deberet, quod Actor ulteriores Informationes præparatorias capere non debuerit.

69. Attento quod Reum haberet fatentem, quodque sua Cæsarea Majestas sola ejus confessione contenta fuerit:

70. Dum per Mandatum suum jussit interpellari Dominum Reum Citatum, an esset Auctor dictæ Responsionis Epistolaris, & quod ejus silentio non obstante haberetur qua talis.

71. Cum autem ad interpellationem illam ingenue fassus sit sese esse Auctorem illius, ac constaret de corpore delicti;

72. Proba alia desiderari non potuit, cum probationum omnium optima sit partis confessio, & ad quam sine ulteriori proba procedi debet ad pronunciationem sententiæ, juris ordine servato.

73. Et hoc est etiam quod voluit Augustissimus noster Imperator, dum mandaverit agendum esse ad onus D. Rei Citati, juris ordine servato;

74. Cum per hoc non obscure dixerit & declaraverit D. Reum Citatum esse puniendum, juris tamen ordine servato.

75. Qualem juris ordinem cum Actor servaverit & secutus sit, aliud superesse non potest, quam quod Dominus Reus Citatus per sententiam M. V. puniatur secundum Leges Patriæ & sacros Ecclesiæ Canones:

76. Maxime cum contra præfatum Breve Apostolicum, quod jam omnibus notum est, & non obstante Decreto & Mandato Cæsareæ suæ Majestatis mordicus persistat, ac defendat dictam suam Responsionem Epistolarem contra dictum Decretum & Mandatum, & eatenus non levi injuria afficiat Augustissimum Imperatorem nostrum ac ejus Regimen supremum, quod maxime notatu dignum.

Quare his aliisque jungendis, &c.

Rejiciendo totum contentum dicti Motivi Juris per impertinentiam, frivolitatem & expressam denegationem, quatenus contra vel facti præjudicialis.

Persistit Actor ut alias & ante cum expensis,

Implorando, &c. D. GOES.

QUA-

QUADRUPLICA.

Pro Clarissimo D. ZEGERO BERNARDO VAN-ESPEN *Juris Utriusque Doctore & SS. Canonum Professore Citato.*

Contra Consultissimum D. THEODORUM LEONARDUM STREITHAGEN *Juris Utriusque Licentiatum hujus Academiæ Promotorem, nomine Officii Actorem.*

Citatus visa schedula Triplicæ ex parte Actoris exhibita in conformitatem Sententiæ Interlocutoriæ M. V. de data 31. Julii præcedentis anni 1727. per modum Quadruplicæ dicit sequentia sub & mediantibus omnibus, &c.

1. Quod Actor Articulo 1. perperam prætendat argumenta per Citatum in Motivo Juris deducta, parum aut nihil ad rem facere, postquam ipse Judex ea invenit adeo peremptoria, ut ea per Sententiam suam Interlocutoriam partem hujus causæ effecerit, ipsumque Motivum tanquam hujus causæ partem, communicandum Actori mandaverit.

2. Cui Sententiæ, maxime cum ea in rem judicatam transierit, frustra intendit Actor detrahere;

3. Uti facit per medietatem fere suæ schedulæ, ubi sustinere non veretur Augustissimum Imperatorem de qualitate prætensi criminis jam judicasse;

4. Ejusdemque Augustissimi Imperatoris voluntatem esse ut habita Confessione Citati nullæ jam Judici partes supersint nisi ad decernendam pœnam.

5. Verum advertet facile M. V. Actorem quo se vertat nescire, & immemorem sui pugnantia loqui; quando tandem post memoratam Sententiam Interlocutoriam, refugit ad Litteras Augustissimi Imperatoris de 31. Decembris 1726.

6. Cum jam annus fere integer elapsus sit quando & Citatus factum suum confessus est.

7. Et Actor tot Articulos gravaminum, qui prætensum crimen Citati concernunt, Libello suo conventionali exhibuit.

8. Citatus vero contrarie idem factum suum coram Judice defendit, innocentiam suam demonstravit; nihil in eo nisi jure a se actum, nihil peccatum esse ostendit:

9. Tota causa hactenus super eo an Citatus prætensi criminis reus sit, ventilata est: ac tandem in causa conclusum, & petitum jus diei.

10. Quin imo ne quidem ullum hactenus verbum Actor protulit, qua pœna vel qua censura Citatus forte plecti mereretur.

11. Judex causa cognita ipsum Motivum juris a Citato exhibitum haberi vult pro ulteriori Duplica, ejusque copiam Actori concedit in ordine ad triplicandum.

12. Huic juris Motivo quinque fere mensibus incubuit Actor, nihilque adversus illud invenire atque objicere potuit nisi ineptam & Fisco prorsus indignam prætensionem, quæsitam ex Litteris Cæsareis sinistre intellectis, vel potius ex perversa interpretatione quam ausu temerario audet illis tribuere.

13. Signum manifestum, Actorem convictum esse de innocentia Citati.

14. Non enim antea ignorabat Litteras illas Cæsareas aut prætensam illam earum vim, quando Illas in lite produxit.

15. Non ignorabat ea, quando vidit Responsionis Provisionalis Citati Articulos 52. 53. 54. & 55. qui sic habent: *Novit Actor, si quisquam alius, quod hoc Tribunal* (Rectorale) *non sit executor Decretorum & Arrestorum cujuscumque in causis criminalibus Suppositorum hujus Universitatis; cum hoc Tribunal sit solus eorum Judex competens in omnibus talibus causis, idque* privative *& ad exclusionem* quorumcumque *aliorum, Idque juxta erectionem hujus Universitatis factam Apostolica & Regia Auctoritate. Itaque petit injungi Actori ut declaret*

Rr 2 qua

quo genere medii, id est quo pede uti intendat præfato Instrumento (Decreto de 12. Septembris 1725.) *& Articulis ex eo deductis.*

16. Quibus Actor in sua Replica nihil oppofuit, iis acquievit, & Articulo finali suæ Replicæ solemniter isti medio, quod nunc arripit, renunciavit dicendo quod bene velit declarare se non directe agere virtute Mandati Cæsareæ suæ Majestatis, sed virture Mandati Magnifici Domini in lite exhibiti, & annexi ad Articulum 23. Lib. grav. sub N. 50.

17. Quod & Citatus acceptavit Articulo 93. suæ Responsionis ulterioris: subjiciens ibidem Articulo sequente seu 94. Actorem Actionem suam *unice & privative* instituisse virtute Mandati Magnifici Domini.

18. Huic Articulo acquievit Actor in ulteriori sua Replica, nihil contradixit, sed tacendo consensit.

19. Persistentiam suam circa hunc Articulum denuo significavit Citatus in Motivo Juris Articulo 390. qui sic habet: Quod præsens Actio *unice & privative* instituta sit vi Decreti Magnifici Domini Rectoris, ut patet ex Libello gravaminum Articulo 23.

20. Iterum ergo acceptatur, quod Actor veritatem hujus non contradicendo in sua Triplica admiserit.

21. Quin imo usque adeo convictus fuit Actor, præsentem Actionem debuisse institui *unice & privative* ex Auctoritate & Mandato Magnifici Domini Rectoris:

22. Ut ex eodem Mandato deleta atque erasa sint quædam verba, per errorem schedulæ hujus Mandati prius inserta, quibus significabat Rector, quod vigore quarumdam Litterarum Promotori mandaret agere ad onus Citati.

23. Quod Mandatum Rectoris Magnifici, uti per Actorem cum Libello gravaminum ad Articulum 23. exhibitum fuit sub N. 5. sic habet: *Injungimus Promotori nostro & Procuratori Haelgoet, quatenus indilate coram nobis servato juris ordine, instituat nomine Officii Actionem ad onus Clarissimi Domini van-Espen J. U. Doctoris & SS. Canonum in hac Universitate Professoris. Datum Lovanii hac* 11. *Februarii* 1727. *&c.*

24. Ipseque Actor probe conscius est, se Citato personaliter comparenti illico declarasse quod hæc Actio duntaxat ex Mandato & Auctoritate Magnifici Domini institueretur: & hoc ipsum quoque Advocatum Fiscalem, qui ipse aderat, asseruisse.

25. Neque ignorabat, quem sensum haberent Litteræ Cæsareæ, ad quas nunc refugit: quando in terminis servatis in Actis 11. 14. & 18. Martii 1727. sine ullo renixu consensit in recusationem Clarissimi D. Buggenhout tunc Rectoris hujus Universitatis;

26. Cum tamen hæc recusatio fundaretur unice in eo quod Vir ille Clarissimus extrajudicialiter declarasset, quod existimaret in hac causa nullas Rectori Magnifico partes superesse nisi ad decernendam pœnam.

27. Non ignorabat denique Litteras illas Cæsareas, earumque sensum & vim, cum propinquum esset, ut in rem judicatam transiret Sententia provisionalis de data 31. Julii 1727. per quam contrarium huic intolerandæ Actoris prætensioni manifeste disponitur.

28. Non ignorabat tunc ista, & tamen super istis tunc non excepit: nunc autem cum manifesta est innocentia Citati, non dubitat Actor ad tam intolerandum medium confugere, quo nil aliud agit quam Jurisdictionem M. V. prorsus incontestabilem, inaudito exemplo, in dubium revocare, atque infringere.

29. Quare super omnibus præmissis excipiendo, omni quo potest meliori modo, sustinet Citatus, Actorem super contento hujus suæ Triplicæ ne quidem audiendum esse;

30. Et eo minus audiendum, cum huic medio solemniter & iterato jam ante renunciarit ut videre est hic supra Articulis 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. & 26.

31. Quodque medium alias Actori per Sententiam Interlocutoriam manifeste fuit abjudicatum, ut colligitur ex Actis litis.

32. Sine præjudicio tamen hujus suæ exceptionis dicit Citatus, Actoris intentionem adeo infundatam esse & extravagantem, ut non credat quod Actor audebit illi insistere.

33. Lit-

33. Litteræ enim Cæsareæ, quas inclamat Actor, nullam plane mentionem faciunt decernendæ pœnæ aut censuræ, sed integrum judicium relinquunt M. V. *pour y être fait droit suivant les Loix du Pays & les Canons de l'Eglise.*

34. Cunctis porro notum est has inviolabiles esse patriæ leges, ut nemo tractetur nisi via Juris coram Judice suo competente, & secundum morem & consuetudinem Tribunalium competentium. Ita statuit Articulus 1. Læti introitus Brabantiæ, cujus integrum textum Actor videre potuit a Citato insertum suo Motivo Juris Articulo 398.

35. Quin imo ad hujus Læti Introitus observationem Cæsarea S. M. sese solemni juramento obstringere dignata est, atque ita se Patriæ Legibus obstrictam profiteri.

36. Hæc sane summa Clementissimi nostri Imperatoris est gloria, dum & æquissimi animi tam certa argumenta præbere, & moderatissimi Regiminis tam inviolabilem normam præscribere voluit.

37. Ad exemplum optimorum Imperatorum Theodosii & Valentiniani, quorum in Corpore Juris hæc aurea extant verba l. 4. C. De legibus & Constit. *Digna vox est Majestate Regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri. Adeo de auctoritate juris nostra pendet Auctoritas; & revera majus Imperio est submittere Legibus Principatum.*

38. Ulterius certum est, secundum Leges Patriæ, & consuetudines omnium ejus Tribunalium, omnia judicia criminalia esse indivisibilia.

39. Ita ut inauditum sit, alterum Judicem judicium ferre de qualitate facti seu crimine, alterum vero unice judicare de pœna.

40. Prout Citatus in suo Motivo observavit Articulis 416. 417. 418. & 419. quod Actor nullatenus negavit.

41. Hasce Leges Patriæ ipsi præ ceteris Principes nostri, eorumque Gubernatores generales intemeratas se servare demonstrant, ubi, quod non raro accidit, ad relationem collateralium Conciliorum Fiscalibus suis mandant, ut Actione criminali agant ad onus eorum, quos forte reos habent, peculatus, repetundarum, concessionis, seditionis.

42. Litteræ, quibus id mandant, sæpius atroces continent qualificationes eorum factorum, quæ volunt puniri,

43. Nihilominus Reo cuilibet, relinquunt integram adversus ejusmodi qualificationes defensionem tam quoad jus, quam quoad factum.

44. Liberrimam facultatem relinquunt Judicibus ut omnia media sive Juris sive facti penitus examinent discutiantque.

45. Plenissimam denique iisdem Judicibus relinquunt libertatem ut non obstantibus Principum suorum Mandatis de instituenda Actione criminali adversus sceleratos, quos ipsi existimant, homines, eos penitus etiam absolvant, si omnibus, servato juris ordine, discussis atque perpensis coram Deo & in conscientia innocentes eos esse judicaverint.

46. Hæ sunt Patriæ Leges, secundum quas dum Augustissimus Imperator noster in hac causa vult *jus ac justitiam administrari.*

47. Juxta naturalem atque indubitatum litterarum suarum sensum integram relinquit Citato suam defensionem:

48. Magnificentiæ Vestræ autem & quinque Consultissimis Assessoribus plenam libertatem discutiendi omnia media defensionis Citati & judicandi prout conscientia dictaverit.

39. Hoc denuo vult & hanc denuo libertatem relinquit Augustissimus Imperator dum in hac causa præscribit institui cursum justitiæ secundum Sacros Ecclesiæ Canones.

50. Nullus enim Ecclesiasticus extat Canon, qui hujusmodi judiciorum divisionem permittat.

51. Quin imo talis divisio atque diruptio judicii juri naturali directe repugnat: nam jus naturæ dictat Judicem judicare oportere secundum propriam & non secundum alienam conscientiam.

52. Judex enim agit judicium Dei: & in hoc tam præcellenti munere *solum Deum & justitiam præ oculis habens*, sententiam ferre debet; prout ipse stilus & tenor Sententiarum Ecclesiasticarum constanter ostendit.

53. Et hoc ipsum significat Psalmista Regius Psalmo 81. dicens: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus diju*

dijudicat . . . . Judicate egeno & pupillo ; humilem & pauperem justificate.

54. Ex his, uti confidit Citatus, illico apparebit non tantum temeritas ac mala fides Actoris:

55. Sed & summa, quam Religiosissimo Clementissimoque Imperatori infert, injuria:

56. Dum ejus Litteris contra ipsam verborum proprietatem affingere audet sensum contrarium Juri naturali, Sacris Ecclesiæ Canonibus, Legibus Patriæ, ipsique Jurisjurandi Sacramento, quo sese in sua Inauguratione Sua Cæsarea Majestas obstringere non dubitavit.

57. Perpendat modo M. V. *Articulos* Triplicæ 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. ubi agitur de Decreto laceratorio Consilii Status de 12. Septembris 1725. & ex iis non difficulter perspiciet malam fidem Actoris.

58. Quæ in eo præsertim se prodit quod adhuc pergat detorquere verba litterarum Cæsarearum, quibus præscribitur in dispositiva, *de proceder en Conformité de la resolution & Decret du 12. Septembre . . . servato Juris ordine*. Pergat, inquam, illa detorquere ad *præfatum Decretum* laceratorium.

59. Cum Imperator evidenter in sua dispositiva loquatur de alio quopiam Decreto, quod Consilium Status eadem forte die 12. Septembris 1725. tulisse potuit, qua datum est illud laceratorium.

60. Nam quomodo ista verba Litterarum suæ Majestatis referri possunt ad Decretum laceratorium, de quo in narrativa mentio facta fuerat, quandoquidem hoc Decretum laceratorium nihil prorsus resolvat aut contineat de hujusmodi Actione instituenda quam Cæsar præscribit institui, servato juris ordine, *in conformitatem*, inquit, *resolutionis & Decreti de 12. Septembris 1725.?*

61. Nec dicit Augustissimus Imperator *in conformitatem* præfati *Decreti de 12. Septembris* 1725. quod audet non absque dolo & fraude asseverare Actor, sed *en conformité de la résolution & Decret*, non referendo illud ad prius Decretum, de quo narrative jam egerat.

62. Hæc Citatus ostendit in suo Motivo juris Articulis 421. 422. 423. 424. 425. & 426. Hæc vidit Actor & ad ea obmutuit convictus hujus suæ detorsionis, & tamen pergit verba Augustissimi Cæsaris ad sensum, quem minime patiuntur, detorquere.

63. Et hæc facit Actor in perniciem, quantum in ipso est, Academici Citati, de cujus innocentia convictus est, idque nomine Officii quod per suam Triplicam perpetuo probro diffamat.

64. Est & aliud specimen malæ fidei Actoris, qui Articulo 3. & alibi semper affectat Citatum habere Reum, quod foret Auctor Responsionis Epistolaris laceratæ, & illum propterea a Judice puniendum esse prætendit; cum interim probe novit quod Citatus non aliter admiserit se esse Auctorem Epistolæ in Scripto impresso Responsionis Epistolaris contentæ, nisi sub restrictionibus contentis in ipsa Acta per Actorem exhibita una cum Libello gravaminum sub N. 4.

65. Falsum quoque est, quod dicit Actor Articulo 6. quod Citatus mediantibus rationibus, quas Serenissimæ Archiduci misit, *conatus* fuerit sese *excusare*.

66. Quibus verbis non obscure insinuat Actor, quod judicium hujus causæ ab ipso Citato delatum fuerit ad Suam Majestatem Cæsaream & Catholicam, una clementiam ejus implorando & veniam.

67. Cum interim Citatus per recursum suum ad Augustissimum Imperatorem super Decreto Consilii Status nil aliud egerit quam supplicare ut *non obstante dicta Ordinatione Consilii Status cursus justitiæ ordinarius ipsi libere pateret, ut in legitimo judicio honorem suum ac famam defendere posset*. Prout Citatus etiam expressit in suo Motivo Articulo 435. uti & in ipsa Præfatione Motivi ad Clarissimum Judicem, contra quæ Actor nihil habuit quod contradiceret, quod acceptatur.

68. Interim non potest non esse durum Citato quod Actor inspectionem omnium sciat sibi comparare: omnia autem Citato obscura maneant & clausa; ut ita facilius, si fieri posset, Citatum reum agat.

69. Quod autem Serenissima Archidux Cæsareæ suæ & Catholicæ Majestati misisset præter dictas rationes Citati, etiam *rationes in contrarium allegatas in Consilio Status*, uti Actor dicit Articulo 7. id gratis

tis asseritur & apud Citatum, qui non prætendit in arcana Principis intrare, ignoratur.

70. Eo magis quod ne quidem Cæsarea sua & Catholica Majestas hasce commemoret in dictis suis Litteris.

71. Equidem capere nequit Citatus quomodo a dicto Consilio Status examinari potuisset *magnum Volumen* suarum rationum, & ab eo allegari *rationes in contrarium*, quo insinuat Actor speciem quasi contradictorii Judicii coram Augustissimo Cæsare institutam fuisse.

72. Capere, inquam, id nequit Citatus, cum Volumen illud dudum post adventum Serenissimæ Archiducis, ipsi primum fuerit præsentatum, ubi jam ante adventum illius Consilium istud cessarit, ut notorium est.

73. Quibus mediantibus occursum est contentis *decem priorum Articulorum*.

74. Quod ad quatuor sequentes *Articulos* 11. 12. 13. & 14. ubi Actor ex vanis, vel etiam ex falsis conjecturis mentem & intentionem elicere vult Augustissimi Imperatoris, quasi Citato infesta foret.

75. Dicitur summæ temeritatis esse in subdito velle palam scrutari mentem Principis ultra quod verba ejus præferunt:

76. Injuriosum esse Principi præter verba mentem illi affingere omni juri repugnantem:

77. Iniquum denique, ac præcipue Fisco indignum, hujusmodi vanis conjecturis uti ad gravamen Citati ejusque condemnationem obtinendam;

78. Prout facit Actor dictis Articulis 11. 12. 13. & 14. ubi prætendit Actor Cæsaream & Catholicam Suam Majestatem in Litteris suis de 21. Decembris 1726. non solum rejecisse rationes Citati,

79. Verum etiam mandasse ne earum vel minima habeatur ratio in judicio.

80. E contrario Citatus ostendit nullatenus rationes suas esse rejectas ab Augustissimo Imperatore, sed clementer susceptas, prout videre est Articulis 393. 394. 395. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. & 435. sui Motivi juris. Ita quidem ut Sua Cæsarea & Catholica Majestas Citato concesserit totum quod petivit.

81. Proinde plane negat Citatus Suam Cæsaream & Catholicam Majestatem rationes suas rejecisse.

82. Sed & non sine insigni impostura potuit asserere Actor Articulis 13. & 14. quod Cæsarea Sua Majestas mandasset agendum esse ad onus Citati ut PUNIATUR *secundum Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones*:

83. Cum Cæsarea Sua Majestas unice mandarit *d'y* FAIRE DROIT *suivant les Loix du Pays & Canons de l'Eglise*.

84. Cui minime obest, quod Sua Majestas voluerit in hac causa procedi *avec toute diligence & promptitude*, uti refert Actor Articulo 15.

85. Quia id secundum Instructiones & Ordinationes in hanc rem emanatas in omni processu ac præcipue in Actione criminali requiritur.

86. Ast Sua Majestas mandavit procedi omni diligentia & promptitudine, non ad PUNIENDUM Citatum, prout imponit Actor, sed *pour y* ETRE FAIT DROIT *sans ulterieur délai, suivant les Loix du Pays & les Canons de l'Eglise*.

87. Cum justum sit ut æquali promptitudine per judicium pateat de innocentia Citati, quam de prætenso ejus crimine.

88. Falsum quoque est, Cæsaream Suam Majestatem Decretum Consilii Status de 12. Septembris 1725. approbasse & ratum habuisse, ac declarasse, in quantum opus, *Responsionem Epistolarem Citati Brevi Apostolico de 21. Februarii* 1725. *aliisque Decretis S. Sedis injuriosam, scandalosam, & perniciosæ consequentiæ*: uti Actor dicit *Articulis* 16. & 17.

89. Quandoquidem totum, quod Sua Majestas in dictis suis Litteris profert circa illud Decretum laceratorium, non *approbative* dicat, sed *narrative*.

90. Quin imo, cum Sua Majestas ibid. tantum narrat, Responsionem Epistolarem tanquam *S. Sedi injuriosam*, laceratam fuisse, nullam mentionem faciens de præfato Brevi Apostolico, aliisque Decretis Sanctæ Sedis, palpabiliter monstravit, ea hic operari non posse nec attendi.

91. Eam profecto ob causam, quod memoratum Breve, aliaque Decreta Romana, quæ hic placetata aut visa non fuerint, non possint

possint poni pro fundamento alicujus Decreti absque infractione Legum fundamentalium & Privilegiorum Patriæ.

92. Similiter negatur Articulus 18. qui solutionem suam invenit in præmissis.

93. Articuli quoque 19. 20. 21. 22. 23. & 24. habent solutionem ex præmissis.

94. Hactenus Actorem in Suam Majestatem Cæsaream & Catholicam injurium vidimus.

95. Verum, quod *Articulis* 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & 32. sustinere audeat, Magnificentiam Vestram non aliud hac in causa disquirere posse, quam qua pœna Citatus puniendus veniat;

96. Res est in persona Actoris aut ejus Consilii plane intolerabilis, utpote tanquam Jurisdictionis Rectoralis & Academicæ plane eversiva.

97. Advocatus Fiscalis ex Officio suo secundum Statuta hujus Universitatis sub tit. DE ADVOCATO FISCALI, *debet penes se habere & incorporata, omnia Privilegia, Exemptiones, Libertates, Concordata, & Pacta cum Principibus & Communitatibus atque Prælatis.*

98. Scit proinde & scire præsumitur, quod nemo alicujus notæ in hac Universitate ignorat, unam inter conditiones *sine quibus non* erectioni hujus Academiæ appositam fuisse per Diploma Pontificium, ut *omnimoda Jurisdictio* tam civilis quam criminalis sit privative penes Rectorem.

99. Quod eodem Diplomate Pontifex voluerit, ut Dux Brabantiæ omnem suam Jurisdictionem & civilem & criminalem in supposita, a se abdicaret, eamque in Rectorem & Universitatem transferret *realiter & cum effectu*, alias erectio nulla foret.

100. Quod Joannes IV. Brabantiæ Dux, Fundator noster, per Diploma suum datum Bruxellis septimo Idus Novembris 1426. ad purgandam memoratam conditionem, *animo deliberato & de sano & maturo Procerum, Magnatum, Comitum, Baronum, & Nobilium Fidelium, Consilio pariter & assensu pro se, heredibus & successoribus* suis *Brabantiæ Ducibus* omnem illam Jurisdictionem tam civilem quam criminalem *omniumque causarum cognitionem*, atque *decisionem* a se abdicaverit.

101. Scit denique, quod idem Joannes IV. omnem suam Jurisdictionem *integraliter* cesserit & transtulerit in Rectorem & Universitatem *realiter & cum effectu*; NULLA, ut ait, *nobis nostrisve Successoribus & Officiatis facultate, & auctoritate* PENITUS *reservata de causis & negotiis hujusmodi cognoscendi sive illa dirimendi, aut pro . . . criminibus quomodolibet puniendi seu aliquam in eos* (subditos Universitatis) SUPERIORITATEM vel JURISDICTIONEM *exercendi, quas a nobis* PENITUS *abdicamus*, &c.

102. Quæ plenissima Jurisdictio Rectori hujus Academiæ privative competens deinceps sæpius a succedentibus hujus Regionis supremis Principibus confirmata est, ac nominatim a Carolo V. anno 1531. Philippo II. anno 1556. & Archiducibus anno 1617. Referuntur in Edictis Brabantiæ Tom. 3. part. 3. lib. 1. tit. 5. Cap. XV.

103. Quin ipse Augustissimus Imperator noster in ipsis Litteris, quas inclamat, & quibus tam enormiter abutitur Actor, voluit in hac causa agi secundum Leges Patriæ *suivant les Loix du Pays*.

104. Nommatim & expresse significans in hac ipsa causa Rectori Magnifico competere Jurisdictionem juxta mores & Leges hujus Patriæ, atque ad Tribunal ejus Actorem & Citatum remittens: *devant son juge* COMPETANT DE L'UNIVERSITÉ DE LOUVAIN . . . *servato juris ordine. Pour y être fait droit . . . suivant les Loix du Pays*.

105. Ad rei hujus indignitatem accedit, quod Fiscalis in sua Immatriculatione sicut reliqua hujus Universitatis supposita JUREJURANDO promiserit *se observaturum Jura, Privilegia, Libertates, Statuta, Ordinationes, & Consuetudines laudabiles Universitatis . . . ad quemcumque statum in Universitate devenerit, neque scienter laboraturum in aliquo quod in præjudicium eorumdem posset redundare*.

106. Tanquam Advocatus, præstitit Juramentum Advocatorum hujus Curiæ, prout in Statutis hujus Universitatis exprimitur; Quod nempe Jurisdictionem Rectoris non impugnabit sed pro viribus defendet quatenus secundum Jura, Privilegia, vel Statuta Universitatis tenetur.

107. Hic

107. Hic autem agitur de Rectorali Jurisdictione in personam Academicam, quam ne quidem extra muros Oppidi Lovaniensis ad judicium licet evocare. Agitur de persona, facto, causa, senioris Doctoris hujus Academiæ. Agitur de parte nobiliore Jurisdictionis sive de potestate dijudicandi.

108. Ast Officium Fiscale hac in causa nititur palam Rectori eripere quod in Jurisdictione præstantius est, eique duntaxat viliorem partem, quæ in decernendo pœnas constituta est, relinquit.

109. Quin imo cum potestas decernendi pœnas, qua judex ornatus est, omne suum decus mutuetur & splendorem ab ea Judicis potestate, qua secundum justitiam auditis partibus, de facto & qualitate delicti dijudicat:

110. Per consequens facit Actor Magnificentiam Vestram merum executorem & a Judicis deprimit gradu atque honore.

111. Et hoc ipsum non veretur coram Magnificentia Vestra pro Tribunali sedente sustinere.

112. Sed & proprium Officium Fiscus hac in parte enormiter commaculat.

113. Si inauspicato per sub-& obreptionem quippiam a Principe impetratum esset, quod in depressionem Academicæ Jurisdictionis vergeret: idque verbis adeo claris, ut mitiorem interpretationem nullatenus paterentur, primus ex officio & jurisjurandi Religione Fiscus Academicus curare sollicite deberet ut sarta tecta manerent Privilegia hujus Universitatis:

114. Rem deferendo ad Consilium Universitatis, ut jus ac privilegium Academicum principale protegeret: & de sub-& obreptione optimum Principem & ipsius Academiæ benevolum Protectorem edoceret:

115. Apud eum etiam per deputatos supplicando ut quod sub-& obreptive per adversarios obtentum fuisset, clementer revocaretur.

116. Hic autem Officium Fiscale adeo sui obliviscitur, ut Litteras Cæsareas nil tale continentes, imo ipsam expressis terminis Jurisdictionem Rectoralem firmantes; frivolis, falsis, perversisque glossis & interpretationibus trahere & inflectere conetur in perniciem eorundem Jurium Universitatis, & Academicorum.

117. Audet Officium Fiscale Officiarius & Minister Academicus juratus, tanquam Actor ad Tribunal Rectorale, accedere ad Rectoralem Jurisdictionem impugnandum, atque a gradu Judicis Rectorem ad officium meri executoris dejiciendum: ubi, quod stupendum est, Citatus ipse coram eodem Tribunali cogitur auctoritatem ac Jurisdictionem Rectoris asserere ac tueri.

118. Res pessimi exempli, manifesta & enormis prævaricatio, nulla excusationis specie diluenda.

119. Quantum ad Citatum ejusque præsentem causam attinet, sufficit ei super Juribus & Privilegiis Universitatis & Suppositorum excipere, prout hisce excipit.

120. Verum speratur fore ut Magnificentia Vestra justa hujus rei indignatione commota, ex Triplica ab Actore exhibita tanquam Suæ Majestati Cæsareæ & Catholicæ maxime injuriosa & Juribus hujus Academiæ exitiali, pessimi exempli & perniciosissimæ consequentiæ, expungi, deleri, ac penitus eradi, ex officio jubeat, omnes & singulos Articulos eandem materiam concernentes.

121. Idque non in hac tantum sed etiam in præcedentibus schedulis Actoris: Quia jam Actor palam declaravit quorsum per eos tendat.

122. Et ulterius relinquitur Judicio Magnificentiæ Vestræ, quam insuper pœnam tam enormi prævaricatione mereatur ipse Fiscus, qui Triplicæ subscripsit.

123. Procedendo nunc ad contentum Motivi Juris adhuc magis patescit innocentia Citati, dum Actor Motivum illud vix pauculis verbis audet attingere.

124. Cum tamen in eo vertatur totius rei cardo, totumque præsens Judicium secundum provisionalem sententiam de 31. Julii 1727.

125. Certe partes Actoris hic fuissent argumentis in Motivo deductis respondere & contrariis intentionem suam fundare.

126. Quæ fuit indubie intentio Judicis dum non modo facta, sed, quod insolitum, omnia etiam Juris argumenta, eorumque applicationes, quæ in toto Motivo continentur, Actori voluit communicari per

per dictam Sententiam provisionalem.

127. Quæ etiam in rem judicatam transivit.

128. Persistit igitur Citatus adversus *Articulos* 33. 34. & 35. Triplicæ in negationibus & iis omnibus, quæ circa prætensum Breve in hac lite a se dicta sunt, ac præcipue in iis, quæ continentur Cap. 1. sui Motivi Juris.

129. Acceptando quod Actor omnia illa vera esse *non inficiando* concesserit.

130. Persistit similiter contra *Articulos* 36. & 37. in negationibus aliisque in hac causa, ac maxime in Cap. 2. & 3. sui Motivi Juris a se prolatis:

131. Una acceptando quod Actor adversus hæc nil in Triplica sua inferre potuerit, atque adeo *non inficiando* admiserit.

132. Interim certo constat liberum esse Jurisconsultis judicia sua sive responsa promere circa Brevia aliaque Decreta Romana, conformiter ad suas Sententias, legesque & consuetudines Patriæ, etiam dum illa adversantur dictis Brevibus & Decretis, contra Articulum 36.

133. Quæ responsa Jurisperitorum nihil plane detrahunt Brevibus vel Auctoritati Romanorum Pontificum, quemadmodum nec hisce detrahunt leges & consuetudines Patriæ, quibus dicta responsa conformia sunt.

134. *Articulo* 38. novum malæ fidei specimen præbet Actor referendo hæc Citati verba: *Se magis in opinione sua confirmatum esse*, quasi respicerent ea, quæ Citatus dixit in Responsione Epistolari de Consecratione Cornelii Steenoven.

135. Cum contrarium luculenter pateat non solum ex Summario §. I. Capitis quarti Motivi, sub quo verba istæc posita sunt, sed etiam ibid. ex Articulo 259. & sequentibus usque ad 294.

136. Ubi clare videre potuit verba ista Articulo 270. non respicere nisi *Resolutionem*, cui 25. Maii 1717. una cum aliis J. U. Doctoribus Citatus subscripsit circa subsistentiam Ecclesiæ & Capituli Ultrajectensis.

137. Quod etiam Citatus positive declaravit Articulo 294. ubi relate ad prædicta verba Citati ab Actore relata, expresse enunciat: *Merito itaque & vere dixit Citatus se eo magis confirmari in opinione sua de subsistentia Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini, quo magis legit scripta adversariorum.*

138. Ut nequaquam mirum sit, quod Actor dicto Articulo 38. Triplicæ dicta verba falso incusans, non potuerit assignare Articulum ubi reperirentur.

139. Verum coactus Actor adhibere tam falsam suppositionem, ut Citatum reum faciat, evidens argumentum innocentiæ illius adfert.

140. Quibus mediantibus sequelæ, quas infert Actor dicto Articulo 38. item 39. & 40. sponte, sicut tenebræ accedente luce, disparent.

141. Veniendo ad Articulos 41. 42. & 43. acceptatur quod Actor non solum se non purget super *contorsione & malignitate*, de quibus convictus erat Cap. 2. dicti Motivi Juris, sed e contrario eam tacite fateri cogatur.

142. Attento, quod ad sui excusationem nil aliud adferre possit quam se *nihil dixisse nisi sese referendo ad Instrumenta in lite exhibita*, & proinde *mentem suam non aliam fuisse quam est mens & sensus dictorum Instrumentorum.*

143. Non enim hic quæstio est de interna ejus mente, sed prout eam expressit in Actis litis ac nominatim in Libello gravaminum.

144. Et si non habuisset aliam intentionem seu mentem quam in dictis *Instrumentis* exprimatur, profecto ipsis dictorum Instrumentorum verbis uti debuisset, & non aliis, quibus ipsa contra expressum tenorem interpolata ad alienum ac pravum sensum detorqueret.

145. Interim, tanquam quod maxime faveat causæ Citati, acceptatur quod Actor hic non habeat aliud ad onus Citati quam dicta Instrumenta prout jacent.

146. Persistendo ulterius in contento dicti Capitis 2. Motivi Juris.

147. Contra *Articulum* 44. Triplicæ persistitur in Cap. 3. ejusdem Motivi, ubi demonstratum est, quod ne vel minimus hic argui possit contemptus alicujus Brevis vel Auctoritatis S. Sedis.

148. Contra Articulos 45. 46. & 47. persistitur in responsis negativis Citati, alii-

aliisque ac præcipue Cap. 2. & 3. Motivi Juris deductis:

149. Ad quæ Actor obmutuit, quod acceptatur.

150. Uti etiam persistitur in Cap. 4. dicti Motivi contra Articulum 48. ubi evidenter ostendit Citatus nihil in præsenti causa a se dictum aut actum, quod vergat in contemptum aut imminutionem Jurium S. Sedis aut Disciplinæ Ecclesiasticæ.

151. Adversus quæ nil potuit Actor opponere, quod iterum acceptatur.

152. Abusive dicitur ab Actore Articulis 49. & 50. quasi Citatus Cap. 5. *Motivi juris* ostendere voluisset, Decretum Consilii Status de 12. Septembris, 1725. hic vim non habere præcise ex hoc capite, quod illud Decretum esset Consilii Status.

153. Cum ibid. Citatus peremptorie demonstraverit dictum Decretum hic nullatenus posse operari ad sui condemnationem, ob hanc præcipue causam, quod extrajudicialiter & se inaudito latum esset:

154. Ita quidem ut nec gravamina Citato fuerint communicata.

155. Actor autem non sine dolo fucum facere nititur, dum prætendit illud Decretum esse vere Decretum Cæsareæ Suæ Majestatis, & perperam carpit Citatum quod vocet illud Decretum Consilii Status.

156. Cum ipse Actor Articulo 18. Libelli gravaminum fassus sit, Decretum illud latum fuisse in Consilio Status his verbis: *Responsio illa Epistolaris Citati de 4. Junii 1725. per Decretum Cæsareæ Suæ Majestatis* latum in Consilio Status 12. *Septembris 1725. declarata*, &c.

157. Per quod Actor sponte admisit, dictum Decretum esse Consilii Status, quamvis illud præcedente titulo *Cæsareæ Suæ Majestatis* enunciet.

158. Etiamsi enim Decreta atque Judicia a Consiliis Regiis lata nomen præferant Suæ Majestatis, auctoritate cujus jus dicunt, nihilominus Decreta ista atque Judicia proprie sunt istorum Consiliorum, a quibus emanata sunt.

159. Et rursus Actor in sua Replica Articulo 63. non dubitat dictum Decretum vocare *Decretum Consilii Status de duodecima Septembris* 1725.

160. Ipsa quoque Serenissima Archidux in Epistola de 31. Januarii 1726. ad Citatum missa, loquens de dicto Decreto ait: *comme sur la supplication, que vous avez faite à l'Empereur & Roy notre très cher Frere & Seigneur au sujet de l'*ORDONNANCE DU CONSEIL D'ETAT *du* 12. *Septembre dernier*.

161. Per quæ quemadmodum & per ante deducta solutionem accipiunt Articuli 51. 52. & 53.

162. Neque ad rem facit id quod dicit Actor iisdem Articulis 52. & 53. repetendo quod dixerat Articulo 2. & 3. hoc Decretum latum esse *auditis prius... Dominis Consiliariis Fiscalibus Magni Consilii Mechliniensis, necnon Illustrissimis & Amplissimis Dominis de Consilio Status:*

163. Cum ex eo non sequatur, dictum Decretum fuisse conforme eorum Sententiæ atque suffragio.

164. Quamvis enim in Decretis Regiis forte exprimatur, consultos fuisse Fiscales, aut etiam quædam Consilia: certum tamen est non raro in iis Decretis statui quod eorum Sententiæ contrarium sit.

165. Acceptatur autem, quod Actor nil proferre potuerit contra deducta Articulis 438. 439. 440. & 441. Motivi Juris.

166. Quin imo dicere possemus, si dictum Decretum ad rem faceret, non omnes Dominos Consiliarios Fiscales & Consilii Status ejusdem in hac parte fuisse sententiæ:

167. Fuisse qui sentirent, quod Citatus prævie audiri deberet, & quod si negotium hoc inchoaretur *a laceratione*, præpostere inchoaretur ab *executione*.

168. Sed inaudita res est, quod ubi Actor refert Decretum hoc latum esse per *Gubernatorem Patriæ*, una sustinere non dubitet hoc ipsum Decretum in causa Citati habere *vim rei judicatæ*.

169. Quis enim unquam præsumere queat, Gubernatorem hujus Patriæ per se voluisse judicare Natum Brabantinum, Presbyterum Academicum, qualis est Citatus, super prætenso delicto quod commissum fuisset intra muros Oppidi Lovaniensis, quod & Brabantiæ prima Metropolis est & Academiæ Sedes!

170. Quomodo vult Actor prædictum Decretum hic haberi pro legitimo & legali

gali judicio, & re judicata in gravamen Citati, cum per Articulos 64. & 65. suæ Replicæ, item per Articulum 19. ulterioris Replicæ ipse Actor constanter fassus sit Citatum prævie auditum non fuisse.

171. Quod vel solum sufficit ut constet, nullum hactenus super persona, facto & causa Citati intervenisse legale, legitimum aut contradictorium judicium.

172. Itaque tota hæc causa integra remanere debet Judicio Magnificentiæ Vestræ, prorsus ac si alibi nihil actum fuisset, prout revera de ea nihil actum fuit.

173. Causa hæc criminalis apud Tribunal Magnificentiæ Vestræ primum cœpta est; tota apud idem Tribunal discuti debet ac terminari.

174. Frivolum proinde est, quod Actor dicto Articulo 53. dicat, hic *nullum amplius esse locum ulteriori de validitate aut invaliditate Decreti Cæsarei discussioni aut inquisitioni*.

175. Quia hic non disputat Citatus, quam tandem vim aut validitatem in se habeat Decretum illud Consilii Status: sed hoc invicte sustinet, nequaquam posse Decretum illud ad onus suum allegari ob peremptorias rationes deductas in Motivo Juris Cap. 5. quibus nil potuit Actor opponere.

176. Verum quis ferat hic denuo eodem Articulo 53. Triplicæ repetitum probrum coram Tribunali Rectoris; & denuo repetitam in facie Magnificentiæ Vestræ injuriam, qua Actor ei præcipuam auctoritatem Judicis eripere constanter nititur, dum ait: *Unicas Magnificentiæ Vestræ partes esse a* Citato *debitas pœnas injungere?*

177. Contra Articulos 54. 55. 56. 57. & 58. sistitur in omnibus penes contentum Cap. 6. Motivi Juris.

178. Et acceptatur, quod Actor ibid. provocatus, ut vel ullam legem aut ullum Canonem produceret, qui hic ex adverso operaretur; nullum plane verbum potuerit proferre adversus dictum contentum Cap. 6. quod notandum.

179. Quod attinet Articulos 59. & 60. Citatus optimis rationibus Cap. 7. sui Motivi arguit processum Actoris, irregularitatis & nullitatis ob defectum informationum præparatoriarum.

180. Quandoquidem hæ sint ita basis & fundamentum totius processus criminalis, ut iis neglectis tota Causæ instructio corruat, uti dicto Cap. 7. probatum est, penes quod persistitur.

181. Acceptatur autem *in vim peremptorii*, quod Actor fateri coactus sit, se nullas plane præparatorias informationes cepisse in hac causa.

182. Illæ, quas commemorat Articulo 61., prætensæ informationes, nullam hic mereri possunt attentionem, cum Actor ne quidem illas impenderit.

183. Una tamen per id, quod dicit *se in opere fuisse capiendi informationes præparatorias*, convictum se fatetur de earumdem necessitate ad instituendam Actionem hanc criminalem.

184. Ita ut per hoc admiserit, se hac in parte condemnandum.

185. Nec concipi potest, quam ob causam Actor Articulis 62. & 63. potuerit carpere Citatum in eo quod hic impendisset medium suspectationis:

186. Quasi illud medium Citatus adhibuisset per *meram calumniam, tricas & technas, recusando*, inquit, *& suspectando Judices æquissimos*.

187. Negat Citatus, se per calumniam, per tricas aut technas recusasse aut suspectasse Judices: Negat se recusasse aut suspectasse Judices æquissimos.

188. Certe non per calumniam, tricas aut technas recusavit Eximium Dominum Stoupy, tunc Rectorem Magnificum: neque in illo suspectavit Judicem hac in parte nullatenus recusabilem, cum Eximius Vir ille suspectationem sponte admiserit.

189. Quantum attinet suspectationem Eximii Domini Delvaulx tunc Vice-Rectoris, non ignorat Actor, eam adeo fundatam apud Sanctius Consilium reputatam fuisse, ut super ipso Libello dicti Eximii Domini ordinatum fuerit, eam *juris ordine servato per arbitros* discutiendam & dijudicandam esse.

190. Denique dicat Actor, quid tandem, dum habebat Rectorem Clarissimum D. Buggenhoudt Judicem prius non recusatum, eum impediverit a capiendis informationibus præparatoriis.

191. Quin adeo procul abest, ut Citatus

tatus hic exorbitasset, ut e contrario ab ipso Augustissimo Imperatore medium illud suspectationis & recusationis tanquam probe fundatum æstimatum fuerit:

192. Cum Sua Cæsarea Majestas non mandarit progrediendum esse quasi in lite cœpta; verum statuerit, ut de novo fieret litis exordium, *servato juris ordine*.

193. Ita indicans, cessare totum quod hactenus contra Citatum fuerat intentatum.

194. Neque Actori prodesse quidquam potest confessio Citati, de qua Articulo 64. ut constat ex rationibus peremptoriis deductis §. 3. Cap. 7. Motivi Juris.

195. Citatus enim non simpliciter ut suam admisit Responsionem Epistolarem laceratam: sed recognovit suam esse Epistolam in illo scripto Responsionis Epistolaris contentam; una protestatur, dictam Epistolam ne minimam quidem censuram seu demonstrationem mereri, ut constat ex Instrumento ab Actore exhibito cum Lib. grav. sub N. 40.

196. Neque Citatus confessus est se Auctorem facti criminosi, sed operis de se innocui & laudabilis: nimirum Canonicæ cujusdam Responsionis, quam rogatus dedit secundum suam professionem & opinionem ex dictamine conscientiæ depromptam.

197. Jam vero notorium est, quod *Consilii non fraudulenti nulla sit obligatio*.

198. Quæ cum ita sint, debuisset Actor, siquidem ex aliqua Officii specie Actionem instituere voluisset; præparatorie prius sese instruere, *an hic subesset fraus vel dolus & quidem talis, qui læderet publicum*; & dein hujusmodi fraudis aut doli in suis informationibus præparatoriis argumenta authentica exhibere.

199. Ut autem protinus appareat, quam infundate medium confessionis a Citato factæ Actor arripiat; duntaxat animadverti debet Actorem non simpliciter gravamen intentasse Citato, quod Auctor esset dictæ Responsionis Epistolaris;

200. Sed quod per illam Citatus prætense *sprevisset & contempsisset, vel saltem nihili fecisset* certum prætensum Breve, quod Romæ datum foret 21. Februarii 1725. uti ponit Actor Articulis 16. & 17. Lib. grav.

201. Jam vero, ut fuisset saltem species quædam justæ accusationis in hac parte, ante omnia debuisset Actor in hac causa ostendere *ad sufficientiam juris* Citatum, cum dictam Epistolam scriberet, habuisse plenam notitiam contentorum in dicto Brevi; & quidem talem notitiam, quæ ipsum obstringeret ad non scribendum quæ scripsit.

202. Atque ut hic iterum *servato juris ordine* Actor procederet, oportebat eum saltem præparatorie da hac re docere per probas Informationes, antequam adversus Citatum Actionem criminalem & infamantem institueret.

203. Quibus mediantibus sponte corruunt Articuli 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. & 73. qui etiam per superius deducta solutionem suam inveniunt.

204. Ita quidem, ut constet Actorem dicto Articulo 69. falso dixisse quod *haberet fatentem Reum*.

205. Insuper gratis asseritur eodem Articulo 69. *Suam Cæsaream Majestatem sola Confessione Citati contentam fuisse*.

206. E contrario constat ex dictis Litteris Cæsareis, Suam Majestatem voluisse, ut Actor ageret *servato juris ordine*.

207. Juris autem ordo requirit in criminalibus, ut prævie capiantur Informationes præparatoriæ: neque habita confessione Rei illico procedatur ad sententiam, sed Reus exceptiones suas proponat & rationibus juris & facti eas fundet. Hinc inde vero partes replicent & duplicent, &c.

208. Plane ergo insulsum est & absurdum id, quod Actor hic prætendit, quasi sua Cæsarea Majestas sola confessione Citati contenta fuisset, & vigore Litterarum Cæsarearum nihil hic disquirendum esset, nisi qua pœna Citatus afficiendus foret.

209. Quin imo Sua Cæsarea Majestas dictis suis Litteris hac in parte satisfacere voluit justæ querimoniæ Citati, qua conquestus fuerat, ne quidem sibi concessam fuisse inspectionem Exemplaris lacerati: *qu'il prenne*, inquit Augustissimus Cæsar, *inspection & recomoisse l'Exemplaire de la dite Réponse Epistolaire, qui se trouve dans la Secretairie du Conseil d'Etat conforme à celui, &c.*

210. Nec mirum quod subdat Clementissi-

tissimus Imperator, ut declaret Citatus, *si c'est son ouvrage ou non*: quia pro sua prudentia & æquitate voluit Sua Cæsarea Majestas prius inquiri, an revera subesset materia instituendi Judicii: Quandoquidem superfluum & importunum videretur institui Actionem, ubi forte laceratum scriptum non esset genuinum opus Citati.

211. Procedendo ad Articulum 74. turpis impostura occurrit, qua Actor iterum fingit, quod Augustissimus noster Imperator decreverit *Citatum esse* PUNIENDUM, *juris tamen ordine servato;* cum nequaquam declaraverit Citatum esse puniendum; sed e contrario administrandam illi justitiam servato juris ordine secundum Leges Patriæ, contra Articulum 75.

212. Postremo quod attinet 76. *& finalem Articulum*, is negatur quatenus asserit Citatum dictam Responsionem Epistolarem defendere *contra præfatum Breve Apostolicum, quod jam omnibus* prætense *notum esset*, *& contra dictum Decretum* Consilii Status *& eatenus non levi injuria* prætense *afficeret Augustissimum Imperatorem nostrum, ac ejus Regimen supremum, quod maxime notatu dignum* vult Actor.

213. Nam non aliter propugnat, nec aliter propugnavit Citatus Responsionem suam, quam abstracte a dicto Brevi & Decreto Consilii Status: imo abstracte ab illo Exemplari Responsionis Epistolaris, quod per dictum Decretum Consilii Status damnatum & laceratum fuit.

214. Nunquam Citatus de isto Brevi, aut de isto Decreto Consilii Status sermonem fecit in hac causa, nisi per Actorem coactus de iis loqui ob suæ defensionis necessitatem.

215. Et hoc quoque Citatus per recursum suum ad Clementissimum Imperatorem supplex petiverat, *ut* nempe *non obstante dicta Ordinatione Consilii Status cursus justitiæ ordinarius ipsi libere pateret, ut in legitimo judicio honorem suum & famam defendere posset*.

216. Quod & Sua Cæsarea Majestas Clementer Citato concedi voluit, remittens causam ad Judicem competentem, *pour y être fait droit suivant les Loix du Pays & Canons de l'Eglise*.

217. Neque Citatus hac in parte quidquam egit nisi conformiter ad protestationem suam, quam adhibuit in eodem Instrumento, quo ingenue confessus est, quid in Responsione Epistolari pro suo agnosceret.

218. *Cependant je ne crois pas*, inquit ibid. Citatus, *sous très humble correction que madite Réponse Epistolaire ou Résolution Canonique merite quelque censure ou demonstration, comme je pourrois faire voir en justice en cas de besoin: aiant une entiere confiance que ma présente déclaration, que je fais par respectueuse déference pour les Ordres de Sa Majesté Imperiale & Catholique, & de son Altesse Serenissime, ne prejudiciera en rien aux exceptions & défenses, que la raison naturelle & les Regles de Droit m'accordent; & que le cours ordinaire de la Justice me sera toujours également ouvert & libre pour avoir ma pleine défense dans un jugement reglé conformement aux Loix & coutumes du Pays, & aux Intentions Souveraines de Sa Majesté Imperiale & Catholique, dont la grande Pieté, Equité, & Justice m'assurent entierement.* Ut constat ex Acta per Citatum signata 28. Januarii 1726.

219. Quam Actam Actor in Libello gravaminum Articulo 22. impendit simpliciter uti jacet, nihil contradicendo dictæ protestationi; quo agendi modo plane admisit totum ejusdem protestationis contentum: quod acceptatur.

220. Et hoc postquam idem Actor dictam Citati declarationem ad Serenissimam Archiducem misisset: argumentum evidens, quod neque Serenissima sua Celsitudo eamdem protestationem ullatenus improbarit.

221. Ita ut prorsus intelligi nequeat, qua ratione fieri possit, ut Actor sincere & simul tam atrociter accuset Citatum vel ob hoc ipsum, quod Citatus dictam suam Epistolam *defendat* adversus gravamina, quæ ad onus ejus Actor in Libello suo proposuerat.

222. Aut fortasse prætendit Actor, ut Citatus dimissis omnibus mediis suæ defensionis sciens & volens reum se fateatur, cum se prorsus teste conscientia noverit innocentem?

223. Insuper dicit additque Citatus, imme-

immerito Actorem tam acerbe conqueri de ejus Motivo Juris in sua Triplica, præsertim Articulis 38. 39. 40. & 76.

224. Tantoque minus conqueri juste posse, quod illud Motivum a Citato exhibitum fuerit *Clausum pro sola instructione Judicis & Assessorum*: Qui nihilominus illud adeo peremptorium æstimarunt, ut illud partem Litis effecerint atque adeo laudarint.

225. Super quo hic, in quantum opus, contra dictos Articulos excipitur.

226. Notandum hic quoque, quod Citatus in dicto Motivo locutus sit ad Judices suos, qui secundum Leges hujus Patriæ Judicium laturi essent, atque idcirco sermonem hisce legibus conformem adhibere non dubitavit. Si hujusmodi sermone offendatur Fiscalis, Officio Advocati fungi non debet in Brabantia.

227. Maximopere autem in rem suam facere confidit Citatus, quod commoneatur ac Judicetur hic in Patria, ubi absolute in legitimo & contradictorio Judicio sequi oporteat supra memoratum Lætum Introitum a Sua Majestate Cæsarea & Catholica tanquam Brabantiæ Duce Jurisjurandi sacramento firmatum.

228. Dum igitur Actor, totum Motivum Juris a Judice illi communicatum in ordine ad Triplicandum, tanquam frivolum atque ad hanc causam impertinens rejicit, incusat ipsum Clarissimum Judicem & Consultissimos Assessores, quasi protulissent Sententiam plane illusoriam: atque adeo una sua schedula Triplicæ æque injurius est Actor in Suam Cæsaream & Catholicam Majestatem, Academiam, Magnificum Dominum Rectorem, Clarissimum Judicem, Consultissimos Assessores, Citatum.

229. Ceterum cum timendum fortasse sit, ne Advocatus Fiscalis denuo attentare vellet deliberationi hujus causæ intervenire,

230. Ubi tamen notorium est, in nulla hujus Patriæ Curia Ecclesiastica, cujus certe stilum & praxim hoc Tribunal Rectorale sequitur, id obtinere, ut nempe Fiscus hujusmodi deliberationibus intersit:

231. Indubitatum quoque est, nullum aliunde jus Fiscali Academico concedi, ut hic in deliberatione accedat:

232. Sustinet Citatus, Fiscalem ab hujus causæ deliberatione abesse debere.

233. Quod si Actor in animum induceret, huic sustento sese opponere, postulat Citatus super eo primum & ante omnia jus dici.

Quibus aliisque mediantibus ex officio, &c.

Et rejiciendo totum contentum dictæ Triplicæ per impertinentiam, frivolitatem, & expressam denegationem quatenus contra vel facti præjudicialis.

Persistit Citatus ut alias & ante ubique cum expensis,

Implorando, &c.

Z. B. VAN-ESPEN.

EX ACTIS ROTULÆ

30. & 31. *Januarii. Item* 3. & 6. *Februarii* 1728.

Trigesima Januarii 1728. Procurator Actoris *petit Acta deferri & jus dici; & ne hæc Decisio remoram patiatur ex sustento Clarissimi D. van-Espen facto in fine Quadruplicæ; hinc ex speciali commissione Domini Fiscalis, declarat eundem non interventurum pro hac vice & sine consequentia in deliberatione dictæ causæ.*

Eodem die Magn. D. tulit Decretum: *Compleantur & deferantur Acta.* R. VAN KIEL *P. T. Rector.*

31. Januarii 1728. hora secunda pomeridiana citat Procurator Actoris Procuratorem Domini van-Espen, *in finem inventarisandi hanc causam, & ad signandum inventarium;* ex vigore scilicet Decreti novissimi. Verum Procurator Citati *viso Decreto* exhibet schedulam *Loco Termini*, tenoris sequentis.

LOCO

LOCO TERMINI.

Pro Clarissimo Domino ZEGERO BERNARDO VAN-ESPEN *J. U. D. & Sacrorum Canonum Professore, Citato,*

Contra Consultissimum Dominum THEODORUM LEONARDUM STREITHAGEN *J. U. L. hujus Universitatis Promotorem nomine Officii Actorem.*

CItatus viso Decreto de data 30. Januarii novissimi dicit, se jam deprehendere, quod Decretum illud latum sit per Clarissimum D. Hacquium (*id est, assessore Clarissimo D. Hacquio*).

Putat autem, quod dictus Clarissimus non sit idoneus, ut in hac causa fungatur munere Assessoris; imo quod debuisset se ultro excusare.

Primo ex eo, quod hæc causa sit in hac Universitate famosissima.

Quodque omnibus notum sit, quod pro principali materia & subjecto habeat quæstionem de statu & subsistentia Ecclesiæ Ultrajectinæ, & Juribus Cleri ejusdem.

Quod dictus Clarissimus D. Hacquius optime sciat, se cum quatuor aliis Doctoribus hujus Universitatis fuisse consultum super eadem quæstione.

Quod etiam super eadem quæstione una cum dictis Doctoribus responderit etiam scripto.

Quod consequenter vel ex sola honestate debuisset abstinere ab omni interventione in præfata causa.

Maxime ubi dictum ejus Responsum annexum est Motivo Juris D. Citati, & una cum eo exhibitum.

Et deinde per sententiam interlocutoriam de data 31. Julii 1727. dictum Motivum Juris cum suo præfato annexo habitum sit pro ulteriori Duplica, & eorum concessa sit copia D. Actori in ordine ad Triplicandum.

Ita ut jam, tam dictum Responsum, quam præfatum Motivum Juris facta sint partes præsentis causæ.

Quod consequenter decorum non foret, quod vellet eidem causæ in quacumque ejus parte intervenire.

Dicit ulterius idem Citatus, sine horum præjudicio, quod non videat quo titulo & qua ratione dictus Clarissimus D. se in hanc causam intromittat.

Quandoquidem in hac causa uti Assessores nominati sint quinque Jurisperiti.

Quodque inter eos ita nominatos nunquam fuerit dictus Clarissimus D. Hacquius.

Quod in eosdem illos quinque partes hinc inde consenserint.

Quod proinde officium eorum duret usque ad plenam decisionem præsentis causæ.

Quod illud sit juri & praxi conforme.

Maxime cum jam dederint Sententiam Interlocutoriam de data 31. Julii 1727.

Eaque Interlocutoria talis ut mere data sit ex officio.

Atque etiam transiverit in rem judicatam.

Quare dum dictus Clarissimus D. hic assumpsit qualitatem Assessoris, dando illud Decretum, ingessit se in officium alienum.

Unde etiam prætensum illud Decretum nullum est primo genere nullitatis ex defectu qualificationis, & contra illud tanquam tale protestatur.

Et ne quid ulterius attentetur, & alias omni meliori modo concludendo contendit idem Citatus,

Præsentem causam remoto & penitus secluso dicto Clarissimo D. Hacquio, omnibusque aliis quibuscumque, de consilio & assensu præfatorum quinque Jurisperitorum unice & privative per Magnificentiam Vestram esse instruendam, decidendam & terminandam: sustinens hæc ita fieri debere, protestans de nullitate omnium, quæ in præjudicium horum quacumque ratione contigerit attentari Z. B. van-Espen.

3. Fe-

3. Februarii 1728. Procurator Actoris rejicit *totum contentum* dictæ *Schedulæ per frivolitatem*, &c. *refert se & submittit se Judicio* Magnifici Domini; *declarans nihilominus Principalem suum non affectare, ut Clarissimus D. Hacquius intersit judicaturæ hujus Causæ; petens eapropter instantissime ad lecturam procedi*. Procurator Citati petit copiam hujus Verbalis.

6. Februarii 1728. Procurator Citati dicit & sustinet prout in dicta Schedula *Loco Termini*. (†)

7. Februarii 1728. Magnificus Dominus tulit Sententiam hora undecima audita.

(†) Paratum erat ex parte Doctoris van-Espen Motivum alterum Magnifico Judici opportune exhibendum, nisi præoccupasset Sententia præmature lata.

SENTENTIA

RECTORIS MAGNIFICI.

7. Februarii 1728.

IN Causa mota & vertente in Curia Rectorali Almæ Universitatis Lovaniensis per & inter Consultissimum Dominum Theodorum Leonardum Streithagen J. U. L. & præfatæ Universitatis Promotorem, nomine officii Actorem ex una, & Clarissimum Dominum Z. B. van-Espen J. U. D. & Sacrorum Canonum Professorem, Reum Citatum & opponentem ex altera partibus, visis & examinatis Actis & Actitatis dictæ Causæ instructæ secundum Inventarium ejusdem quotatum usque ad litteras BB, omnibusque mature perpensis, Christi nomine invocato pro Tribunali sedentes, solumque Deum & justitiam præ oculis habentes per hanc sententiam nostram definitivam, quam de Jurisconsultorum consilio & assensu in his scriptis ferimus, dicimus, decernimus & declaramus Dictum Clarissimum Dominum Reum Citatum sufficienter convictum esse Auctorem Responsionis Epistolaris de data 4. Junii 1725. cujus copia impressa juncta est Libello gravaminum Actoris sub N. 2. & quæ Responsio Epistolaris declarata fuit injuriosa S. Sedi, scandalosa & perniciosæ consequentiæ, & tanquam talis per copiam impressam publice lacerata in atrio Consilii Status in conformitatem Decreti Suæ Imperialis & Catholicæ Majestatis lati per Excellentissimum Dominum de Daun Gubernatorem Generalem Patriæ de 12. Septembris 1725. Quapropter eundem Dominum Reum Citatum condemnandum duximus, prout eundem condemnamus per Præsentes, ut infra tres septimanas ab insinuatione Præsentium dictam Epistolarem Responsionem retractet ac revocet sub pœna ulterioris ad onus ejusdem provisionis. Interim & provisionaliter declaramus eundem Reum Citatum suspendendum esse, prout eundem suspendimus per Præsentes tam a Divinis, quam a sua lectione ac aliis muniis & officiis, quæ habet in hac Alma Universitate Lovaniensi, condemnantes insuper eundem Reum Citatum in expensas dictæ Causæ, earum taxa & moderatione nobis reservata. Lata & pronunciata hac 7. Februarii 1728. præsentibus Joanne Jacobo Goffart & Joanne Balthasare Rasquin tanquam testibus, & partium Procuratoribus citatis. De Mandato Magnifici Domini Rectoris.

Barthol. HANDRIKX Secretarius.

Eodem die Magnificus D. tulit Decretum: *Inferant Partes hinc inde suas sportulas infra triduum ab insinuatione sub pœna executionis in defectuosum.*

9. Februarii 1728. Procurator Citati ex speciali commissione sui Principalis: *visa Sententia definitiva pronunciata & insinuata 7. hujus sentiens se enormiter læsum, ejus nullitate salva, appellat & provocat ab eadem ad V. V. D. D. quinque Judices Causarum Appellationum hujus Universitatis, ac ad alios* quo-

quofcumque, ad quos de jure vel confuetudine appellare licet aut poteft, petens primo, fecundo, tertio; inftanter, inftantius & inftantiffime fibi de Apoftolis Reverentialibus refponderi. Præfente Procuratore Actoris nunc intimari, *qui petit de Apoftolis Reverentialibus refpondendo parti injungi, ut fuam interpofitam Appellationem profequatur juxta Statuta* hujus Univerfitatis.

13. Februarii 1718. Magnificus Dominus tulit Decretum: *refpondemus de Reverentialibus quoad effectum devolutivum tantum, injungentes D. Appellanti ut Appellationem fuam profequatur juxta Statuta*, &c.

16. Februarii 1728. Procurator Appellantis: *vifo Decreto in hac lato* 13. *Februarii* 1728. *attento quod non pure refponfum fit de Reverentialibus, & fic novum Appellanti illatum fit gravamen, appellat & provocat iterato a dicto Decreto tanquam a novo & continuo gravamine ad V. V. D. D. quinque Judices*, &c. Procurator Intimati *petit inhæreri Decreto noviffimo*.

18. Februarii 1728. Procurator Appellantis *pro Appellante* comparens virtute Mandati, cujus copiam authenticam exhibet, introducit utramque Appellationem *petens per V. V. D. D.* quinque Judices *fefe hujus caufæ & partium declarari Judices competentes, & quia M. D. Rector Judex a* QUO *refpondendo de Apoftolis denegavit effectum fufpenfivum, petit per V. V. D. D. inhiberi ne quid attentetur, tum quia notorie ex ipfo textu patet quod Sententia fit definitiva, adeoque quod M. D. Judex a* QUO *deferre debuiffet ac debeat Appellationi non folum tam de jure quam de praxi, ut patet ex Articulo* 49. *Ordinationum Curiarum hujus Univerfitatis; verum etiam ex eo, quod illud, ad quod Appellans ibidem condemnatur, ulterius non fit reparabile*, &c. *petens fuper omnibus inftantiffime difponi*. Off. &c.

Procurator Intimati pro fuo Principali *comparens; cum Sententia per M. D. lata fit in materia correctionis & difciplinæ, fuftinet V. V. D. D.* quinque Judices *fefe non poffe declarare Judices competentes, nifi quoad effectum* devolutivum tantum, alias proteftatur de Appellatione, remedio caffationis, ubi & quando.

Procurator Appellantis *exhibet fchedulam* Loco TERMINI *claufam, quam reproducet infra* 24. *horas*. Procurator intimati *fuftinet dictam fchedulam fore communicandam antequam per V. V. D. D.* quinque Judices *defuper aliquid difponatur, cum fibi, utpote Intimato competat facultas ultimo fcribendi*. Procurator Appellantis *perfiftit*, &c.

LOCO TERMINI CLAUSUM (*)

Pro Clariffimo Domino Z. B. VAN-ESPEN *J. U. D. Appellante.*

Contra Confultiffimum Dominum THEODORUM LEONARDUM STREITHAGEN *hujus Univerfitatis Promotorem, Intimatum.*

Bollaert (†) fatisfaciendo adftrictioni fuæ dicit, hanc fchedulam exhiberi claufam, unice ad præfcindendas moras.

Hactenus non eft hic alia quæftio, quam de effectu fufpenfivo Appellationis, quem Judex *a quo* in fua Refponfione de Apoftolis negavit. Ideo recurrit Bollaert ad V. V. D. D. V. V. ac petit inhibitionem, ne quid attentetur Appellatione durante, prout videre eft termino fervato 18. Februarii 1728.

Declarat autem idem Bollaert, fe dictam petitionem fuam nolle extendere ad fufpenfionem a Divinis in dicta Sententia comprehenfam.

Idque

(*) Exhibitum 19. Februarii 1728. (†) Procurator Appellantis.

· Idque non per modum acquiescentis (nam sustinet suspensionem illam nulliter & contra Jus inflictam: de quo in principali latius) sed ut interim se conformet Decretis SS. Canonum, qui statuunt Censuras Ecclesiasticas non suspendi per Appellationem.

Ceterum hæc Decreta Canonum sunt singularia & certissima exceptio Regulæ, quæ dictat effectum omnem Sententiæ, *a qua* Appellatum est, suspendi per Appellationem interjectam.

Et cum exceptiones omnes a Regula sint strictæ interpretationis, & ipsam Regulam firment in casibus non exceptis: hinc sequitur pulcherrime, quod alia puncta comprehensa in dicta Sententia *a qua* sint ipso jure in suspenso per Appellationem, quam Bollaert interjecit.

Adeo ut hoc ipsum tantummodo declarandum sit per V. V. D. D. V. V. & consequenter inhibendum Judici *a quo*, ne quid attentet.

Quæ res in proposito singularem Juris necessitatem invenit in eo, quod palinodia seu revocatio Responsionis Epistolaris injuncta Appellanti per Sententiam *a qua*, esset irreparabilis per Sententiam ferendam in hac instantia Appellationis. Quod factum esset, infectum fieri non posset.

In hoc genere rerum ipsa interjectio magnæ Revisionis (quæ regulariter non sistit executionem Arrestorum, quæ feruntur in Supremis Curiis) tamen sistit executionem omnem, quoties in Factum concepta est Sententia; idque quia quod semel factum esset, infectum deinde fieri non posset.

Qui per Sententiam est condemnatus ad dandum, potest postea repetere quod dederit, etiam cum interesse & omni causa.

Sed qui condemnatus est ad faciendum, non potest factum recipere, ut sit eo loco, quasi non fecerit.

Ea res in universum porrigitur ad quodvis factum etiam indifferens, & quod pensari possit cum pecunia; v. g. si condemnatus sum ad reddendam rationem villicationis meæ, nihil hac in parte perdidero quam operam, quæ est pretio æstimabilis.

Attamen huic ipsi Sententiæ non parebo, neque cogi possum ad parendum, non tantum si appellavi, verum etiam si ab Arresto Supremæ Curiæ supplicavero Principi, vel quod idem est, Revisionem intentavero. Et hoc est in jure & praxi certissimum.

Quanto magis, dum factum est fatalis consequentiæ & nullo pretio æstimabile, v. g. si quis condemnatus est, ut Titiam uxorem ducat. Idem est de facto infamante & notam inurente existimationi Appellantis, quale est palinodia vel revocatio sui dicti aut scripti: quæ sæpissime ne salva quidem conscientia potest fieri.

Hæc de factis comprehensis in Sententia *a qua*, excepto solo facto suspensionis a Divinis, cui Appellans per interim supra detulit ob rationem ibidem dictam, quod sit exceptio inducta Jure Canonico a generali Regula, quod Appellatio suspendit omnem executionem Sententiæ.

Quæ ipsa Regula jubet etiam suspendi executionem condemnationis in expensas litis; pro quibus non magis quam pro ipso principali, fieri potest executio, Appellatione pendente.

Sed bene potest fieri talis executio pendente Judicio Supplicationis seu magnæ Revisionis, quia regulariter Revisio non suspendit executionem Arrestorum dum res executioni mandata reparabilis est: expensæ autem interim solutæ possunt repeti, & ab homine suspecto interim cautio requiritur.

Sed inde non recte ducitur argumentum ad Sententias aliorum Judicum, a quibus non revidetur sed appellatur. Hæc sunt opposita in hac parte; in Arrestis est Regula, quod Revisio non sistit executionem; in aliis contra, quod Appellatio sistit omnem executionem, etiam expensarum: nam ab illa parte Sententiæ æque appellatum est, ac a causa principali.

Ceterum ineptissime hic adducit Haelgoet (†) ea quæ de correctione & disciplina profert in suo Termino de 18. Februarii 1728.

Per correctionem & disciplinam Canones intelligunt nihil aliud, quam discipli-

 nam

(†) Procurator Intimati.

nam quodammodo paternam, & domesticam magis quam politicam, destitutam omni specie Judicii & processus formati.

Et in hoc ipso genere exceptionem admittit Concilium Lateranense sub Innocentio III. Cap. 13. declarans correctionis aut reformationis executionem non posse quidem per Appellationem suspendi: sed tamen addit in verbis: Nisi Prælati *formam in talibus excesserint observandam*.

An autem excessum sit, nec ne, ad arbitrium pertinet Judicis *ad quem*. Hæc de correctione.

Sed in proposito nihil tale est, Processus fuit formatissimus. Nec ipsa materia concernit regimen domesticum familiæ, vel Monasterii, vel alterius communitatis, habentis instar aut imaginem familiæ: sed ad summam spectat Rempublicam; & qui secus arbitrabitur, omnem tandem Sententiam ad metas correctionis rediget.

Nec etiam jure petiit Halegoet sibi dari inspectionem hujus schedulæ Loco Termini clausæ. Inspectio adversæ parti non debetur, dum nihil est facti novi. Quæcumque in hac schedula continentur, sunt meri Juris; nec ob aliam causam exhibita fuit clausa, quam ad amputandas contradictiones inutiles quæ lites trahunt in infinitum.

Si tamen, eo non obstante V. V. D. D. V. V. existimarent eamdem hanc schedulam communicandam Procuratori Haelgoet, ea ratione quam præ se fert, quod ipsi competat facultas ultimo scribendi; cum tamen jam tum in Actis replicatum & duplicatum sit per persistentias hinc inde factas.

Pro tali insperato eventu, & non alias, Bollaert declarat, se hanc eamdem schedulam pro Motivo Juris habere, cujus inspectio certo certius non debetur parti adversæ.

Quibus mediantibus persistit ipse Bollaert, ut ante cum Expensis. Offic. &c.

Implorando, &c.

J. Charlis. (*)

(*) *Advocatus in absentia Clarissimi D. van-Espen.*

SENTENTIA INTERLOCUTORIA

QUINQUE JUDICUM

21. Februarii 1728.

In causa Clarissimi Domini Z. B. van-Espen *J. U. D. & Professoris ordinarii, &c. Appellantis.*

Contra Consultissimum D. Theodorum Leonardum Streithagen *J. U. L. Promotorem Academicum, Intimatum.*

Visis & attenta mulctæ temere Appellantium consignatione declaramus, Nos hujus Causæ & Partium Judices competentes, ac Appellationem (præterquam quoad Censuram) habere effectum non tantum devolutivum, sed etiam, Inhibentes Judici *a quo* ne quid contra attentet, reservatis expensis. Hac 21. Februarii 1728.

De Mandato V. V. D. D. *quinque Judicum.*

Barth. Hendrikx.

LI-

LIBELLUS GRAVAMINUM (*)

Pro Clarissimo D. ZEGERO BERNARDO VAN-ESPEN *J. U. D. & SS. Canonum Professore, Appellante.*

Contra Consultissimum Dominum THEODORUM LEONARDUM STREITHAGEN *J. U. L. hujus Universitatis Promotorem, Intimatum.*

APpellans deducendo gravamina sua adversus Sententiam *a qua*, dicit, ponit, & articulat sequentia sub & mediantibus omnibus, &c.

1. In primis, quod notorium sit, Judicem Ecclesiasticum, qualis est Rector hujus Universitatis, teneri, siquidem in jure Graduatus ipse non sit, qualis non est hic Rector, assumere Jurisperitum Assessorem vel Jurisperitos Assessores.

2. Eumque vel eos partibus non suspectos.

3. Atque secundum ejus, eorumve relationem, consilium, & assensum judicare.

4. Quod hoc fundamento notorio nixus Intimatus, in prima hujus Causæ Instantia Actor, requisierit Clarissimum D. Vice-Rectorem, coram quo propter suspectationem Magnifici D. Rectoris, hæc lis pendebat, ut in hac eadem Causa assumendos a se Assessores nominaret, patet ex Actis 27. Maji 1727.

5. Quod idem Clarissimus D. Vice-Rector huic justæ Requisitioni Intimati satisfecerit in Actis 25. subsequentis mensis Junii, tempestive ante lecturam denominando tres Assessores, nempe Consultissimos D. D. *Cools*, *Tourneville*, & *De Swert*, in supremo Brabantiæ Consilio Advocatos.

6. Quod Intimatus, perpendens hanc Causam fore *maximæ consequentiæ*, ulteriori Requisitione postularit his tribus Assessoribus adhuc alios duos adjungi. Patet ex Actis 28. Junii ejusdem anni, una & ex Libello supplice eadem die ab Actore oblato.

7. Quod & huic requisitioni annuente Clarissimo D. Vice-Rectore per apostillam ad eumdem Libellum denominati insuper fuerint Assessores Consultissimi D. D *Descartes & Vander Vorst*, ejusdem supremi Consilii Brabantiæ Advocati, tribus prioribus nominatis associandi.

8. Quod duo Consultissimi illi Assessores nominati fuerint ex Catalogo ad votum Actoris Clarissimo D. Vice-Rectori præscripto.

9. Quod deinde supervenerint & alia mandata, per Intimati sollicitationes obtenta, quibus Clarissimo D. Vice-Rectori injungebatur, ut D. Advocato *De Swert* a munere Assessoris remoto, in locum ejus nominaret alium, ex Catalogo, qui una transmittebatur: itemque alium ex eodem Catalogo in locum Domini *Vander Vorst*, utpote qui se excusasset, quo minus Assessoris officio fungeretur.

10. Quod re ipsa idem Clarissimus D. Vice-Rector ex dicto catalogo in locum horum duorum duos alios nominarit.

11. Quod ita ad hanc causam nominati fuerint Assessores quinque, nimirum Consultissimi DD. *Descartes*, *Fierlants*, *Cools*, *Tourneville* & *De Fooz*, in Supremo Senatu Brabantiæ Advocati; uti patet ex Decreto in Actis 7. Julii ejusdem anni 1727.

12. Quod ita ad Requisitionem atque instantiam Intimati fuerint ad hanc Causam nominati hi numero quinque Assessores.

13. Quod Appellans, etsi jure potuisset huic se Decreto de assumendis quinque Assessoribus opponere, bonæ tamen suæ Causæ atque innocentiæ confisus, eidem acquie-

(*) Exhibitur 6. Martii 1728.

acquieverit, & in eosdem Assessores consenserit.

14. Quod adeo quinque illi Viri hujus Causæ Judices fuerint constituti, quorum relationem atque decisionem teneretur sequi Judex non Jurisperitus, prolaturus alioquin Sententiam nullam.

15. Quod de eorumdem æquitate atque integritate nullatenus dubitaverit Intimatus, cum tales acceperit, quales voluit.

16. Quod iidem quinque Assessores ita electi ac instituti, specialiter etiam fuerint convocati ad lecturam & decisionem ejusdem Causæ.

17. Quod propterea Lovanium se transportaverint, ibique lecturam absolverint assidentes Clarissimo D. Vice-Rectori.

18. Quod post exactum examen plenamque Causæ cognitionem Clarissimus D. Vice-Rector protulerit Sententiam Interlocutoriam 31. Julii 1727. *de Consilio & unanimi assensu* horum *quinque Dominorum Jurisconsultorum ad hanc Causam denominatorum*. Ita habet ipse tenor Sententiæ.

19. Quod hæc Sententia unice ac mere *ex officio* data sit.

20. Quod proinde hæc causa, secundum jus & praxim ulterius judicari debuerit, & per definitivam Sententiam terminari de consilio & assensu eorumdem Assessorum, de quibus ante hujusmodi Sententiam dici non posset, suo officio perfunctos esse.

21. Eo magis, quod ipsi soli noverint rationes, quibus permoti fuere ad ferendam hanc Sententiam Interlocutoriam, per quam more hic inusitato *Motivum* Appellantis tenentes pro ulteriori Duplica, ejusdem totius copiam Intimato concesserunt ad finem Triplicandi.

22. Quodque soli ipsi scire potuerint, an Actor, hic intimatus, per Triplicam suam sufficienter respondisset, & satisfecisset scopo eorum & intentioni, ob quam ex officio ipsi voluerant communicari dictum *Motivum Juris*.

23. Quod ob jam deductas rationes Appellans, alias Citatus, satis fundatus fuisset ad appellandum a Decreto de 31. Januarii novissimi de procedendo ad confectionem *Inventarii*, utpote dato per Clarissimum Dominum Hacquium huic Causæ extraneum, exclusis Consultissimis Assessoribus ad hanc Causam denominatis.

24. Quod nihilominus Appellans ne minimam adversariis præberet ansam calumniandi, quasi judicium subterfugeret, simplicem interposuerit protestationem de nullitate dicti Decreti, per schedulam *Loco Termini* exhibitam in Actis ejusdem diei; confisus fore, ut hæc sola protestatio ad officium suum reduceret Judicem, isque nil ulterius ad exclusionem nominatorum Assessorum attentaret.

25. Quod insuper in dicta schedula Appellans sustinuerit, præsentem Causam remoto Clarissimo Domino Hacquio, aliisque quibuscumque penitus seclusis, unice ac privative de consilio & assensu nominatorum quinque Jurisperitorum per Magnificum Dominum Judicem *a quo* oportere instrui, decidi ac terminari.

26. Protestatus de nullitate omnium, quæ in horum præjudicium quacumque ratione contingeret attentari.

27. Quod Intimatus ad hæc in Actis responderit, suum Principalem non affectare, ut Clarissimus Dominus Hacquius intersit judicaturæ hujus Causæ.

28. Quod per hoc Intimatus saltem contento dictæ schedulæ se non opponendo, admiserit dictum Decretum de 31. Januarii datum per Clarissimum Dominum Hacquium defectu potestatis, plane nullum esse.

29. Quodque similiter Intimatus silentio suo ad sustentum Appellantis admiserit, præsentem Causam per eosdem nominatos Assessores oportere instrui, decidi ac terminari.

30. Quod post hæc nihil de scitu Appellantis in hac Causa actum fuerit aut actitatum.

31. Verum quod septima hujus mensis Februarii Judex *a quo*, clam atque a tergo, per inauditam præventionem & novitatem attentaverit ferre sententiam *a qua*.

32. Quod ex ipso hujus sententiæ tenore sufficienter pateat, eam latam esse exclusis quinque Supremæ Curiæ Brabantiæ Advocatis in Assessores pro decisione hujus Causæ modo & forma, ut ante, assumptis ac denominatis.

33. Quod ea sententia lata sit, prætenso Inventario, de quo in eadem fit mentio,

tio, ex parte Appellantis non signato nec admisso.

34. Atque adeo prorsus sine Inventario ex parte Appellantis.

35. Quin imo lata sit absque processu ad confectionem Inventarii. Cum e contrario Appellans fuerit protestatus de nullitate Decreti lati per Clarissimum Dominum Hacquium in ordine ad procedendum ad illam confectionem.

36. Cui protestationi & nullitati Intimatus acquievit, uti supra ostensum.

37. Quod etiamsi prætensum hoc Decretum validum fuisset, & Intimatus Protestationi eidem contrariæ se oppofuisset (quod nullatenus) nullum equidem deinceps intervenerit Decretum pœnale, quo Appellanti injunctum fuisset, ut ad confectionem Inventarii procederet sub pœna seclusionis, aut quod alioquin Inventarium ab Intimato confectum haberetur ut legitimum.

38. Indeque factum, ut sententia *a qua* lata sit super instrumentis, quorum nulla in tota lite & actis facta est mentio; quæque Appellanti nunquam fuere communicata.

39. Quod hujusmodi instrumentum sit sub N. 5. ad Art. 23. Libelli gravaminum ab intimato intrusum, nullibi in lite notum aut reclamatum. Relatio ad Acta litis.

40. Quod constet ad dictum Articulum 23. Lib. grav. sub. Num. 5. aliud notissimum Instrumentum, loco istius intrusi debere annecti, ut patet ex Articulo finali Replicæ Intimati; item ex Motivi Juris Appellantis Articulo 390. & ex ejusdem Quadruplicæ Articulo 16. 17. 18. 19. & 20. quod Intimatus constanter admisit non inficiando.

41. Quod proinde Sententia *a qua* lata sit ex falsis Actis.

42. Quod Sententia *a qua* lata sit non visis Actis habitis in Rotula 3. & 6. Februarii 1728.

43. Quod lata sit non visa schedula *Loco Termini*, de qua in iisdem Actis fit mentio; attento quod ista schedula non reperiatur in prætenso Inventario.

44. Quod lata dicatur de prætenso Jurisconsultorum consilio & assensu; cum interim ii ante latam hanc Sententiam non fuerint nominati, neque ab Appellante agniti aut ullatenus noti.

Quare sustinet Appellans, salva impertinentia, quod Intimatus & Judex *a quo* habebunt nominare prætensos illos Jurisconsultos sub pœna quod alioquin Sententia *a qua* habebitur plane tanquam lata absque ullo Assessore.

45. Quod jure tam naturali quam positivo omnis Assessor debeat esse indifferens & neutri parti suspectus.

46. Quia assessor Judicis non Jurisperiti, æquiparatur Judici.

47. Quod consequenter talis Assessor partibus debeat esse notus antequam assumatur.

48. Quod proinde, supposito etiam alios præter quinque nominatos Assessores in hac causa potuisse assumi (quod nullatenus) Appellans equidem fuerit frustratus ac spoliatus eodem jure naturali & positivo, prætensos illos Assessores legitimis ex causis suspectandi.

49. Quod Intimatus in animo convictus fuerit de jure Appellantis cognoscendi Assessores.

50. Quandoquidem ipsemet Intimatus in eadem hac Causa tanquam notorium sustinuerit, Judicem obstrictum esse ad declarandum quosnam Assessores pro decisione hujus Causæ vellet assumere, ut supra Articulo 4.

51. Et hoc tempestive concessum, ut patet ex Actis 30. Maji 1727.

52. Quod hæc clandestina consilia evidenter ostendant, prætensos illos Assessores, si qui fuerint, vere fuisse recusabiles.

53. Quod ea arguant manifestum partium studium in Judice *a quo* ejusque præoccupatum animum adversus Appellantem, quibus prorsus inhabilis atque inidoneus ad officium Judicis reddebatur.

54. Quod insuper jam luculenter appareat our Intimatus, qui in prima instantia deliberationi Clarissimi Judicis & quinque Assessorum totis conatibus Advocatum Fiscalem interesse voluit; coram hoc Judice *a quo* mox ad sustentum Appellantis in fine quadruplicæ exhibitum, absque ullo munisu declaraverit, eumdem Fiscalem hac vice absuturum a deliberatione.

55. Ni-

55. Nimirum quod certus esset Intimatus de animo præoccupato Judicis, de ictu suo securus, & ad condemnationem adversæ partis festinus.

56. Quod tamen ob hujusmodi clandestina consilia, Appellans scire nequeat, an Advocatus Fiscalis re ipsa a deliberatione illa abfuerit.

57. Quin imo quod credibile non sit, pro hac Sententia adhibitam fuisse deliberationem, aut etiam quæsitum consilium Jurisconsultorum; cum ea sit concepta & conscripta contra notorium stilum, utpote in ipsa nulla facta mentione supramemoratæ Sententiæ Interlocutoriæ, nullaque eorum, quæ in vim & consequentiam ejus acta & actitata fuere.

58. Quod inde pateat, Judicem *a quo* nullatenus attendisse ad dictam Sententiam Interlocutoriam, neque ad dicta acta & actitata.

59. Quod vel ex ipso tenore Sententiæ *a qua* constet expressissime, eam latam esse a Judice *a quo* in adsumpta qualitate Executoris Decreti Consilii Status de 12. Septembris 1725.

60. Quod ita Judex *a quo* Appellantem condemnaverit absque cognitione prætensi ejus delicti.

61. Quod proinde eumdem condemnaverit inauditum.

62. Quod eum condemnaverit, non solum coram suo Tribunali Rectorali non auditum, sed nec auditum apud Consilium Status: cum in ipsa lite in confesso sit dictum Decretum Consilii Status Appellante prorsus inaudito datum esse.

63. Quod insuper eumdem Appellantem condemnaverit contra ipsum tenorem Bullæ Erectionis hujus Universitatis, ex qua omni ex parte firmata ac roborata omnem suam jurisdictionem in Supposita ejusdem Universitatis ipse Rector derivat.

64. Quod per eamdem Erectionem etiam per Diplomata Principum nostrorum pro perpetuis in futurum temporibus, Rectori hujus Universitatis; privative & ad exclusionem cujuscumque, in ejusdem Universitatis Supposita omnimoda competat jurisdictio tam civilis quam criminalis in qualibuscumque causis & negotiis; eorumque omnium plena cognitio atque decisio.

65. Quod illud sit Jus ac Privilegium omnium Suppositorum hujus Universitatis, ut eorum personæ & causæ qualescumque judicari non possint neque tractari, nisi coram solo Tribunali Academico.

66. Quod hoc Jus atque Privilegium ab omnibus membris hujus Universitatis propter jurisjurandi religionem inviolate custodiendum & protegendum sit.

67. Quod Appellans Articulo 119. suæ Quadruplicæ, expressis terminis super hisce hujus Universitatis ejusque Suppositorum inviolabilibus Juribus ac Privilegiis exceperit.

68. Quod hæc exceptio esset vere declinatoria adversus qualitatem Executoris, & aliam quamcumque a qualitate Judicis Ordinarii distinctam.

69. Quod Sententia *a qua* directe repugnet Senteniæ Interlocutoriæ supra memoratæ de 31. Julii 1727. quatenus per hanc Interlocutoriam Intimato manifeste abjudicata fuit sua prætensio, quæ in Actis volebat prætendere, quod Decretum Consilii Status operari deberet contra Appellantem.

70. Quod prætensio ista tanto magis esset exotica, quod ipse Intimatus Articulo 64. suæ Replicæ asseruisset, dictum Decretum Consilii Status datum non esse contra Appellantem.

71. Quod sententia *a qua* abusive & contra manifestam veritatem declaret Appellantem sufficienter convictum esse Auctorem Responsionis Epistolaris de data 4. Junii 1725. publice laceratæ in Atrio Consilii Status.

72. Quandoquidem Appellans laceratam Responsionem Epistolarem impressam, sive Exemplar illius in Secretaria dicti Consilii Status repositum, nunquam pro suo simpliciter agnoverit; Relatio ad Instrumentum ab ipso Intimato cum suo Lib. grav. ad Art. 22. sub Num. 4. annexum.

73. Sed solum declaraverit in verbis: „ Que la susdite Réponse Epistolaire separée de l'impression & du Titre, „ & de la Préface, qui sont à la tête, „ étoit conforme, autant qu'il pouvoit „ s'en souvenir, à l'Original par lui „ signé le 4. Juin 1725." uti constat ex eodem Instrumento supra 72.

74. Quod

74. Quod in Sententia *a qua*, per exaggerationem, & ad majus Appellantis gravamen immerito asseratur, dictam Responsionem Epistolarem laceratam fuisse in conformitatem Decreti Suæ Imperialis ac Catholicæ Majestatis lati per Excell. Comitem de DAUN Gubernatorem Generalem Patriæ.

75. Cum tamen ipse Intimatus Art. 18. sui Libelli gravaminum asseruisset, Decretum illud esse Decretum Consilii Status.

76. Quod etiam idem Decretum tale nuncupetur a Serenissima Sua Celsitudine in Litteris de 31. Januarii 1626. ad Appellantem missis. Patet ex Quadruplica Appellantis Art. 160. quod Intimatus non inficiando admisit.

77. Quod interim Judex *a quo*, sub & mediante præcipiti, irregulari, & penitus nullo agendi modo; necnon sub abusivis factis attentaverit Appellanti imponere graves pœnas cum comminatione graviorum.

78. Quod sine ulla etiam Monitione Canonica contra Appellantem processum sit ad Censuram *Suspensionis a Divinis*.

79. Quod Monitiones Canonicæ ita essentialiter secundum Canones sint prærequisitæ, ut iis neglectis, censuræ prorsus invalidæ sint ac nullæ.

80. Quod Censura *Suspensionis a Divinis* in Appellantem decernatur provisionaliter.

81. Quod in re criminali & pœnali locum obtinere non possit *Provisio*, cum omnis pœna natura sua sit afflictiva, ita ut semel illata, *non sit amplius reparabilis*.

82. Quod omnis Provisio sit regulativa ulterioris processus, in ordine ad definitivam.

83. Quod Sententia *aqua* definitiva sit, talisque in ipso ejus textu qualificetur.

84. Quod per Sententiam definitivam Judex ita perfunctus sit officio, ut jam omnis ejus actualis Jurisdictio & potestas circa decisam Causam expiret, omnisque ulterior coram ipsius Tribunali cesset processus.

85. Quod non videatur, quandonam & quomodo provisionalis illa & illimitata Suspensio cessatura sit.

86. Quod omnis pœna debeat esse proportionata delicto.

87. Quod equidem inveniri non possit, quodnam aut quale delictum Appellantis huic Sententiæ & pœnæ materiam præbuisset.

88. Quod quantum Appellantem attinere poterat, solum quæstio fuerit super Responsione Canonica manuscripta, quam Appellans secundum suam Professionem, dictamen conscientiæ, &, circumstantias propositi Casus dedit.

89. Servando in omnibus Articulis regulas decoris; ita ut assignabilis non sit ullus ejus terminus, qui vel minimum ullius personæ contemptum insinuet: prout nec Intimatus unquam assignare potuit.

90. Quod per Judicem *a quo* Appellanti erepta fuerit sua defensio.

91. Quod in causis gravi momenti, præsertim criminalibus, ubi de honore & fama Viri honorati agitur, ad lecturam non procedatur, nisi Partibus tempestive præmonitis.

92. Quod e contrario hic Judex *a quo* non modo ad lecturam (si tamen lectura intervenerit) verum etiam ad ipsam Sententiam definitivam ita clam & simul præpropere prosilierit ut ne quidem Appellanti ulla suspicio inciderit, aut incidere potuerit imminentis sibi Sententiæ.

93. Quod ita Appellanti præcisa fuerit omnis facultas exhibendi ulteriora defensionis ac justificationis suæ media, & Judicem per Motivum, quod parabat, imo paratum habebat, instruendi.

94. Quod ita frustratus omni medio recurrendi ad superiorem Judicem adversus irregularitates & excessus, qui forte in decisione hujus Causæ committerentur.

95. Quod lectura (si qua tamen facta sit, quod non creditur) adeo clam peracta sit, ut nemo de ea quidquam sciverit aut hactenus sciat ubi, quando & a quibus instituta aut absoluta fuerit.

96. Quin imo ne quidem Secretarius Universitatis lecturæ interfuerit, cum tamen is tanquam Causæ Actuarius, qui ipsam Sententiam signavit, naturaliter lecturæ præsens esse debuerat.

97. Neque hanc suam absentiam a lectura hujus litis ipsemet Secretarius jurejurando diffitebitur.

98. Quod Decretum de inferendis spor-

tulis, cum ex more semper Sententiæ definitivæ præmittatur, hic tamen non præcesserit, sed post Sententiam pronunciatam latum sit.

99. Quod ita judex *a quo* Appellantem clam & à tergo Sententia *a qua* ferire voluerit.

100. Quod Citatio Procuratoris Appellantis quidem facta fuerit, sed per schedulam ad ædes ejusdem Procuratoris allatam illa die & hora, idest, die sabbati 7. Februarii post horam decimam matutinam, quando sciebatur ex officio absens detineri in Rotula conservatoriali, ubi revera tunc detinebatur.

101. Per schedulam latine conscriptam, quam Apparitor latine nesciens ferret ad ædes Procuratoris Appellantis, & traderet in manus sororis ejusdem Procuratoris, quæ dictam schedulam accepit, eamque demum fratri Procuratori tradidit post pronunciatam jam Sententiam *a qua*.

102. Quod illico post Citationem, idest, circa undecimam ejusdem diei 7. Februarii in ædibus Magnifici Rectoris pronuntiata sit sententia *a qua*.

103. Quod vix pronuntiata Sententia, duæ illius copiæ sub majori sigillo Rectorali ad valvas Ecclesiæ D. Petri & Hallarum affixe fuerint sine subscripta relatione affixionis, ad cujus instantiam, vel per quem.

104. Quod affixio Sententiæ, ubi persona, cui insinuetur, ipso in loco præsens est, contraria sit stilo & consuetudini hujus Patriæ.

105. Quod nequidem similis affixio per Sententiam *a qua* fuerit decreta.

106. Quod proinde condemnati pœna aggravata fuerit ultra ipsum tenorem Sententiæ.

107. Quod demum 4. horis post affixionem Sententiæ, idest, post horam tertiam a meridie, ad personam Appellantis, ejusdem Sententiæ insinuatio facta sit.

108. Quod ita Appellans palam & irreparabili nota ubique per cunctorum ora diffamatus fuerit, priusquam de sententia quidquam sciret, aut aliquod ei remedium opponere posset.

109. Quod si Procurator Appellantis sciète potuisset Judicis propositum de pronunciandi sententia hac præmatura, eidem per Appellationem prævie objectam potuisset jure obviare, adeoque eam prorsus impedire aut inanem reddere.

110. Quod omnes hæ circumstantiæ demonstrent, quo scopo & fine cautum fuerit, ne Procurator Appellantis ad pronunciationem Sententiæ adesset; videlicet ne per illum Appellatio ipso instanti interjecta impediret, quominus libere procederent ad illam ignominiosam affixionem, qua Appellantem diffamare meditabantur.

111. Quod hæc omnia evidenter ostendant, Sententiam *a qua* latam non esse zelo justitiæ, sed per meram oppressionem, & animo præmeditato inurendi honori atque existimationi Appellantis perpetuæ gravissimæque notam infamiæ.

112. Quod per Sententiam *a qua* contra omnem æquitatem Appellans condemnetur in expensas easque solidas.

113. Quod Intimatus, in suo Libello gravaminum pro fundamento suæ intentionis posuerit & deduxerit varias prætensas qualitates facti, de quo quæstio, quibus Appellantem gravare voluit.

114. Quod super iisdem facti qualitatibus lis agitata fuerit usque ad conclusionem in Causa, & usque ad ipsum Motivum Juris ab Appellante exhibitum Clariss. D. Vice-Rectori.

115. Quod per Sententiam Interlocutoriam seu Provisionalem de 31. Julii 1727. hoc Motivum continens Rationes justificativas Facti Appellantis, habitum fuerit pro ulteriore Duplica, ejusque copia concessa Intimato in ordine ad Triplicandum.

116. Quod per eandem Sententiam Provisionalem, quæ in rem judicatam transivit, præsentis causæ materia immobiliter fixa fuerit.

117. Quod secundum hanc Sententiam, unice examinandum foret an factum, quatenus Appellantem concernebat, aliquam pœnam mereretur: rejectis omnibus aliis quæstionibus.

118. Quod proinde debuisset Intimatus per suam Triplicam impugnare Rationes justificativas Appellantis dicto Motivo Juris comprehensas.

119. Quod id nullatenus fecerit, imo ne quidem tentaverit.

120. Quod

120. Quod per eandem Triplicam insistere voluerit alteri viæ, etiam per dictam Sententiam Provisionalem reprobatæ, dum voluit Rectorem hujus Universitatis redigere ad ordinem meri Executoris cujusdam Decreti Consilii Status.

121. Quod etiamsi hac via quidpiam in principali negotio obtinere potuisset (quod nullatenus) equidem de jure & praxi super eo audiri jam non potuisset, nisi refusis expensis eatenus factis, & per ipsius agendi modum plane inutilibus redditis.

122. Quod consequenter ad minus in illas condemnari debuisset.

123. Quod omni juris specie, omnique apparentia æquitatis careat, in hujusmodi expensas condemnari Appellantem.

124. Quod Appellans per suam Quadruplicam ostenderit, prætensionem Intimati de redigendo Magnifico Rectore ad ordinem Executoris Decreti Consilii Status, repugnare omni juri divino & humano; legibus, juribus, & moribus hujus Patriæ; juramento & intentioni Augustissimi Imperatoris.

125. Quod specialiter ab Articulo 96. usque ad 102. dictæ suæ Quadruplicæ Appellans ostenderit, eandem Intimati prætensionem, omnem hujus Universitatis jurisdictionem, ipsamque adeo illius Erectionem evertere.

126. Quod insuper ibidem demonstraverit Appellans ab Articulo 105. usque ad 122. juridicam propositionem ejusmodi prætensionis ab Intimato coram ipsius Rectoris Tribunali factam continere enormem atque inexcusabilem proprii officii ac juramenti prævaricationem, ob quam non solum condemnationem in expensas, sed & exemplarem castigationem mereretur.

127. Quod hæc omnia manifeste ostendant nullitatem & iniquitatem Sententiæ *a qua* & gravamina per eam Appellanti illata.

Quare iis mediantibus, aliisque, &c.

Concludendo contendit idem Appellans quatenus per Sententiam V. V. D. D. V. V. declaretur, Sententiam *a qua* de data 7. Februarii 1728. esse ipso jure nullam.

Et subordinate, ut saltem declaretur, per eandem Sententiam *a qua* male esse judicatum, & ab illa recte appellatum.

Et utrobique aut in omnem eventum, ut per Sententiam V. V. D. D. V. V. illud fiat, quod Judex *a quo* facere debuisset, cum expensis utriusque instantiæ, aut alias salutariter, &c.

Implorando, &c.

J. Charlis.

RESPONSIO
AD PRÆTENSA GRAVAMINA

Pro Consultissimo D. Theodoro Leonardo Streithagen *Juris Utriusque Licentiato Promotore hujus Universitatis, Intimato.*

Contra Clarissimum D. Zegerum Bernardum van-Espen *Juris Utriusque Doctorem, Appellantem.*

INtimatus viso Libello prætensorum gravaminum nomine Appellantis exhibito, dicit ex adverso sequentia sub & mediantibus, &c.

1. Quod Intimatus jure merito posset rejicere totum contentum dicti Libelli uti impertinens, abusivum & fictum.

2. Quandoquidem ex parte Rei sit tale, prout apparebit ex sequentibus.

3. Licet enim verum foret, quod judex Ecclesiasticus in jure non graduatus tenere-

tur assumere Jurisperitum vel Jurisperitos Assessores.

4. Quodque Magnificus Dominus Judex *a quo* non fuerit in jure graduatus:

5. Verum tamen non est quod Magnificus D. Rector hujus Universitatis sit mere Judex Ecclesiasticus.

6. Quandoquidem jurisdictionem suam habeat tum a summis Pontificibus, tum a Principibus hujus Patriæ, atque adeo jurisdictionem habeat mixtam.

7. Et eapropter male comparatur Judici mere Ecclesiastico.

8. Supposito nihilominus quod M. D. Judex *a quo* debuerit judicare de consilio & assensu Jurisperiti, vel Jurisperitorum.

9. Constat equidem ex Sententia per ipsum inter partes lata, quod id ita factum sit.

10. Atque adeo quod Appellans nullam desuper habeat conquerendi rationem.

11. Futilia proinde sunt quæ allegantur de Jurisperitis per Clarissimum D. Rega tum ViceRectorem assumptis.

12. Tanto magis quod fictum, & effictum sit, quod illi nominati & assumpti fuerint ad votum Intimati vel ejus sollicitationem.

13. Et fictum etiam est & effictum, quod quinque illi Jurisperiti fuerint hujus Causæ constituti Judices.

14. Sed Clarissimus Dominus Rega eos tantum assumpsit pro suo consilio & pro tempore quo fuit Vice-Rector, nec aliter, nec alias.

15. Quandoquidem non fuerit in ejus potestate successori illius temporis Magnifici Domini dare Judices aut Assessores, quos voluerit.

16. Sed Magnificus Dominus Judex *a quo* successor principalis Clarissimi Domini, eosdem vel alios assumere potuit, quorum uteretur consilio.

17. Futile proinde est enarrare quid aut quæ per assumptos a Clarissimo Domino Rega actum aut acta fuere.

18. Tanto magis quod post datum suum consilium functi fuerint officio suo, ita ut partes illorum eocirca fuerint finitæ.

19. Et eapropter M. D. Judex *a quo* talem Jurisperitum vel Jurisperitos assumere potuit, qualem vel quales in conscientia sua assumendos putavit.

20. Negatur proinde, quod per assumptos a Clarissimo Domino Rega, vel de consilio & assensu eorumdem ulterius judicari, & per definitivam Sententiam terminari debuerit hæc Causa.

21. Et negatur etiam, quod Sententia illa ferri debuerit secundum scopum, & intentionem eorum.

22. Et negatur quoque quod Appellans appellare potuisset a Decreto de 31. Januarii novissimi; salva impertinentia, quandoquidem illud non fecerit, atque adeo Decreto illi acquieverit.

23. Nescitur interim quid Appellantem moveat ad dicendum quod præbere noluerit ansam calumniandi adversariis suis.

24. Attento quod Intimatus in prima instantia ne vel minima calumnia affecerit Appellantem: Relatio sub humili correctione ad acta & actitata prioris Instantiæ.

25. Quamvis tamen Appellans per calumnias suas amplam subministraverit materiam.

26. Ac id etiam cum dicto suo Libello iterum facere præsumat.

27. Sed cum Intimatus non sit talis genii, eas uti futiles & impertinentes, silentio præteribit.

28. Quod autem dicit Appellans, se in prima instantia protestatum fuisse, illud ipsum etiam facere poterit in hac secunda instantia, si id ipsi ita visum fuerit.

29. Protestari enim & mendicare eadem sunt, uti communiter dicitur.

30. Falsum interim est, quod Intimatus in priori instantia admiserit Causam per nominatos a Clarissimo Domino Rega Jurisperitos oportere instrui, decidi ac terminari.

31. Et si nihil post confectum inventarium actum fuerit aut actitatum, de scitu Appellantis, nihil etiam actum aut gestum fuit de scitu Intimati.

32. Ita ut Appellans ea in parte non fuerit pejoris conditionis quam Intimatus.

33. Calumniatur proinde Appellans maximaque injuria afficit Magnificum Dominum Judicem *a quo*, dum effutire ausu plusquam temerario præsumpsit, quod prædictus Judex clam atque a tergo per inauditam præventionem, & novitatem attentaverit

verit ferre Sententiam *a qua*.

34. Causa enim erat in statu, & judicavit Ille de consilio & assensu Jurisperitorum, ut ipsa fert Sententia.

35. Quales autem assumpserit Jurisperitos ignorat & ipse Intimatus.

36. Nec creditur quod Judex *a quo* hoc dicere teneatur, salva nihilominus impertinentia, ex eo quod id ipsum non faciat ad merita Causæ.

37. Quod autem appellans non signasset aut admisisset Inventarium, & illud ipsum impertinens est:

38. Attento quod illud Inventarium confectum fuerit ad hoc citato præsente, & non contradicente ipsius Procuratore, & sic etiam conclusum, prout fieri solet. Relatio sub humili correctione ad dictum Inventarium & Acta Rotulæ.

39. Sic ut nugas agat Appellans dum ait, latam fuisse Sententiam sine Inventario ex parte sua.

40. Prout & nugas agit, dum dicit, quod nullum deinceps intervenisset Decretum pœnale, quo ipsi injunctum fuisset, ut ad confectionem Inventarii procederet, sub pœna seclusionis, aut quod alioquin Inventarium ab Intimato confectum haberetur ut legitimum.

41. Nam cum confectum & conclusum esset citato, præsente & non contradicente ipsius Procuratore, nihil deerat quod suppleri debuisset.

42. Imponit nihilominus Appellans, salva ejus pace, dum exclamat quod Sententia *a qua* lata foret super instrumentis, quorum nulla in tota lite & actis facta foret mentio, quæque Appellanti nunquam fuissent communicata.

43. Instrumentum enim junctum Libello gravaminum sub No. 5. ab initio fuit exhibitum. Relatio sub humili correctione ad notitiam Domini Secretarii.

44. Unde si Appellans copiam illius non habuerit, imputet sibi, quod eam non levaverit.

45. Quare tanquam falsus negatur Articulus quadragesimus.

46. Prout & talis & calumniosus negatur Articulus 41. qui proculdubio maxime est injuriosus Domino Secretario.

47. Articulus quadragesimus secundus est ejusdem farinæ prout & 43.

48. Articulus 44. est quidem quoad primum membrum verus, prout revera verum est quod Sententia *a qua* lata sit de Jurisconsultorum consilio & assensu.

49. Si vero publice nominati non fuerint neque ab Appellante agniti, aut ullatenus noti Jurisconsulti illi.

50. De eo non magis conqueri potest Appellans, quam ipse Intimatus, attento quod hic nec illos sciverit, nec modo sciat quales fuerint.

51. Unde licet teneretur eos nominare, quod non, id ipsi foret impossibile uti procedendo bona fide per præsentes declarat.

52. Si autem credat quod sit fundatus Appellans ut compellat Magnificum Dominum Judicem *a quo* ad eos nominandos relinquitur in integro contra eumdem.

53. Qua Intimati declaratione in fumum abire debet conclusio per Appellantem desuper capta, concludens in quantum Intimatus ea mediante ad non receptibilitatem cum expensis.

54. Negatur interim quod Assessor partibus debeat esse notus antequam assumatur.

55. Videmus enim e contra quotidie practicari quod Judices mittant lites ad Jurisconsultos insciis partibus, quodque eorum desuper requirant advisamentum, judicent quoque in conformitatem illorum, absque eo quod ulla partium id sciat.

56. Id hoc modo factum fuit in Causa Officii Fiscalis contra Reverendum Dominum Collette, Clarissimo Domino Rega tunc temporis Rectore Magnifico.

57. Cum enim illa foret instructa, missa fuit inscio Officio Fiscali ad Consultissimos Dominos Descartes & Hanewyck, & secundum eorum opinionem judicatum fuit, prout ipsemet Clarissimus Dominus Rega palam dixit.

58. Et tunc mirum in modum laudavit Appellans ac alii fratres modum agendi Clarissimi Domini Rega.

59. Et ecce nunc calumniæ & injuriæ pro parte ipsorum contra M. D. Judicem *a quo*.

60. Sed quid dicam ? ubi ventus vult spirat.

61. Ast parum feliciter jactat Appellans aleam, dum desuper tam longos facit discur-

sus

sus, atque sermones, attenta praxi in contrarium dictis ejus.

62. Et licet Intimatus sustinuisset, Judicem obstrictum esse ad declarandum quosnam Assessores pro decisione hujus Causæ voluisset assumere;

63. Et si Clarissimus Dominus Rega id concesserit, non inde sequitur quod facere id debuerit, multo minus quod Judex *a quo* ad hoc obstrictus fuerit.

64. Injuria iterum est & calumnia dicere, quod petita consilia insciis partibus ostenderint Jurisconsultos fuisse recusabiles.

65. Cum e contra similia consilia sint peti solita ac peti debeant insciis partibus, ut Jurisconsulti sint liberiores in suis opinionibus.

66. Quod autem Intimatus consenserit, quod Advocatus Fiscalis abesset a deliberatione, hoc factum fuit de consensu ejusdem Advocati Fiscalis, qui judicavit esse abscindenda cavillosa incidentia,

67. Et ad ostendendum, quod ipse non affectaret scire, qualis opinionis essent assumendi Jurisperiti.

68. Calumniosum iterum ac maxime injuriosum est dicere, quod non foret credibile pro Sententia *a qua* adhibitam fuisse deliberationem aut etiam quæsitum consilium Jurisconsultorum.

69. Attento quod Appellans eo ipso prædictam Sententiam arguat falsitatis, atque adeo dicat, M. D. Judicem *a quo* esse falsi criminis reum.

70. Ob quod dicterium procul dubio non levi pœna dignus est Appellans.

71. Mirum nihilominus est, quod dicat Sententiam *a qua* confectam & scriptam esse contra notorium stilum.

72. Ex eo quod in ipsa nulla facta sit mentio Sententiæ Interlocutoriæ, nullaque eorum, quæ in vim & consequentiam ejus acta & actitata fuere.

73. Notanter ubi tanquam senior J. U. Doctor scit aut scire debeat, quæ paria sunt, quod hoc fieri non soleat nisi in Sententiis extensis, qualis non est Sententia *a qua*.

74. Puerile proinde est & Doctore indignum ex eo inferre, Judicem *a quo* nullatenus attendisse ad dictam Sententiam Interlocutoriam, neque ad dicta acta & actitata.

75. Ac injuriosum est etiam dicere eam esse latam a Judice *a quo* in assumpta qualitate Executoris Decreti Consilii Status de 12. Septembris 1725.

76. Cum eo ipso ostendat, se vilipendere legitimum suum Superiorem hujus Universitatis Rectorem Magnificum, quod etiam non levi pœna dignum est.

77. Maxime cum sacrosancta sit auctoritas Judicum, quam proinde eorum subditi venerari tenentur, prout Appellans in sua qualitate Doctoris ignorare non potest.

78. Sed quid dicam? Omnia a desperatis procedunt, ex ejus & fautorum ejus calamo.

79. Ecce enim tam effrons existit, ut dicere non vereatur, se condemnatum fuisse inauditum, ubi tamen constat, Causam fuisse instructam usque ad Quadruplicam inclusive, & sic postquam Causa plusquam plene fuerat contestata.

80. Profecto si Appellans dici posset condemnatus inauditus post litem plene contestatam, nullus unquam dici posset condemnatus auditus, cum Sententiæ regulariter ferantur & ferri debeant post litem contestatam.

81. An autem auditus fuerit in Consilio Status, an vero non, ostensum est in priori instantia, illud esse frivolum ac impertinens.

82. Sic ut mirum sit, quod ipsum adhuc urgeat in hac secunda instantia.

83. Negatur Articulus 63.

84. Et quia Articulus 64. verus est, ideo Magnificus Dominus *a quo* potuit Appellantem legitime condemnare.

85. Ex quo proinde inveniunt solutionem suam Articuli 65. 66. 67. & 68.

86. Perexpresse autem negatur Articulus 69.

87. Et licet Decretum de 12. Septembris 1725. non fuerit primario datum contra Appellantem;

88. Sufficit nihilominus quod latum fuerit in famosam Responsionem Epistolarem Appellantis, de qua quæstio.

89. Qui cum ejusdem sese fassus sit Auctorem, falsus est Articulus 71.

90. Sufficit enim contra Articulos 72, & 73. quod fassus sit sese Auctorem esse ejusdem Epistolæ, salvis præfatione, impres-

pressione, distinctionibus Articulorum, & aliquibus vitiis impressoris, ad dicendum, quod desuper satis sit convictus.

91. Nulla enim in jure datur fortior proba, quam ipsa partis adversæ confessio.

92. Est quippe illa omnium probationum optima eaque superlativa.

93. Nuncupet autem Appellans antedictum Decretum de 12. Septembris 1725. prout ipsi placuerit.

94. Eo enim non obstante videbunt Venerabiles Dominationes Vestræ cujus sit, & *a quo* latum ex tenore illius.

95. Et videbunt etiam ex actis & actitatis prioris Instantiæ, quod Appellans frustra & perperam mentionem faciat de monitione Canonica.

96. Maxime si dignetur reflectere, quod dictus Appellans persistat in sua opinione, eamque tueatur mordice.

97. Quod autem censura suspensionis a Divinis in Appellantem sit per interim lata:

98. Non est quod Appellans de eo conqueratur, vel quod sub illo prætextu impugnet Sententiam *a qua*, prout videre est ex tenore ipsius Sententiæ.

99. Provisio enim illa tantum est data donec satisfecisset primo membro definitivo quoad revocationem.

100. Sic ut cavillosum sit eo circa tantos facere sermones.

101. Si vero Appellans invenire non possit quodnam aut quale sit ejus delictum, est forte quia non vult videre.

102. Sic ut merito applicari possit, quod non sint pejores cæci, quam illi qui videre nolunt.

103. Quod autem ad lecturam non procederetur in Causis criminalibus, nisi partibus tempestive præmonitis, hoc omnino alienum est a praxi, ut supra ostensum est.

104. Et alias pro sufficienti monitione servire debet Decretum, quo injungitur suppleri & deferri acta.

105. Si vero post latum tale Decretum prout revera latum fuit, nulla suspicio inciderit Appellanti imminentis Sententiæ, ut affectat,

106. Signum est quod parum sit versatus in praxi.

107. Negatur interim, quod Appellanti præscissa fuerit facultas exhibendi Motivum, quod dicit se habuisse paratum.

108. Nam post latum Decretum de supplendis & deferendis Actis, debebat, si volebat, exhibere jactitatum suum Motivum.

109. Cum autem id non fecerit, clarum est quod recte processum fuerit ad lecturam.

110. Mirum autem non est quod D. Secretarius non interfuerit lecturæ, cum hic ab initio sese excusaverit.

111. Quod vero attinet Decretum de inferendis sportulis, nulla fuit necessitas illud præmittere Sententiæ.

112. Cum id nullibi injunctum aut statutum sit, sic ut id pendeat a beneplacito ipsius Judicis.

113. Acceptatur quod Appellans fateri debeat, Procuratorem suum fuisse citatum ad pronunciationem Sententiæ, idque per schedulam latine conscriptam ut moris est.

114. An autem dictus Procurator domi suæ fuerit, vel alibi, hoc inquirere non debuit Intimatus.

115. Sed ipsi sufficit, quod citatio illa facta fuerit ad domum dicti Procuratoris, uti fieri solet & debet:

116. Quodque Sententia *a qua* post dictam citationem debite fuerit lata.

117. Etsi duæ illius copiæ fuerint affixæ ad valvas Ecclesiæ Divi Petri & Hallarum;

118. Ex eo argui non potest nullitas illius, tanto minus, quod abusivum sit & effictum quod similes affixiones essent contrariæ stilo & consuetudini hujus Patriæ.

119. E contra visum est id ita pluries practicatum fuisse in hac Universitate.

120. Sic ut frivolum sit dicere, quod per hoc condemnati pœna aggravata fuerit ultra ipsum tenorem Sententiæ.

121. Interim cum Appellantis Responsio Epistolaris esset in omnium manibus & publica,

122. Mirum esse non debet, quod Intimatus antedictam Sententiam affigi curaverit ut omnibus innotesceret.

123. Negatur tamen hoc factum esse animo præmeditato inurendi notam honori atque existimationi Appellantis, uti persuadere tentat.

124. Et negatur etiam quod Appellans contra æquitatem condemnatus fuerit in expensas.

125. Tan

125. Tanto magis quod luce meridiana clarius ostensum atque probatum sit in prima Instantia, quod Appellans condemnari debuerit in solidas expensas.

126. Et eapropter frustra repetit Appellans, quibus facti qualitatibus fuerit gravatus.

127. Prout etiam frustra repetit Sententiam Interlocutoriam, de 31. Julii praecedentis anni.

128. Quandoquidem Actor satis ostenderit, rationes Appellantis in ejus Motivo deductas esse impertinentes, prout Venerabiles Dominationes Vestrae videbunt ex Motivis Juris Intimati.

129. Quod autem Intimatus voluisset M. D. Judicem *a quo* redigere ad ordinem meri Executoris cujusdam Decreti Consilii Status, ut persuadere vult Appellans, mera est impostura.

130. Negatur vero, quod Intimatus in aliquas expensas condemnari debuisset.

131. Et negatur etiam quod Jurisdictionem M. D. Rectoris hujus Universitatis aut erectionem illius evertere voluerit.

132. Unde injuriosus est Articulus 126. & protestatur Intimatus de injuria ipsi per eumdem illata cum revocatione ad animum & ulteriori protestatione de agendo ad condignam reparationem tempore & loco.

Quibus aliisque jugendis, &c.

Rejiciendo ulterius contentum dicti Libelli, in quantum hic in particulari non foret solutum per meram frivolitatem, impertinentiam & expressam denegationem quatenus contra, vel facti praejudicialis.

Concludendo contendit Intimatus quatenus per Sententiam Venerabilium Dominationum Vestrarum, bene per Sententiam Judicis *a quo* judicatum, male & sine fundamento ab ea Appellatum, & consequenter quod ille sortiri debeat suos effectus declarando Appellantem in suis conclusionibus in fine dicti Libelli captis in modo & forma non fundatum neque receptibilem, aut alias salutaliter cum expensis &c.

Implorando, &c.

D. Goes.

R E P L I C A (*)

Pro Clarissimo D. Zegero Bernardo van-Espen *J. U. D. & SS. Canonum Professore, Appellante.*

Contra Consultissimum Dominum Theodorum Leonardum Streithagen *J. U. L. hujus Universitatis Promotorem, Intimatum.*

Appellans visa schedula *Responsionis* pro parte Intimati exhibita, dicit sequentia sub & mediantibus, &c.

1. Quod prorsus notorium sit, Rectorem hujus Universitatis esse Judicem mere Ecclesiasticum, ejus Tribunal mere Ecclesiasticum Tribunal.

2. Quod hoc Tribunal Rectoris Magnifici, ubi propria Statuta & stilus deficiunt, sequatur normam & stilum Curiarum mere Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis.

3. Quod ab ejusdem Sententiis aut Decretis nunquam appelletur ad Judicem Laicum sed unice ac privative ad Tribunal quinque Judicum Academicorum, & inde ultimate ad Sedem Apostolicam.

4. Quod Rector M. neminem possit punire morte, uti praescribit Visitatio anni 1617. in verbis:

5. „ Si quispiam ita criminaliter deli-
„ querit, ut reus mortis reperiatur, &
„ sceleris atrocitas nulla possit excusatio-
„ ne purgari, ab Universitate abscindatur
„ & bra-

(*) Exhibita 30. Aprilis 1728.

„ & brachio seculari competenti , pœna
„ plectendus tradatur.

6. Quod Princeps quidem cesserit ac transtulerit Jurisdictionem suam in Rectorem M. sed per hoc ipsum facta sit ea Jurisdictio Ecclesiastica secundum qualitatem Jurisdictionis Personæ , in quam cessa & translata est.

7. Quemadmodum varia, quæ antea erant Jurisdictionis laicæ , facta sunt dein Jurisdictionis Ecclesiasticæ , v. g. in ea parte Brabantiæ , quæ olim erat Diœcesis Leodiensis , Causæ Testamentorum , Contractuum ante-Nuptialium , & Bonorum Amortisatorum subsunt etiam Judici Ecclesiastico.

8. Neque propterea is Judex dicitur habere jurisdictionem mixtam , aut desinit esse Judex mere Ecclesiasticus.

9. Quod in omnem casum, etsi Rector Magnificus haberet jurisdictionem mixtam (quod nullatenus) tamen Judex *a quo* certo certius in ferenda Sententia *a qua* assumpserit qualitatem Judicis Ecclesiastici.

10. 1°. Quia Sententiam *a qua* tulit adversus Personam Presbyteri.

11. 2°. Quia eam tulit adversus Presbyterum in Causa criminali.

12. 3°. Quia prætensum crimen , de quo quæritur , ex natura sua est Ecclesiasticum.

13. Cum notorium sit, adversus Presbyterum , præsertim in Causa criminali , ac maxime ubi quæritur de crimine Ecclesiastico, Actionem instituendam esse coram Judice Ecclesiastico.

14. 4°. Denique , quia Judex *a quo* Ecclesiasticam Censuram appellanti , quamvis nulliter , inflixit;

15. Quam non nisi a Judice Ecclesiastico infligi posse , iterum notorium est.

16. Atque ipse Intimatus in præsenti Causa Rectorem Magnificum reputavit tanquam Judicem Ecclesiasticum.

17. Ut patet ex iis , quæ Intimatus in lite conclusit & sustinuit de Censuris , quas Judex in hac Causa Appellanti infligere teneretur.

18. Notissimi quoque constantissimique stili , usus ac moris est , Rectorem Magnificum hujus Universitatis , si Jurisconsultus non sit , Assessorem Jurisperitum , vel Assessores Jurisperitos assumere.

19. Eundemque Rectorem non modo *de consilio* , verum *& de assensu* hujusmodi Assessoris vel Assessorum judicare & Sententiam ferre.

20. Hunc stilum & usum declarant vel ipsæ duæ Sententiæ in hac Causa latæ.

21. Idem declarat ipsum Decretum in eadem Causa Assessore Clarissimo D. Hacquio latum.

22. Item Sententia in Causa R. D. Collette , cujus meminit Intimatus Art. 56. & 57. hic per copiam annexa.

23. In summa tot sunt exempla , quot fuerunt Rectores non Jurisconsulti.

24. Quid , quod ipse Intimatus sustinuerit in hac ipsa Causa Clarissimum Dominum Rega , *quandoquidem non* esset *Jurisconsultus* , NOTORIE *assumere debere pro* DECISIONE *hujus Causæ Assessores?* Ita ruunt Articuli 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.

25. Neque hæc praxis & stilus Tribunali Rectoris Magnifici peculiaris est , sed & in omnibus aliis Curiis Ecclesiasticis , ubi Judices non sunt Graduati in Jure , constanter observatur.

26. Quemadmodum & in hoc Ducatu Brabantiæ apud illos Judices , qui tenentur Consilium Jurisperitorum sequi.

27. Acceptatur autem id quod Intimatus non inficiando fassus est , nempe contentum Articulorum a 4. usque ad 18. inclusive Libelli gravaminum ex parte Appellantis exhibiti , in quibus exponitur modus & forma , qua Consultissimi D. D. *Descartes* , *Pierlants* , *Cools* , *Tourneville* & *De Fooz* in Assessores ad decisionem hujus Causæ assumpti fuere , item processus eorum atque Sententia.

28. Ex quibus luculenter sequitur , quod hæc Causa debuerit decidi ac terminari de eorumdem quinque Assessorum consilio atque assensu. Contra Art. 14. 15. 16. 17. & 20.

29. Attentis insuper modo & forma , quibus hi quinque Assessores ad hanc Causam specialiter nominati fuere.

30. Functi fuerunt quinque illi Assessores munere suo per Sententiam Interlocutoriam , sed non perfuncti , nec functi præcipua officii sui parte , nec eorum partes finitæ : contra Art. 18.

31. Contra Art. 19. Debuit Judex *a quo* Causam hanc assumere in iis terminis, in quibus a Clarissimo Prædecessore relicta fuerat.

32. Nihil interest, sive quinque illi Viri vocentur hujus Causæ Judices vel Assessores. Contra Art. 13. De vocabulo non est litigandum.

33. Sufficit Assessores illos re ipsa fungi munere Judicis, utpote ex quorum consilio & assensu ipse Judex non Jurisperitus præscriptam sibi Sententiam pronunciare debeat.

34. Hic habet nudum nomen, illi rem.

35. Quare Appellans Art. 46. sui Libelli grav. recte dixit, hujusmodi Assessorem Judici æquiparari.

36. Quem Articulum non inficiando admisit Intimatus, quod acceptatur.

37. Acceptatur quoque, quod Intimatus admisit, Sententiam *a qua* seclusis dictis quinque Assessoribus latam esse.

38. Item, quod Intimatus fassus est, Sententiam *a qua* latam indecisa pendente conclusione Appellantis in Actis producta 31. Januarii 1728.

39. In qua conclusione expressis terminis sustinuit Appellans, *præsentem Causam, remoto Clarissimo Domino Hacquio, aliisque quibuscumque* penitus seclusis, *unice & privative de consilio & assensu nominatorum quinque Jurisperitorum per Magnificum Dominum Judicem* a quo *oportere instrui, decidi ac terminari*.

40. Articuli 9. & 10. negantur; nec credi debet Intimato, nec Judici *a quo* in proprio suo facto, contra quod hic agitur, quasi scilicet idcirco credere oporteret, intervenisse consilium & assensum Jurisconsultorum, quia hoc ipsum asserit Sententia, quæ vel ex illo ipso capite arguitur nullitatis.

41. Turpe est declarare nolle, quinam fuerint Assessores, si qui revera fuerunt.

42. Quod attinet Art. 11. & 12. Responsionis Intimati, intelligi nequit, quomodo ibidem asseverare non vereatur, *fictum & effictum* esse, quod prædicti Jurisconsulti nominati & assumpti fuerint ad votum Intimati vel ejus sollicitationem.

43. Quandoquidem ipsius Intimati proprius Procurator Haelgoet Consultissimo Domino Advocato De Swert die 1. Julii 1727. summo mane insinuaverit apertum quoddam mandatum de 30. Junii novissimi, quo huic Advocato interdicebatur, ne interesset lecturæ hujus litis.

44. Quandoquidem ipse Intimatus cum dicto Procuratore suo ex Consilio Advocati Fiscalis ad impetrandum dictum mandatum dicto die 30. Junii sub vesperam Bruxellas excurrerit, ac postero die summo mane idem illud mandatum attulerit.

45. Quandoquidem & ista alia mandata, de quibus Appellans Art. 9. sui Lib. grav. per Intimati sollicitationes obtenta fuisse abunde monstrentur ex iis, quæ Procurator Intimati ex SPECIALI *informatione sui consilii* 30. Junii 1727. reposuit ad Libellum Appellantis, quo hic contendebat Advocatum De Swert ad lecturam hujus Causæ advocari debere.

46. Quandoquidem idem Procurator, eo quod negotium de Assessoribus non succederet ad votum Intimati per informationes suas obtinuerit aliud Mandatum insinuandum Clarissimo Domino Rega, per quod ipsi præcipiebatur, ut statim a lectura hujus litis jam cœpta desisteret, seseque indilate Bruxellis præsentem sisteret.

47. Quandoquidem hoc ipsum Mandatum per Litteras clausas eidem Clarissimo Judici ipsemet dictus Procurator Intimati insinuaverit dicto die 1. Julii.

48. Quandoquidem Clarissimum Dominum Rega Bruxellas profectum, paulo post subsecuti sint dictus Procurator, Intimatus & Advocatus Fiscalis.

49. Quandoquidem idem Clarissimus Bruxellis detentus fuerit, donec in locum Advocatorum De Swert & Vander Vorst alios Assessores nominasset.

50. Contra Articulum 21. persistit Appellans in Articul. 22. Libelli gravaminum.

51. Uti & contra Art. 22. persistit, quod a Decreto de 31. Januarii 1728. appellare potuisset.

52. Falsum porro est, Appellantem eidem Decreto acquievisse.

53. Schedula *Loco Termini* eodem die ex parte Appellantis exhibita contrarium plane evincit.

54. Contra Articulos 23. 24. 25. 26. & 27. Quas calumnias Appellanti impegerit

perit Intimatus non semel ostensum fuit in hac Causa. Provocatur autem Intimatus, ut ipse vel unam calumniam specifice designet, qua ab Appellante affectus fuisset.

55. Contra Articulos 28. & 29. Non fuit ab Appellante simplex objecta Protestatio, sed formale Sustentum atque Conclusio.

56. Cui Sustento atque Conclusioni satisfieri oportuisset, vel per Intimatum opponi.

57. Contra Art. 30. persistit Appellans in Art. 29. sui Libelli gravaminum.

58. Contra Art. 31. & 32. persistit Appellans, nihil de suo scitu in hac Causa actum fuisse aut actitatum a die, quo Intimatus in actis respondit ad schedulam *Loco Termini* ex parte Appellantis exhibitam 31. Januarii 1728.

59. Contra Art. 33. Qui utitur suo jure, nemini facit injuriam. Jure autem Innocens se inique condemnatum queritur. Hic porro agitur contra iniquam Sententiam *a qua*.

60. Negatur Art. 34. ubi asseritur, litem fuisse in statu judicandi.

61. Prout etiam, salva impertinentia, negatur, Judicem *a quo* tulisse Sententiam de consilio & assensu Jurisperitorum.

62. Neque in hac parte creditur Sententiæ *a qua*, cum hactenus nemo prætensos illos Jurisperitos noverit.

63. Quare persistit Appellans in Requisito Art. 44. sui Lib. grav.

64. Tanto magis, quod Intimatus per suos Articulos 35. & 36. majorem præbeat ansam credendi Sententiam *a qua* re vera absque ullo Assessore latam.

65. Quid enim facilius, quam Assessorem nominare, si ullus assumptus fuerit?

66. Certe alia hic causa celandi Assessores subesse nequit, nisi vel impotentia eos manifestandi, ex eo quod nullus Assessor assumptus fuerit; vel pudor, quod prætense assumpti jure fuerint recusabiles.

67. Ceterum magnopere ad merita causæ; imo ad Sententiæ *a qua* nullitatem demonstrandam facit, quod Assessores ignorentur.

68. Contra Articulos 37. 38. 39. 40. & 41. Acceptatur confessio Intimati, quod Procurator Appellantis non signaverit Inventarium.

69. Apud omnia Tribunalia debet Inventarium ab utraque parte signari.

70. Atque hoc ipsum jus confirmatur ex Actis Rotulæ hujus litis de 31. Januarii 1728. ubi Procurator Appellantis citatus fuit ad signandum Inventarium.

71. Quando etiam idem prætensum Inventarium a Procuratore Intimati signatum fuit.

72. Signum evidens, quod secundum ipsummet Intimatum debeat Inventarium a Procuratoribus Partium signari.

73. Quare ridiculum est, quod Intimatus prætensum suum Inventarium velit defendere per hoc, quod illud confectum fuisset præsente & non contradicente Procuratore Appellantis, cum nolendo signare, facto contradixerit.

74. Partis erat petere Decretum Judicis, quo cogeretur Procurator Appellantis aut ad subscribendum Inventario, aut ad allegandum rationes cur subscribere renueret, sub pœna quod haberetur pro legali.

75. Acceptatur autem, quod Intimatus fatetur, nullum intervenisse Decretum pœnale, quo Appellanti injunctum fuisset, ut *ad confectionem Inventarii procederet sub pœna seclusionis, aut quod alioquin Inventarium Intimati haberetur legitimum.*

76. Contra Art. 42. Persistitur penes dicta Art. 38. 39. 40. & 41. Libelli grav. ex parte Appellantis.

77. Atque ulterius dicit Appellans, hæc dicta sua confirmari vel ex ipso Art. 23. Libelli grav. ab Intimato, tunc Actore, exhibiti.

78. Verba enim istius Art. 23. desumpta ex ipso Mandato Rectoris M. manifeste ostendunt idem illud Mandatum esse verum annexum sub N. 5.

79. Et negatur absolute, quod intrusum Instrumentum, quod nunc sub N. 5. deprehenditur, ab initio exhibitum fuerit, prout falso asserit Intimatus Art. 43.

80. Provocatur porro Intimatus, ut ostendat ubi vel minimum in hac lite contradixerit Artic. 390. Motivi Juris Appellantis; item Articulis 16. 17. 18. 19. & 20. Quadruplicæ ejusdem.

81. Neque solum dictos Articulos non infi-

inficiando admisit, sed & admisit similiter Articulos 21. 22. & 24. dictæ Quadruplicæ.

82. Uti & Articulum 23. ejusdem, qui in verbis sic sonat: „ Mandatum Re„ ctoris M. uti per Actorem cum Libello „ grav. ad Art. 23. exhibitum fuit sub „ N. 5. sic habet: *Injungimus Promotori* „ *nostro & Procuratori Haelgoet, quatenus* „ *indilate coram nobis servato juris ordine* „ *instituat nomine Officii Actionem ad onus* „ *Clarissimi Domini van-Espen J. U. D.* „ *& SS. Canonum in hac Universitate* „ *Professoris. Datum Lovanii hac 11. Fe*„ *bruarii* 1727. „

83. Provocatur insuper Intimatus, ut designet Art. sui Libelli grav. ad quem, & Num. sub quo reclametur istud Mandatum Rectoris M. de 11. Februarii 1727.

84. Siquidem ad Art. 23. sub Num. 5. prætendat ab initio annexum fuisse Instrumentum, quod jam reperitur intrusum.

85. Concipi non potest, qua confidentia Intimatus asserere nunc non vereatur, intrusum hoc Instrumentum ab initio fuisse exhibitum, junctumque Libello suo grav. ad Art. 23.

86. Cum probe conscius sit Intimatus, ante institutam hanc Actionem ex memorato Mandato Rectoris M. deleta atque erasa fuisse ea verba, quibus significabatur præsens Actio institui *vigore hujus Instrumenti intrusi*, prout & Intimatus non inficiando Articulum 22. Quadruplicæ admisit.

87. Cum insuper sciat Intimatus, se Appellanti personaliter comparenti primo declarasse quod hæc Actio ex solius Magnifici Domini Mandato atque Auctoritate foret instituenda, uti etiam non inficiando Articulum 24. ejusdem Quadruplicæ admisit.

88. Cum sciat Intimatus, sibi, ob jurata Universitatis Privilegia, nullatenus fas esse, ex alterius quam ex Magnifici Rectoris Mandato & Auctoritate Actionem instituere ad onus alicujus Membri ac Suppositi ejusdem Universitatis.

89. Cum nec ipsum latere possit, in Causa Reverendi Domini Collette, de qua Intimatus Art. 56. & 57. cum periculum videretur, ne Advocatus Fiscalis Informationes caperet vi cujusdam extranei Mandati, hoc ipsum ei per Rectorem M. prohibitum fuisse:

90. Injunctumque, ut illas informationes vi Decreti Rectoralis caperet.

91. Ac denique Sententiam hic annexam, latam super Informationibus & processu vigore solius Decreti ejusdem M. D. Rectoris habitis.

92. Persistitur quoque penes contentum Art. 42. & 43. Libelli grav. Appellantis.

93. Quos etiam Intimatus per Art. suum 47. admisit.

94. Nec quidquam ad rem facit, quod Intimatus prætendat, eosdem Articulos injuriosos fore D. Secretario, uti dicto Articulo asserit.

95. Sed multum ad rem facit, contentum eorumdem Articulorum verum esse.

96. Negatur Art. 48. in quantum asserit, latam Sententiam *a qua* ex consilio & assensu Jurisperitorum.

97. Acceptatur autem quod Articulo 49. fatetur, Assessores a Judice *a quo* nominatos non fuisse.

98. Contra Articulum 50. Tametsi Intimatus nesciret hactenus Assessores Judicis *a quo*; quia nempe vel nulli assumpti fuere, vel eos ipse scire noluit, securus de præventione ejusdem Judicis abunde sibi nota:

99. Equidem Intimati est defendere hac in parte Sententiam *a qua*, quæ ex eo capite ab Appellatione arguitur nullitas.

100. Intimati est efficere, quocumque libuerit modo, ut Judex *a quo* nominet, quos assumpsisse prætenditur Assessores.

101. Factum Judicis est factum Partis.

102. Quod si Intimatus nolit Sententiam *a qua* quoad hunc Articulum defendere, admittat necesse est, eam esse absque Assessoribus latam.

103. Si autem hoc admittat, declarat Appellans cessare sustentum sub Art. 44. sui Lib. grav. alias penes illud persistit.

104. Adversus negationem ab Intimato temere in Art. 54. objectam, firmiter persistit Appellans penes id, quod Assessor debeat Partibus esse notus, nec Partium studio addictus; quodque alioquin Partibus liberum sit eum recusare.

105. Negatur, salva impertinentia, falsa posi-

positio, quam Intimatus formavit Art. 55.

106. Nec concipi potest, quomodo bona fide talem Articulum posuerit; cum notorium sit, quod in iis Tribunalibus subalternis, ubi Judices tenentur sequi consilium Jurisperitorum,

107. Partes hinc inde (ubi de Decreto quopiam ferendo, aut Sententia agitur) postulent a Judice, ut Inventario rite confecto omnes partes litis sub sigillo clausæ ad Jurisperitos non suspectos mittantur conformiter ad Ordinationes de 20. Decembris *1659*. & 10. Martii *1693*.

108. Quod dein partes litis ita clausæ, per personam publicam tradantur Illustrissimo D. Cancellario Brabantiæ, aliisve, ad quos pertinet hujusmodi Jurisperitos non suspectos nominare.

109. Quod hæc nominatio in scriptis publica reddatur.

110. Quod hinc Partes litis una cum hac nominatione tradantur iis, qui nominati fuerint.

111. Quod denique nominati Jurisperiti simul litem legant, super ea deliberent, suumque judicium in scriptis ferant, & suum nomen subscribant.

112. Quod proinde hæc omnia publice peragantur; nihil eorum clam & a tergo.

113. Quod consequenter Partibus liberrimum sit, nominatos Jurisperitos instituere, vel recusare si recusabiles judicarent.

114. Quid, quod partes, ubi judicium nominatorum Jurisperitorum jam ad Judicem delatum est, illud aperiri petant, & juxta illud pronunciari?

115. Notorium quoque est Jurisperitos illos semel, uti dictum est, nominatos, pro eadem causa judicanda permanere, donec per Sententiam definitivam decisa sit.

116. Ita ut, si feratur Interlocutoria, post eam sine nova nominatione, ad eosdem redeat, & toties redeat donec & definitiva Sententia lata sit & executioni mandata.

127. Si Intimatus noverit forte, per quædam media clancularia contrarium attentatum fuisse, ignorare nequit illud Causæ suæ patrocinari non posse, sed potius punitione dignum videri.

118. Nihil etiam tam notorium, quam Assessores Rectoris hujus Universitatis, si in Jure Graduatus ipse non sit, publice notos esse & esse debere.

119. Quantum ad exemplum ab Intimato reclamatum Art. *56*. & *57*. tanquam falsum negatur, salvo quod factum particulare Judicis non deroget in posterum juri quod habent Partes.

120. Qua veri specie interim insinuare vult Intimatus, Causam illam, de qua in dictis Articulis, clam & a tergo decisam fuisse, quasi Jurisperiti, de quibus ibidem, Officio Fiscali noti non fuissent; quandoquidem ipse prætendat Officium Fiscale constanter interesse non modo lecturæ; sed deliberationi Causæ?

121. Et consequenter in animo sustinere debeat, Officium Fiscale etiam tempore interfuisse saltem lecturæ litis.

122. Quod si in animo sustineat, quomodo bona fide dicere potest, Jurisperitos illos tunc Officio Fiscali ignotos fuisse, atque adeo Causam Judicatam clam & a tergo?

123. Quin cum Officium Fiscale adversus Sententiam in dicta causa latam minime reclamaverit, haberi illa debet tanquam rite lata.

124. Itaque invectivæ, quas Intimatus profert Art. 58. 59. *60*. & *61*. sponte ruant, necesse est.

125. Duo sequentes Art. *62*. & *63*. nullum merentur responsum. Sunt ii sane egregium argumentum bonæ illius fidei, qua Intimatus Art. 51. sese jactitat procedere.

126. Adversus Art. *64*. & *65*. persistitur penes Art. 52. & 53. Lib. grav. Appellantis.

127. Acceptatur insuper, quod Intimatus admittit, se in prima Instantia omnino contendisse, deliberationi Clarissimi Judicis & 5. DD. Assessorum Advocatum Fiscalem interesse debere, prout revera interfuit.

128. Ratio ab Intimato Art. *66*. & *67*. adducta, quare illico declaraverit eundem D. Fiscalem a deliberatione, quæ coram Judice *a quo* institui debebat, abfuturum, cordatos viros non movebit: sed profecto judicabunt ii, quod Appellans Art. 55. sui Lib. grav. rem acu tetigerit.

129. Persistitur penes Art. *56*. 57. & 58. ejusdem Libelli contra Art. *68*. *69*. *70*.

70. 71. 72. 73. & 74. Responsionis Intimati.

130. Appellans jure suo usus est, ubi ad sui defensionem allegavit facta atque gravamina, ex quibus pateret iniquitas Sententiæ *a qua*: Unde Judici *a quo* nullam hic injuriam intulit.

131. Verum Intimatus injuriosus hic est Judici *a quo*, quando ex factis ab Appellante allegatis odiosissimas deducit sequelas, quas non deduxerat Appellans:

132. Attento quod Judex *ad quem* unice judicare debuit ex allegatis & probatis.

133. Commune Axioma est, quod Judici sine Actis non credatur.

134. Maxime in Causa Appellantis & querelæ Nullitatis fundatæ in Facto Judicis *a quo*.

135. Non tantum in Sententiis extensis, verum etiam in non extensis, reclamantur Sententiæ Interlocutoriæ, eaque quæ in conformitatem earum fiunt.

136. Idque præsertim in rebus majoris momenti qualis ex confessione ipsius Intimati, est præsens Causa.

137. Si adhuc circa notoriam hanc praxim dubitare velit Intimatus, integer cumulus ejusmodi Sententiarum, quibus se fateatur convictum, adducetur: sed suis expensis, utpote quas temeraria sua negatione creasset.

138. Insigne interim argumentum Ignorantiæ suæ circa praxim profert Intimatus, dum per sententias extensas intelligi vult eas, in quibus Sententiæ Interlocutoriæ reclamantur.

139. Huc usque sane per Sententiam extensam intelligebatur ea, in qua explicite & de verbo ad verbum enarrantur ut minus conclusiones & præcipua merita Causæ.

140. Quod Sententia *a qua* per Judicem *a quo* lata sit in assumpta qualitate Executoris Decreti Consilii Status de 12. Septembris 1725. id ipsum aperte exprimitur in ipsa Sententia *a qua*: ut vanæ sint invectivæ Intimati Art. 75. 76. 77. & 78.

141. Acceptatur, quod Intimatus non inficiando admisit, scilicet contentum Art. 60. quod Judex *a quo* Appellantem condemnaverit sine cognitione prætensi ejus delicti.

142. Ac proinde etiam admittere debet Intimatus contentum Articuli 61.

143. Prout etiam Art. 62. cum in confesso sit, Appellantem in Consilio Status auditum non fuisse.

144. Quibus mediantibus solutionem inveniunt Art. 79. 80. 81. & 82.

145. Contra negationem Intimati in Art. 83. Appellans persistit penes affirmationem Art. sui 63.

146. Acceptatur quod Intimatus Articulo 84. positive admittat Art. 65. ex quo evidenter sequitur, quod Judex *a quo* nequaquam juste potuerit condemnare Appellantem.

147. Persistit Appellans penes Art. 65. 66. 67. & 68. adversus Art. 85. Responsionis Intimati.

148. Adversus negationem Intimati Articulo 86. persistitur penes Art. 69.

149. Et contra Art. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. & 94. persistit Appellans penes Art. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. & 77. sui Lib. grav.

150. Contra Art. 95. 96. 97. 98. 99. 100. qui versantur circa suspensionem a Divinis Appellanti nulliter inflictam,

151. Dicit in primis Appellans, quod Intimatus dictam Censuram & defectum Monitionum Canonicarum conando justificare, sese ostendat in materia Censurarum plane hospitem & peregrinum.

152. Apud Canonistas & Theologos certum atque expeditum est, suspensionem a Divinis dupliciter considerari posse ac debere.

153. Uno modo, ut meram pœnam; altero autem ut meram Censuram.

154. Si ut pœna, infligitur ad certum ac determinatum tempus, quo elapso, per se cessat suspensio.

155. Illimitati temporis suspensio, non suspensio foret, sed potius depositio.

156. Si autem consideretur ut mera Censura, unice infligi debet ad tollendam contumaciam;

157. Ita ut ubi contumacia non est, Censuræ locus non sit.

158. Contumacia autem apud Vallensem in Paratit. *de Dolo & Contumacia* & apud alios passim definitur, inobedientia erga Judicem Prælatum vel alium Superiorem juxta Ho-

Hostiens. in Summa h. t. Significat enim contumacia inobedientiam & proprie contemptum Potiorum.

159. Quare ante Decretum vel Mandatum Superioris ne quidem est materia contumaciæ.

160. Verum ut quis constituatur in vera contumacia in ordine ad Censuras, a Jure requiruntur præviæ tres Monitiones Canonicæ ad parendum Mandato Superioris, vel una pro omnibus cum dierum aliquot competenti intervallo.

161. Aliter promulgatas Censuras, etiam Suspensiones, nullas esse statuunt Jura in Cap. 3. 9. 13. *de Sent. Excom. in VI.* & Auctores ibi passim.

162. Verum de his latius instructive.

163. Quod ad præsentem Causam attinet; certum est, prætensam Suspensionem in Appellantem latam esse per modum meræ Censuræ, non autem per modum pœnæ.

164. 1°. Ex eo, quod indeterminata sit, nec ad certum tempus restricta.

165. 2°. Quia ipse Intimatus Articulo 99. dicit, eam latam esse atque inflictam, donec Appellans satisfaceret primo membro Definitivæ quoad revocationem.

166. Cum ergo in confesso sit, dictam Suspensionem latam esse per modum meræ Censuræ; defendi hæc nequit tanquam valida, nisi præcesserit in Appellante contumacia adversus Mandatum Superioris.

197. At, quæ contumacia hic argui potest; cum per ipsam Sententiam *a qua* Appellanti concedatur spatium trium septimanarum ad præstandam prædictam mandatam revocationem?

168. Ita ut ad totum illud spatium hoc ipsum Mandatum protrahi debuisset, antequam Appellans contumaciæ potuisset redargui:

169. Elapso autem illo temporis spatio, siquidem Sententia *a qua* transiisset in rem judicatam; tunc primo locus fuisset Canonicis Monitionibus; post quas demum succederet Suspensio aut alia quæcumque Censura.

170. Unde præteriri hic non potest insulsitas Articulorum 95. & 96. ubi intimatus prætendit deducere contumaciam ex eo, quod Appellans in prima hujus Causæ instantia perstiterit in sua opinione, eamque tuitus sit mordicus.

171. Certe inobediens Judici, aut contumax non est, qui vocatus in Jus, comparet, exceptiones suas allegat, factum suum defendit, nil a se peccatum ostendit, & Jure experitur: prout Appellans in hac causa fecit.

172. Ita ut prætensa hæc Suspensionis Censura, omni ex parte nulla sit, nulloque pacto sustineri queat.

173. Denique ad inflictionem hujus Censuræ, de qua quæstio, dignetur notare V. V. Judices, quod Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. C. 3. districte omnibus Judicibus Ecclesiasticis injungat, ut abstineant a Censuris etiam in Causis criminalibus, ubi executio Sententiæ per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios aut alienos Executores fieri potest.

174. Quod notorie in Appellante nullam difficultatem patiebatur.

175. Sed mysterium hic suberat: noverant profecto futurum, ut Appellans a tali Sententia appellaret, sicque omnis ejus executio sisteretur.

176. Noverant hoc ipsum futurum, si Judex *a quo* solum Suspensionis Censuram comminaretur; quia nempe Appellatio a comminatione Censuræ certo effectum habet suspensivum.

177. Maluerunt proinde, omni forma Juri neglecta, procedere ad Sententiam Censuræ, quæ interjecta Appellatione non admitteret effectum suspensivum, uti postmodum coram hoc Tribunali sustinuerunt.

178. Ita ut hæc Censura Suspensionis non solum nullitatem suam portet in fronte, sed & prævaricationem Decreti Concilii Tridentini, & turpem Censurarum ac Ecclesiasticæ Potestatis abusum involvat.

179. Adversus Articulos 101. & 102. persistitur penes Articulos 87. 88. & 89.

180. Adversus Articulos 103. 104. 105. 106. 107. 108. & 109. dicit Appellans, miram esse prætensionem Intimati, quod nempe prætensum Decretum de supplendis & deferendis Actis fuerit sufficiens monitio instantis lecturæ.

181. Quandoquidem noscatur lectura instare, non ex hujusmodi Decreto, sed ex ejusdem Decreti executione, ac reali legitimaque delatione Actorum.

182. Hæc

182. Hæc autem delatio fieri non poterat, nisi Inventario legitime confecto, atque adeo a Procuratoribus Partium signato; aut certe illo, qui in mora fuisset, per Decretum pœnale secluso.

183. Quæ duo in hac Causa neglecta fuisse in confesso est.

184. Nulla ergo suspicio Appellanti vel incidere potuit de imminente Sententia.

185. Dumque Intimatus hac in parte Articulo 106. Appellantem arguit quasi parum in praxi versatum; ipse suam in praxi imperitiam crassam ostendit.

186. Quapropter adversus Articulos 107. 108. & 109. persistit Appellans, præscissam sibi fuisse facultatem exhibendi, quod paratum habebat, Juris Motivum.

187. Quia dictum Decretum de supplendis ac deferendis Actis minime urgere poterat Appellantem ad exhibendum Motivum, quamdiu Acta non erant suppleta nec delata: suppleri autem & deferri non poterant, nisi legitime confecto Inventario, ut dictum supra.

188. Expectanda igitur potius videbatur Appellanti legitima confectio Inventarii, ut tunc simul exhiberet suum Motivum, hujusque exhibitionis opportune in Actis insereret notulam.

189. Persistit similiter Appellans penes Art. 94. Lib. grav. quod scilicet per clandestinam lecturam (si qua tamen fuerit instituta, quod non creditur) frustratus fuerit iis Juris mediis, quæ objicere potuisset adversus irregularitates atque excessus, qui in ferenda Sententia *a qua* committi possent, & vere commissi sunt.

190. Contra Art. 110. acceptatur, quod Intimatus fateri debeat ne quidem D. Secretarium Causæ Actuarium lecturæ interfuisse.

191. Acceptatur insuper id, quod Intimatus tacite fatetur, nempe D. Secretarium per Judicem *a quo* ad lecturam vocatum non fuisse, nec sese apud eumdem, quo minus huic lecturæ interesset, excusasse.

192. Vocatus fuit idem D. Secretarius in prima Instantia ad lecturam a Clarissimo D. Judice,

193. Sed tunc sese excusavit, non quod lecturæ hujus litis interesse nollet, sed quod urgente negotio tunc alibi detineretur.

194. Interfuit tamen postea in concipienda Sententia, quam signavit.

195. Quantum ad Decretum de inferendis sportulis, de quo in Articulis Responsionis 111. & 112.

196. Licet nusquam statutum foret, quod hujusmodi Decretum debeat præmitti Sententiæ,

197. Tamen Judices constanter ac sollicite cavent, ne Sententiam edant ante solutionem Sportularum.

198. Cum ergo hic ordo adeo constanter servari solitus, sine ulla causa probabili inversus fuerit; quis non videat, hanc inversionem ad cetera clandestina consilia concurrisse, ne Appellans imminentem ictum Sententiæ cum omnibus suis irregularitatibus per Juris remedia posset avertere.

199. Idem dici oportet de citatione Procuratoris Appellantis ad audiendum pronunciari Sententiam facta ad domum ipsius Procuratoris vix hora ante pronunciandam Sententiam.

200. Dum sciebatur idem Procurator ex officio & actu detineri in Rotula conservatoriali; uti habet Art. 100. Libelli gravaminum Appellantis, quem Intimatus non inficiando admisit: quod acceptatur.

201. Idque per schedulam latinam per Apparitorem, qui latine nesciebat, insinuatam sorori dicti Procuratoris absentis.

202. Ita ut Apparitor ipsi explicare non posset, quid schedula contineret; nec ipsa cognoscere, quod alioquin Fratri mox indicaret. Quæ omnia Intimatus non inficiando dictum Art. 100. admisit.

203. Negatur autem, quod asserit Intimatus, moris esse, ut citationes hujusmodi fiant per schedulam latine conscriptam, etiam ubi nec Apparitor, nec persona, cui schedula tradatur, latine novit.

204. Certe Articulus IV. Ordinationum Curiarum M. D. Rectoris & R. D. Conservatoris vult, *ut Executor explicet Monitionem seu Denuntiationem, quam facit, eo idiomate seu genere sermonis, ut intelligi possit a Persona citata, & in loco ejusdem*.

205. Atque hoc ipsum dictat Jus naturæ.

206. Curare ex industria citationem fieri per mutam schedulam, ignoto idiomate, quod nec is qui tradit, nec illa cui traditur,

tur, intelligit; in loco ubi nemo reperitur qui explicet; ea hora & in eam horam, qua scitur Procurator Appellantis ex officio detineri in Rotula conservatoriali, quo tamen dicta schedula æque facile ferri potuisset; profecto nil est aliud, quam Legem Citationis turpiter eludere.

207. Nec enim necesse erat inquiri, an dictus Procurator domi esset an alibi; cum probe sciretur ex officio detineri tunc in loco notissimo Rotulæ Conservatorialis. Contra Art. 114.

208. Et Contra Art. 115. Improbatur semper citatio facta ad domum, ubi æque commode fieri potest ad Personam.

209. Maxime dum & alia concurrunt indicia, sinistro id animo & destinato consilio factum.

210. Negatur proinde Art. 116.

211. Circa Art. 117. 118. 119. 120. 121. 122. & 123. de affixis copiis Sententiæ *a qua* ad Valvas Ecclesiæ D. Petri & Hallarum:

212. Acceptatur in primis, quod Intimatus illam affixionem fateatur Art. 117.

213. Item Articulo 122. quod ipse easdem affigi curaverit ut omnibus innotesceret.

214. Item quod negare ausus non sit, affixionem illam factam fuisse vix pronunciata Sententia *a qua*:

215. Quatuor autem horis ante insinuationem ejusdem Sententiæ factam ad personam Appellantis.

216. Quæ omnia in facto posuit Appellans Art. 103. & 107. sui Lib. grav.

217. Quare persistitur adversus Art. 118.

218. Quod Articulo 119. asserere non veretur Intimatus, nimirum hujusmodi affixiones pluries practicatas fuisse in hac Universitate; Esto id factum sit quandoque adversus contumaces, fugitivos, latitantes; ad quorum personam insinuatio fieri non poterat:

219. Itemque quorum crimen adeo scandalosum erat, ut cum Sententia in eorum personam executioni mandari non posset; necesse esset publica saltem affixione Sententiæ scandalum reparari.

220. Ast negatur, id practicatum unquam in Causa Viri honorati, cujus persona hic præsens esset, qui fixum hic haberet domicilium; itaque mox post pronunciatam Sententiam; ante insinuationem ipsi factam, ac pendente Appellationis tempore.

221. Salva impertinentia: quia licet quidpiam tale attentatum fuisset aliquando (quod nullatenus) id tanquam manifestus abusus reputari deberet: ex quo nihil pro defensione affixionis, de qua hic quæritur, inferri posset.

222. Falsum porro ac frivolum est id, quod Intimatus Art. 121. & 122. pro ratione dictæ suæ affixionis allegat, quod scilicet RESPONSIO EPISTOLARIS esset in omnium manibus.

223. Quin imo per talem allegationem honori suo parum consulit Intimatus.

224. Decretum Consilii Status, quod ipse cum suo Lib. grav. exhibuit, prohibet retentionem dictæ *Responsionis Epistolaris* sub pœna trecentorum florenorum pro singulis exemplaribus.

225. Si veraciter dicat, ac sciat eam adhuc in omnium manibus versari, esseque publicam: si tam fervide urgendo illud Decretum contra Appellantem, zelo justitiæ ducatur;

226. Quare eodem quoque zelo munus suum non exequitur adversus quamplurimos, quos hic fatetur se novisse tanquam qui dictam *Responsionem* penes se retineant?

227. Frivolum etiam est, quod Intimatus asserit Art. 123. quasi affixio ista facta non esset animo præmeditato inurendi notam infamiæ honori atque existimationi Appellantis.

228. Quia hoc factum ex se & natura sua prorsus injuriosum est ac diffamatorium.

229. Ac proinde, cum nequeat Intimatus hujus facti legitimam probabilemque causam assignare; præsumitur factum illud ex animo injuriandi processisse.

230. Ex quibus omnibus luculenter patet, in hac Causa & Sententia *a qua* inauditas machinationes adhibitas fuisse, quibus Appellans ex improviso opprimeretur.

231. Quid porro ex hoc consectarium sit pro Conclusione Appellantis, coram hoc Tribunali V. V. D. D. V. V. capta, instructive deducetur.

232. Contra Art. 124. 125. 126. 127. 128. & 130. Circa expensas ostendit Appellans

pellans in suo Libello gravaminum ab Articulo 112. usque ad 123. inclusive, se contra omnem æquitatem per Sententiam *a qua* condemnatum in expensas easque solidas.

233. Demonstravitque Actorem, nunc Intimatum, secundum ipsam Sententiam *a qua* condemnari debuisse, saltem in expensas factas usque ad pronuntiatam Sententiam Interlocutoriam de 31. Julii 1727.

234. Quandoquidem novo suo medio, quod post illam Sententiam Intimatus arripuit, omnes anteriores expensas inutiles reddiderit.

235. Merito autem novo huic medio dictam Sententiam Interlocutoriam Appellans opposuit, superque ea jure excepit Art. 29. suæ Quadruplicæ.

236. Insuper acceptatur, in quantum pro, Art. 128. quatenus Intimatus prætendit, quod in prima instantia satis ostenderit, rationes Appellantis in ejus Motivo deductas, esse impertinentes.

237. Si id sustinuerit Intimatus in suis Motivis, uti asserit, profecto hoc non potuit in alio quopiam fundari, quam in prætensa illa obligatione, quam voluit Judici imponere, mere decernendi pœnas in Appellantem sine examine meritorum.

238. Et nihilominus, non obstante hac prætensione, Clarissimus Judex ex consilio & unanimi assensu Consultissimorum quinque D. D. Assessorum dictas rationes Appellantis adeo pertinentes & peremptorias invenit, ut totius Motivi Appellantis copiam Intimato tradi per sententiam Interlocutoriam mandaverit in ordine ad Triplicandum.

239. Ita ut certum sit, per eandem Sententiam Interlocutoriam, illud Sustentum Intimati aperte rejectum esse, & statutum contrarium.

240. Cum vero hæc Sententia transivisset in rem judicatam, non poterat Intimatus super eo amplius audiri; uti Appellans sustinuit dicto Art. 29. suæ Quadruplicæ.

241. Deinde etsi per viam restitutionis, aliamve gratiam admitti potuisset (quod nullatenus) id certe fieri non poterat, nisi refusis expensis eatenus inutiliter factis.

242. Atque adeo per Sententiam *a qua* in eas saltem expensas Intimatus condemnari debuisset.

243. Contra Art. 129. persistit Appellans penes suum Art. 120. dicitque hic non agi de intentione Intimati, sed de ipsius Triplica, per quam verbis nequaquam obscuris, voluit Rectorem M. ad ordinem meri executoris Decreti Consilii Status redigere.

244. Prout etiam ipsa Sententia *a qua*, quæ dictæ Triplicæ hac in parte consonat, aperte demonstrat, præsertim per suum *Quapropter*.

245. Impertinens ergo est, quod Intimatus dicit, se non voluisse Rectorem Magnificum redigere ad ordinem meri executoris: sed debebat factum suum, sive Triplicam suam, super isto Articulo justificare.

246. Similiter contra Articulum 131. Non disputat Appellans, an Intimatus expresse intenderit (quod absit) jurisjurandi Religione neglecta hujus Universitatis Jurisdictionem, ipsamque adeo illius erectionem evertere: sed sustinet Appellans, quantum est ex parte Triplicæ Intimati, Academicam illam Jurisdictionem everti.

247. Ad quem probandum Articulum Appellans in Quadruplica sua, luculenta plane atque ineluctabilia instrumenta adduxit.

248. Quæ Intimatus etiam nullatenus inficiando tanquam legalia admisit; quæque ut talia ab ipso Judice *a quo* haberi debuerunt.

249. Cum ergo Intimatus Articulo 131. nuda negatione significet, se non voluisse Jurisdictionem M. D. Rectoris, aut Erectionem illius evertere; ostendit profecto se excusare intentionem suam; sed factum suum excusare non posse;

250. Utpote Privilegiis hujus Universitatis adeo luculenter adversum, ut nulla queat tergiversatione purgari:

251. Quin imo proprio Intimati juramento tam aperte contrarium, ut hactenus ne tentaverit quidem hoc suum attentatum diluere.

252. Negatur ergo Art. 132. quo asserit Intimatus injuriosum esse Art. 126. Libelli grav. Appellantis.

253. Et Appellans paratus est, si velit Inti-

Intimatus, coram competente Tribunali super illo Articulo Jure experiri.

Quibus aliisque jungendis, &c.

Rejiciendo ulterius contentum dictæ Responsionis, in quantum hic in particulari non foret solutum, per meram frivolitatem, impertinentiam & expressam denegationem, quatenus contra vel facti præjudicialis.

Persistit Appellans ut ante cum Expensis, aut alias salutaliter:

Implorando, &c.

J. Charlis.

Adhuc sub
Judice lis est.

A N N E X U M

Ad Articulum 91. præcedentis Replicæ.

In Causa Consultissimi Domini Ferdinandi Thenaerts, *nomine Officii Actoris Inquirentis.*

Contra Reverendum Dominum Georgium Collette *Venerandæ Facultatis Artium Decanum, Reum Citatum.*

Visis Actis & Actitatis hujus Causæ, & notanter Actis Rotulariis usque ad 20. Februarii novissimi inclusive, Libello gravaminum ac Personali Responsione Rei desuper facta, necnon Informationibus præparatoriis ex parte Officii captis, Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, solumque Deum & Justitiam præ oculis habentes, per hanc Sententiam nostram, quam in his scriptis ferimus, audito Officio Fiscali, de plurimorum Jurisperitorum tam Academicorum quam exterorum consilio & assensu dicimus, decernimus & declaramus, Actorem in Causa incidentali, qua petit Reo injungi ut prævie & ante omnia reproducat & consignet suam Orationem, quam in ultima Promotione generali recitavit, non esse fundatum neque receptibilem, admittentes Actorem in Causa principali ad Probas, Reo integro in suis contrariis Probis. Reservatis expensis. Lata hac 28. Februarii 1720.

De Mandato Magnifici Domini Rectoris.

Bart. Hendrickx *Secret.*

CAUSA ESPENIANA
LIVRE III.

Contenant les pièces relatives aux procedures faites par ordre de M. l'Archevêque de Malines, contre M. van-Espen, au sujet du Formulaire d'Alexandre VII. *& de la Bulle* Unigenitus.

A.

Inquisitio Doctoris Damen nomine Archiep. Mechliniensis. (a)

HErmannus *Damen* S.T. Doctor Regens & Decanus S. Petri Lovanii, die 10. Maji anno 1727., coram Eximio D. Delvaux S. T. Doctore Regente & Erud. D. de *Quareux* S. T. Licentiato, tanquam testibus, prælegit Doctori van-Espen Originales litteras sibi die 7. currentis Maji ab Er. & R. D. Card. Thoma Philippo de Alsatia Archiepiscopo nostro Mechliniensi datas, ut eas dicto Doctori van-Espen suo nomine & auctoritate intimaret, earumque copiam eidem Doctori traderet; porro hæ litteræ sunt tenoris sequentis: „ Adm. R. & Amplissime Domine : summopere placuit relatio, quam Ampl. Dominatio Vestra mihi submisit, exhortationis suæ, quam die 25. Aprilis habuit ad Doctorem van-Espen. Hanc Sancta unctione plenam, & zelo Catholico ac Christiana eruditione abundantem multum laudavi & commendavi in Domino. Doleo autem quod Doctor ille nondum recogitet corde, & ad primam expostulationem de mandato nostro sibi factam super recipiendis Constitutionibus Apostolicis Pii IV. Alexandri VII. & Clementis XI. subterfugia quærens in tam serio æternæ salutis negotio, frigide petierit mandatorum nostrorum copiam; ad secundam vero expostulationem die 30. Aprilis eidem Doctori per te factam, iniquiora etiam diverticula secutus, responderit sibi non constare, an tria puncta ei per copiam tradita contineant de verbo ad verbum mandata nostra. Ingemisco enim vere coram Deo, & ex toto corde contristor, videns hominem senem & Sacerdotem in materia fidei ludere. Per excusationes & diverticula, & in æternæ salutis discrimine simulare securitatem. Quare re coram Deo perpensa, & implorato ejus auxilio, in cujus manu sunt omnium corda mortalium, & omnium conatus nutantium voluntatum, volens dare spatium pœnitentiæ, & cum benignitate invitare diffidentes ac pertinaces, Ampl. Dominationi Vestræ iterum injungo, ut rursus nomine & auctoritate nostris, per obsecrationes novas & per obtestationes Divini & tremendi judicii Dei, per æternæ damnationis periculum, per meritum obedientiæ, & per sacrificium Crucis Christi, dictum Doctorem van-Espen inducere & persuadere conetur, per se & per alios quos ad id judicaverit magis idoneos, ut dum tempus est, dum vires vitaque suppetunt, acceptet & submittat se Constitutionibus Apostolicis, nimirum Pii IV. quæ est fidei Catholicæ per universum orbem professio religiosa, Alexandri VII. ejus formulario contra Jansenianam hæresim subscribat, idque juxta Constitutionem: *Vineam Domini*: & tandem submittat se Apostolicæ Constitutioni novissimæ, quæ „ inci-

(a) Nunc primum edita, & pariter Monumenta sequentia sub Litteris B. D. E. F. H. L. K. O.

„ incipit *Unigenitus*; Eidemque hujus quo-
„ que Epistolæ meæ lectionem, imo co-
„ piam concedat tanquam comprobationem
„ certissimam prioris mandati nostri, de
„ quo dubitare minime debuit. Accedat
„ autem Ampl. D. V. dictum Doctorem
„ tribus distinctis vicibus, dato aliquot
„ dierum inter singulas spatio, ut beni-
„ gnus & misericors Deus pro longanimi-
„ tate sua & benignitate, aliquando finem
„ faciat resistentiæ dicti Doctoris, & sin-
„ gulis tribus congressibus in præsentia duo-
„ rum testium a dicto Doctore petat nu-
„ dum, apertum, sincerum & positivum
„ responsum ad tria illa puncta in prioribus
„ litteris nostris de 22. Aprilis novissimi præ-
„ scripta: Dominus sit cum Amplitudine
„ Vestra, & cum dicto Doctore van-Espen,
„ cui præterea significandum est non defu-
„ turum Canonicum rigorem, si pertinaci-
„ ter negare pergat, quod tam juste &
„ tam sancte ab eo exigitur, & perdi-
„ tionem suam non ex me, sed ex seipso
„ futuram. Et Ampl. D. V. omnia fausta
„ a Domino precamur. Mechliniæ 7. Maji
„ 1727. Ampl. D. Vestræ studiosissimus
„ (*Et signatum erat*) Tho. Card. Ar-
„ chiepiscopus Mechliniensis. *Suprascriptio:*
„ Adm. R. & Ampl. D. Damen S. T. D.
„ Decano S. Petri Lovanii, *sub magno*
„ *sigillo suæ Eminentiæ*. „

Clarissime Domine Frater; hæc sunt de verbo ad verbum, iterata mandata Em. & R. Domini præfati, quæ ipsius nomine & auctoritate tibi intimo, & quæ si serio, ut par est, ea corde recogites, tibi ad veram obedientiam & conversionem, cum Dei gratia, sola sufficiunt, absque ulla ulteriori mea admonitione. Interea pro munere meo per meritum obedientiæ Domini nostri Jesu Christi, pro æterna tua salute Crucifixi, te iterum atque iterum in fraternitatis amore obsecro & obtestor, ut prælaudatis Apostolicis Constitutionibus Pii IV. Alexandri VII. & Clementis XI. veram, integram, & debitam obedientiam præstes, & monitioni meæ pastorali, quam 25. Aprilis novissimi tibi dedi, pauca hæc adjicio: nimirum ut debite perpendas gravissimum decretum, quod Clemens XI. litteris *Pastoralis Officii* contra inobedientes Constitutioni *Unigenitus* Auctoritate sua Apostolica tulit. „ Nos, inquit Pontifex, qui
„ Unigeniti filii Dei & Salvatoris nostri
„ Jesu Christi vices gerimus, eos omnes
„ cujuscumque status, gradus, ordinis &
„ conditionis illi sint, etiam si Episcopali,
„ Archiepiscopali, aut alia qualibet, etiam
„ Cardinalatus, dignitate præfulgeant, qui
„ memoratæ Constitutioni nostræ (*Unige-*
„ *nitus*) debitam & omnimodam obedien-
„ tiam præstare hactenus recusarunt, aut
„ in posterum recusare ausi fuerint, ut ve-
„ ros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios non
„ agnoscere: neque ut nobis & Beati Pe-
„ tri Cathedræ, quod falso autumant,
„ adhærentes & consentientes; sed contra
„ potius uti aperte inobedientes, ac noto-
„ rie contumaces & refractarios habere, te-
„ nere & reputare; & quoniam primo ipsi
„ a nobis & Sancta Romana Ecclesia, si
„ minus expressis verbis, factis certe per-
„ tinacisque & obduratæ mentis multiplici
„ significatione recesserunt; illos similiter
„ a nobis tanquam a nostra & ejusdem S.
„ Romanæ Ecclesiæ caritate prorsus segre-
„ gatos haberi: nullamque proinde no-
„ bis & ipsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
„ deinceps cum illis communionem Eccle-
„ siasticam extituram, donec (quod faxit
„ Deus) integre resipiscant, rejectaque
„ penitus audacia refragandi per exhibitio-
„ nem veræ obedientiæ, quam complures
„ eorum Romano Pontifici Beati Petri suc-
„ cessori ac Jesu Christi Vicario in ipsa-
„ met solemni professione Catholicæ fidei,
„ interposita jurisjurandi religione, ad
„ Sancta Dei Evangelia sæpius spoponde-
„ runt, pristinæ caritati & unitati ab
„ eadem Apostolica Sede restitui merean-
„ tur. „ Hactenus Clemens XI. in præfatis suis litteris Apostolicis ad universos Christi fideles directis.

Clarissime Domine: *Ad tam magnum tonitrum* (cum S. Augustino in simili loquor) *qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est*; & tamen potens est ille etiam mortuos suscitare, & hæc est fiducia, quam habemus apud Deum, Patrem misericordiarum per Dominum nostrum Jesum Christum, & ad intercessionem Beatæ Deiparæ Mariæ semper Virginis & omnium Sanctorum. Amen. Ceterum coram præfatis duobus Dominis testibus peto a Claris-

rissima Dominatione Vestra, nudum, apertum, sincerum & positivum responsum ad tria puncta litteris Suæ Eminentiæ, die 22. Aprilis novissimi datis tibi præscripta: Interea juxta tenorem supradictorum mandatorum Dominationi V. trado horum omnium copiam authenticam de verbo ad verbum, & præterea pro prima vice do Dominationi Vestræ spatium quinque dierum ad respondendum. Datum Lovanii 10. Maji 1727. in ædibus Clarissimi D. van-Espen. Quod attestor: (*Et erat signatum*) Hermannus Damen. (*Et infra*) idem testor: (*Et erat signatum*) G. Delvaux (*Et iterum infra*) Idem. (*Et erat signatum*) G. J. de Quareux.

B.

Protestatio Clarissimi Domini van-Espen contra Inquisitionem Domini Damen. (a)

Visis interrogatoriis infrascripto propositis per Amplissimum D. *Damen*, Decanum S. Petri, de data respective 25. & 30. Aprilis novismi & 10. currentis mensis Maji, ex parte & mandato Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis & Archiepiscopi Mechliniensis.

Infrascriptus dicit primo: se nullo modo agnoscere jurisdictionem Eminentissimi Domini Cardinalis præfati;

Quod Universitas Lovaniensis & omnia ejus supposita sint plenissime exempta ab omni jurisdictione & superioritate Ordinarii;

Quodque nullam jurisdictionem agnoscere possint nisi Rectoris & Universitatis.

Quod in sua immatriculatione omnia præfata ejus supposita solemni juramento adstricta sint ad observandum jura & privilegia & libertates dictæ Universitatis, neque ad laborandum in aliquo, quod in eorumdem præjudicium posset redundare.

Videt autem infrascriptus, quod præfatus Eminentissimus Dominus in se jurisdictionem externam prætendat, quod appa-ret tum ex modo procedendi, tum ex terminis comminantibus *Canonicum rigorem*, aliisque.

Quare declarat infrascriptus quod cum salvo juramento suo jurisdictionem dicti Eminentissimi Domini Cardinalis agnoscere non possit, ita salvo eodem suo juramento non possit ejusmodi ejus interrogatis respondere, prout proinde nec intendit respondere.

Optaretque ut Aplissimus D. Damen & ejus duo assistentes memores similiter essent ejusdem sui juramenti, & ultra hæc idem Amplissimus D. Damen qualitatis suæ & juramenti Conservatoris Privilegiorum, certe nec acceptarent simile mandatum, neque collaborarent in actu, in quo tam manifeste violantur jura & privilegia hujus Universitatis.

Si tamen Eminentissimus Dominus Cardinalis aut Amplissimus D. Damen aut alius quiscumque, aliquid habeat ad onus infrascripti, integri relinquuntur ut eadem deferant ad dictum Rectorem & Universitatem, coram quo tribunali paratus est stare juri.

Ulterius & sine horum præjudicio, dicit infrascriptus se plurimum mirari modum agendi & procedendi dicti Eminentissimi Domini Cardinalis, qui intendit petere a persona plane exempta, quod non posset petere saltem eo modo & forma, a persona plene sibi subdita.

Quod illud, quod ab infrascripto hic petitur, sit purgatio Canonica eaque admodum gravans & infamans, quæ de jure imponi non potest nisi ei, qui servato juris ordine per sententiam Judicis declaratus est legitime suspectus.

Quod itaque hic processus non possit attendi nisi tanquam mera via facti, ubi causa inchoatur ab executione, quod repugnat omni juri tam Divino quam humano, & præsertim jucundo Adventui Ducatus Brabantiæ, Brevibus Innocentii XII. ad Episcopos Belgii, uti & mandatis Cæsareis ad eosdem Episcopos de data 26. Maji 1723.

Hic vero modus agendi infrascripto est inju-

(a) Nunc primum edita.

injuriosissimus, dum atrocissima calumnia traducitur tanquam qui recessisset a sinu matris Ecclesiæ, in quo tamen usque ad grandævam hanc suam ætatem semper vixit, & per Dei gratiam mori intendit.

Certe infrascriptus natus parentibus & avis apprime Catholicis, semper vixit in Academia Lovaniensi Catholicæ Fidei zelosissima tutrice, eoque nomine ab ipsa Sede Apostolica specialiter laudata, & commendata, quæ Academia neminem ad gremium suum neque ad ullum gradum Academicum admittit nisi prius emiserit professionem Fidei juxta Bullam Pii IV., prout & fecit infrascriptus, tum in sua immatriculatione tum in susceptionibus graduum Academicorum, juxta ejusdem Academiæ leges, semperque publice vixit in eadem professione & cum omnibus Ecclesiæ Catholicæ filiis communione & participatione Sacramentorum Ecclesiæ Romano-Catholicæ. Nec unquam ab aliquo fuit sugillatus aut monitus in materia Fidei aut quacumque alia Fidem concernente.

Unde atrocissima hæc calumnia non solum est injuriosa infrascripto, sed redundat in injuriam totius Universitatis Lovaniensis, tanquam quæ officio suo defuisset.

Quare infrascriptus adversus Eminentissimum Dominum Cardinalem, Amplissimum D. Damen eorumque processum & agendi modum, omniaque inde secuta & secutura protestatur de notoria injuria, eam revocando ad animum prosecuturus eorum debitam reparationem per media congrua tempore & loco opportunis, committens omnes & singulos Notarios ut præsentem Actam dicto D. Damen qualitate qua insinuent. Datum Lovanii 13. Maji 1727. (*Et erat subsignatum* :) Z. B. van-Espen. (*Inferius habebatur*) Infrascriptus de mandato Clarissimi Domini Z. B. van-Espen insinuavi duplicatum hujus Actæ Amplissimo D. Damen, & tradidi in manus ejus, quam & acceptavit. Actum hac 15. Maji 1727. hora prima post meridiem. (*Erat subsignatum*) Ægidius Detique

Notarius Apostolicus.

C.

Declaratio Zegeri Bernardi van-Espen J. U. Doctoris & Sacrorum Canonum in Universitate Lovaniensi Professoris, data 15. Maji 1727. (a)

Occasione Inquisitionis (*) *in ipsum intentatæ Mandato Eminentissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis.*

In Nomine Domini. Amen.

NOtum est omnibus, præsertim in hac Universitate Lovaniensi, quomodo hisce diebus ex Mandato Eminentissimi D. Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis per D. Damen Decanum S. Petri Lovanii coram duobus Testibus, Doctori van-Espen propositi fuerint hi tres Articuli.

„ 1°. An de corde puro & fide non ficta „ admittat, & rursus emittere paratus sit „ Professionem Fidei Pii IV.?

„ 2°. An paratus sit jurare Formularium „ Alexandri VII. juxta Bullam *Vineam* „ *Domini Sabaoth?*

„ 3°. An pure & simpliciter admittat „ Constitutionem *Unigenitus Dei Filius*, „ & condemnet omnes & singulas Pro„ positiones in eadem Constitutione dam„ natas?

Et casu quo idem Doctor van-Espen in his omnibus non satisfaceret, eodem Mandato Archiepiscopali inhibebatur, ne dictus D. Damen ipsi *ulla Sacramenta* administraret.

Addebatur quoque allaborandum esse apud dictum Doctorem, ut per debitam obedientiam in sinum Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ redire & recipi mereatur.

Adje-

(a) Edita eodem anno.

(*) Inquisitiones illæ (Mandato Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi) fuerunt actæ per Doctorem Damen, qua Decanum Capituli S. Petri die 30. Aprilis & 10. Maji an. 1727.

Adjectæ dein minæ, nisi ad eosdem Articulos, partem affirmativam amplexando, *nudum* daret, *apertum*, *sincerum*, & *positivum Responsum*, adversus eum procedendum fore secundum Canonicum rigorem.

Quanquam autem Jura ac Privilegia hujus Universitatis, religiose hactenus observata non sinant, ut idem Doctor Z. B. van-Espen Infrascriptus tanquam Academicus & ejusdem Universitatis membrum, eumdem Eminentissimum D. Cardinalem Archiepiscopum pro suo Judice agnoscat; ab altera tamen parte causa Veritatis Evangelicæ exigere videtur, ut octogenarius Doctor ad tam celebria Interrogata non sileat prorsus atque obmutescat, præsertim cum hodiernarum contentionum, quæ circa prima Religionis Christianæ capita & fundamenta versantur, quæque maxime ab exorta Bulla Clementis XI. quæ incipit *Unigenitus Dei Filius*, Ecclesiam Dei, ac specialiter Belgium Catholicum & Universitatem nostram miserabiliter in partes scindunt atque dilacerant, originem & sequelas tot jam annis lugens conspexerit.

Salvis igitur Privilegiis ac Juribus hujus Academiæ; salva quoque reverentia, tum Eminentissimo D. Cardinali Archiepiscopo, tum summo Ecclesiæ Romanæ Pontifici debita, quibus ne in minimo detractum vult Infrascriptus. Ante omnia declarat coram Deo Inspectore cordium, coram Jesu Christo, quem justum Judicem in dies præstolatur, coram hac Universitate, totoque Orbe Christiano, se per divinam misericordiam in sinu S. Matris Ecclesiæ Catholicæ ab infantia enutritum, fide non ficta semper vixisse, & usque ad extremum vitæ halitum vivere, ac mori velle; atque idcirco ex corde, apud Deum Patrem precari pro iis veniam, qui innocentiam ejus hac injuria affecerunt, ut illum, nulla licet censura Ecclesiastica innodatum, nescio quo vago prætextu, quem minime exprimunt ex sinu Ecclesiæ Catholicæ pulsum aut egressum palam traducerent.

Deinde ne innocentiæ suæ famam, cum scandalo pusillorum, negligere æstimetur, declarat se efficaciter coram quocumque legitimo Tribunali, Eminentissimum D. Cardinalem Archiepiscopum, necnon Decanum Damen, servato Juris ordine, de illata sibi ac toti huic Academiæ injuria convenire velle: (†) Et si forte Infrascriptus morte præoccupatus fuerit, rogare se hæredes suos, omnesque & singulos, quorum consuetudine & amicitia gavisus est ut hanc Causam strenue instituant aut prosequantur.

Occasione porro Articuli primi palam aperteque, declarat, se abhinc 63. annis in Immatriculatione seu Inscriptione sua in hac Universitate, pro more in ea usitato, sincere emisisse, & rursum ubi justa necessitas vel utilitas postulaverit, sub invocatione divini Nominis emittere paratum Professionem Fidei Tridentinæ secundum Formulam Pii IV.

Una tamen protestando, se Fidei suæ purgatione Canonica nullatenus indigere: cum Fidei huic Catholicæ indivulse semper adhæserit, & jam plusquam a seculi dimidio, de Corpore & Concilio hujus Universitatis existens, SS. Canones Professus, & sub oculis ejusdem Universitatis, illiusque Rectorum absque reprehensione usque in hanc diem conversatus fuerit; quin imo hanc ipsam formulam Pii IV. laudet in suo Jure Ecclesiastico universo. *Parte* 3. *tit*. 4. *Cap*. 2.

Ad Articulum secundum declarat, sibi licitum non esse Juramentum Formularii Alexandri VII. secundum Bullam Clementis XI. quæ incipit *Vineam Domini Sabaoth*; cum in hac Bulla declaretur, eum jurejurando Ecclesiam Dei decipere, qui interius non judicat libro Jansenii doctrinam hæreticam contineri: sibi autem de Facti hujus veritate non constet, notumque sit jampridem de Janseniani Libri sensu inter Catho-

(†) Protestatio Espenii insinuata fuit 25. Maji anni 1727.

Prima ejus in hanc rem Supplicatio Supremo Brabantiæ Senatui exhibita fuit 28 Junii 1727. ac dein altera. Sed hic Senatus, habens verisimiliter manus ligatas, non dedit nisi binas *Consultas* favorabiles.

Implorata quoque fuit Ordinum Brabantiæ intercessio, ut pateret Oppresso via justitiæ

Catholicos acriter disputari ; & hanc Facti quæstionem nullo infallibili Judicio decisam esse, ac proinde grande piaculum committeret, si hanc rem dubiam atque incertam, quæ nec ad fidem, nec ad mores ullatenus pertinet, jurisjurandi sacramento attestari, Deum in animam suam invocando, præsumeret ; cum Dominus dixerit Jurandum *in veritate*, *& in judicio*, *& in justitia*.

Quod ad Dogma attinet, provocat Infrascriptus personas quaslibet, salva reverentia Ecclesiæ Pastoribus debita, ut ostendant an & ubi aliquam ex quinque famosis Propositionibus docuerit vel tenuerit unquam, aut legitime suspectus fuerit aliquam ex iis docuisse vel tenuisse : quod si non præstiterint, prout hoc, cum plane falsum sit, nemo præstiturus est unquam; relinquit Infrascriptus Publico dijudicandum an non jure hic conqueri possit de impacta sibi atroci injuria, præsertim cum Breve Innocentii XII. de 6. Februarii 1694. omnibus Episcopis, *quantum in Domino* potest, injungat, *ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari* sinant, *nisi prius suspectum esse legitime constiterit*, *aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse*. Quod quidem Breve secundum Leges Patriæ debite in hisce Partibus admissum & in hac ipsa Academia publicatum fuit : secus ac Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, quæ pro Galliis data ne umbram quidem in Belgio Regiæ Placetationis aut legitimæ publicationis habuit, nunquam in hac Universitate prælecta, nunquam ulli Juris Professori aut studioso proposita. Constat autem quam illegitime in Facultatem Theologicam Lovaniensem introducta fuerit exactio juramenti Formulæ Alexandri VII. secundum Bullam *Vineam Domini Sabaoth*, quantasque turbas & mala huic Academiæ totique Belgio intulerit diuturna nimis experientia sensimus.

Quoad Articulum tertium declarat idem Infrascriptus se recipere non posse Constitutionem Clementis XI. quæ incipit *Unigenitus Dei Filius*, neque condemnare CI. Propositiones in eadem Constitutione reprobatas.

1°. Quia proscribit illa Constitutio plurimas locutiones S. Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & Auctorum doctrinæ ac pietatis laude per universas Ecclesias illustrium.

2°. Quod eadem Constitutio damnet plurimas Propositiones, quæ intellectæ in sensu naturali & obvio, sicut vult ipsa Constitutio, ipsam præferant antiquam Fidei & Morum doctrinam ab Apostolis & Patribus traditam, ac præsertim eam, quam Theologi nostri, tum in celebri Majorum suorum Censura, ejusque justificatione, tum in Articulis Innocentio XI. oblatis fideliter exhibitam adhuc modo defendunt.

3°. Quod ex manibus Fidelium excutere videatur SS. Scripturas contra omnium seculorum usum & traditionem, non sine magno animarum detrimento & Heterodoxorum scandalo.

4°. Quod non recte conciliari queat cum SS. Ecclesiæ Canonibus, ejusque Disciplina, sive circa methodum remittendi & retinendi peccata, sive circa potestatem clavium & Ecclesiasticam Hierarchiam.

5°. Quod hæc eadem Constitutio proscribat librum *Considerationum Moralium*, quem Infrascriptus jampridem vidit cura Theologorum Belgarum latine redditum & frequentissime ac per annos plurimos lectitatum cum summa omnium Theologorum & cordatorum hominum ædificatione & fructu, utpote sancta & incomparabili unctione refertum. Condemnet item earumdem *Considerationum* Auctorem, illumque inauditum, quem non modo ut teterrimum hæresiarcham & diaboli filium, verum etiam & nequissimarum intentionum reum indigitat ; cujus tamen Orthodoxia, pietas, & cum summa eruditione conjuncta humilitas Infrascripto longa & speciali notitia apprime perspectæ sunt.

Quæ quidem rationum momenta excellenter exposita sunt in præclara Declaratione Celeberrimæ Universitatis Parisiensis 1718. quæ ab antiquo sese pro avitæ Doctrinæ & Ecclesiasticæ Disciplinæ puritate, tanquam murum adversus ingruentes errores & laxitates semper opposuit.

Ceterum cum Infrascriptus audiat traduci eos Academicos & Ecclesiasticos, qui Bullam *Unigenitus* non recipiunt tanquam præ-

prævaricatores Professionis Fidei, quam secundum Formulam Pii IV. aliquando emittentes, R. Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis Successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spoponderunt ac jurarunt, ne forte accusatio hæc ignaris quibusdam ac simplicibus imponat, respondet Infrascriptus non suis, sed Cardinalis Bellarmini verbis de Conc. & Eccl. lib. 1. Cap. ult. se jurasse veram obedientiam, & se fore obedientem summo Pontifici; *quod intelligitur*, inquit, *dum jubet ea, quæ secundum Deum & Sacros Canones jubere potest*. E contrario plane existimat, prævaricatorem se fore ejusdem Tridentinæ Professionis, si falsa ac cæca obedientia quascumque Romanorum Pontificum Bullas reciperet, utpote quas constat quandoque deviare a S. Scriptura, Traditione & mente Ecclesiæ, quæ solæ ibidem nobis proponuntur tanquam infallibilis Fidei Regula & Interpres.

Postremo in hacce rerum turbatarum tempestate & diebus caliginis constitutus Infrascriptus, se suaque sub protectione Omnipotentis Dei constituit, cum tota animi fiducia dicens: *Exurge Deus, judica Causam tuam*. Sub protectione item Ecclesiæ Catholicæ Matris suæ ac sponsæ Jesu Christi; una præstolans ejusdem Ecclesiæ infallibile super hisce concertationibus Judicium, quod tota animi submissione, uti obedientem Ecclesiæ filium decet, amplexari paratum se profitetur.

Hoc Instrumentum Declarationis meæ, fusis ad Deum precibus, rite perpensum propria manu signavi, Lovanii hac 15. Maji 1727. optans ut publici Juris fiat. Z. B. VAN-ESPEN, J. U. D. & SS. Can. Prof. (*Infra habebatur*) Infrascripti testantur se adfuisse cum Rev. ac Clariss. D. Z. B. van-Espen Presbyter, J. U. D. & SS. Canonum in Universitate Lovaniensi Professor, mente sana & integra, ac corpore valente huic Instrumento subscripsit, die & anno quo supra. (*Et erat signatum*) *J. Verniel*, Presbyter. Franc. *Vivien*, Ecclesiæ Coll. B. Petri Can. *Ant. Cinck*, Presbyter Præses Coll. Craendonck, & Can. S. Petri Lov. (*Inferius habebatur* :) Infrascriptus Notarius Apostolicus ac Regius attestatur hoc Instrumentum coram se signatum esse a R. ac Clarissimo viro Z. B. van Espen Presbytero J. U. D. & SS. Canonum Professore, in præsentia suprascriptorum Dominorum tanquam testium, die & anno quo supra. (*Signatum*) Ægidius Denique, Not. Apostolicus & Regius.

Concordantiam testor cum originali.

Ægidius Denique Notarius Apostolicus.

D.

PREMIERE REQUETE

De M. van-Espen, adressée à l'Empereur & Roi, en son Conseil Souverain ordonné en Brabant. (a)

REmontre très humblement Z. B. van-Espen, Chanoine de l'Eglise éxempte de S. Pierre à Louvain, Professeur des SS. Canons, & Docteur en droit depuis plus de 50. ans dans l'Université de ladite Ville, & présentement le plus ancien de la même Université: Qu'en 1646. il est né en ladite Ville, le 9. Juillet, de Parens très Catholiques, & baptisé dans l'Eglise Paroissiale de S. Michel:

Qu'en 1663. il devint Supot de ladite Université, si célébre par son attachement invio-

(a) Presentée le 28. Juin 1727. imprimée présentement pour la premiere fois.

inviolable à la foi Catholique, & à ce titre hautement loüée par le S. Siege Apostolique :

Qu'autemps qu'il a été inscrit *in Matriculam dictæ Academiæ*, il a fait, selon le statut du 28. Novembre 1579., le *Fidei juramentum juxta Decretum Bullæ Pii IV.*; laquelle Profession de Foi il a, ensuite du même statut, réiterée lorsqu'il a pris le degré de Licence en Droit dans cette Université, le 11. Juin 1670.; & même depuis dans son *Jus Ecclesiasticum Universum*, Parte 3. Tit. IV. Cap. 2. N. 21. il loue ladite Profession du Pape Pie IV.:

Que le Remontrant a ainsi publiquement vecu dans cette Université à la vue de tout le monde, dans la communion de notre Mere la Sainte Eglise, & dans la participation des Saints Sacrements; sans avoir jamais souffert le moindre reproche, touchant sa croyance & orthodoxie; menant une vie, (c'est par contrainte qu'il le dit) irreprochable & hors de toute atteinte.

Que le Remontrant s'est appliqué sans relache depuis 60. ans à l'étude des loix, & particulierement des SS. Canons, conformement à sa Profession. Ayant toujours eu en vüe de soutenir les veritables droits de l'Eglise & de S. M. I & C. ce qu'il n'a pû faire sans contredire certaines prétentions tout-à-fait insoutenables, qui deshonnorent l'Eglise de Dieu, & qui rendroient l'Ecclesiastique le maitre du Souverain, & l'arbitre du bonheur & du repos de les Etats & Sujets : par où le Remontrant, pour avoir fait le devoir de sa Profession, s'est attiré de puissans adversaires, assés connus de cette Cour souveraine, qui lui ont fait ressentir tout le poids de leur indignation.

Que dans le grand nombre des Ouvrages qu'il a donnés au Public, sous l'autorité de cette Cour, on n'a encore sçu alleguer le moindre point, où le Remontrant se seroit écarté des dogmes de l'Eglise; & on n'a su se plaindre que de ce qu'il rendoit : *quæ sunt Cæsaris Cæsari*. C'est ainsi que pour avoir soutenu dans son dit *Jus Ecclesiasticum Universum*, que c'étoit au Juge Royal à décider les difficultés & doutes qui se rencontrent touchant l'immunité Ecclesiastique; que cette Ouvrage fut dénoncée à Rome, par ceux de l'Archevêché de Malines, qui furent cependant obligés de rendre ce temoignage qu'il ne contenoit rien *contra fidem aut bonos mores*; comme il consiste par la Lettre du P. Delbecke Dominicain, Consulteur du S. Office, cy jointe sub (A).

C'est encore pour avoir soutenu l'autorité legitime du Souverain à l'égard de la jurisdiction Ecclesiastique, & pour avoir éclairci les loix du Païs au sujet du *Placet*, que le Vicaire Apostolique de Bois le Duc, feu M. Govaerts, dénonça à l'Archevêque moderne de Malines, avec la derniere licence & animosité, la doctri ne du Remontrant par Lettre du 7. Dec. 1718. cy jointe sub (B). Laquelle étant rendue publique par l'impression d'un livre qui a pour titre : *Acta Ecclesiæ Mechliniensis*, faite par l'imprimeur dudit Archevêque, le Remontrant s'est cru obligé, pour conserver l'autorité que ses Ouvrages avoient acquies dans le public, de se pla indre à S. M. en son Conseil d'Etat, du dit Vicaire Apostolique par la Requête cy jointe sub C. sur quoi S. M. fut servie de renvoyer la cause au Grand Conseil, dont ledit Vicaire Apostolique étoit membre; avec ordre aux Conseillers Fiscaux de se joindre en cause au Remontrant, pour ce que le service Royal éxigeoit qu'il fut protegé contre les injures qu'il souffroit, pour avoir donné au public des Traités pour le maintien des Droits & Hauteurs de S. M. I. & C. rapport à la lettre sur cela envoyée au Grand Conseil, le 13. Juillet 1719. cy jointe sub D. Le Remontrant s'est défendu devant ce même Conseil avec un tel succès qu'il y a remporté la sentence cy pareillement jointe sub E. par laquelle son honneur & sa doctrine furent pleinement mises a couvert con-

Z z 2

(A) Nous omettons cette Lettre, parce qu'on la trouve dans l'Ouvrage intitulé : *æquitas Sententiæ Parlamenti Mechliniensis* &c. initio.

(B) Cette Lettre & les pieces indiquées sous les Lettres C. D. E. se trouvent pareillement dans l'Ouvrage cité cy-dessus.

contre l'atteinte que le dit Vicaire Apostolique y avoit voulu donner, & defenses lui sont faites d'entreprendre à l'avenir le semblable, à peine de plus grande démonstration.

Que non obstant tout cela, le Remontrant vient de recevoir le traitement le plus dur & le plus sensible du monde, à l'age ou il est de 81. ans, par un exercice indu & incompetent de jurisdiction, même de la part de ceux qui n'en ont pas à son égard; & qui plus est, par ceux là même qui l'auroient dû proteger contre une telle usurpation de jurisdiction, qui va à aneantir celle de la dite Université de Louvain.

Qu'il est tout-à-fait notoire que cette Université, & tous les Supots sont entiérement éxempts de la Jurisdiction & superiorité de l'Ordinaire; laquelle réside integralement & privativement dans la même Université, & son Recteur; si avant que même ensuite de la Bulle de son érection du Pape Martin V. *omnium & singulorum, causarum & negotiorum cognitio atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholarium membrorum, atque servitorum eorumdem, sive Clerici sive laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus & excessibus, correctio & punitio & omnimoda super illis jurisdictio*, compete totalement au dit Recteur magnifique, avec inhibition bien expresse a tous & un chacun *de causis & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra & servitores hujusmodi vel ex eis aliquem pro criminibus & excessibus eisdem, aut quomodolibet corrigendi vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem vel jurisdictionem exercendi*.

Que ce droit d'éxemption, & les autres privileges, prérogatives, libertés & franchises de ladite Université, ont été specialement confirmés, & agrées par les Ducs de Brabant; ainsi qu'il conste par leurs Lettres patentes, qu'ils ont successivement données; & qui se trouvent aux Placards de Brabant, Part. III. L. 1. tit. 5.

Que par autres Lettres patentes du 20. Janvier 1487. qui se trouvent pareillement aux dits Placards Cap. 7. ladite Université, avec tous ses supots, sont pris & mis sous la garde, protection & défense speciale du Duc de Brabant leur fondateur: *om in haeren goeden Rechte gehouden ende van alle ongelycke, crachte, fortsen, ende geweldt, beschut ende beschermt te zyn* (a).

Que ladite Collegiale de S. Pierre à Louvain est aussi notoirement éxempte avec tous ses membres, de toute Jurisdiction & superiorité de l'Ordinaire, par la plus claire & la plus ample éxemption de toutes les Eglises secondaires de Liege (sous laquelle avant l'erection des nouveaux Evêchés cette de S. Pierre ressortissoit *in spiritualibus*:) accordée par le Pape Jules II. par sa Bulle du 11. Août 1512. cy jointe en copie, avec les lettres de *Placet* sur icelle, depeschées au nom & de la part de l'Empereur Charles V. de très haute memoire, sub F. & G. (b).

Qu'ainsi le Remontrant & comme Supot de ladite Université, & en qualité de membre du dit Chapitre, étoit notoirement éxempt de la Jurisdiction & superiorité du Card. Archevêque de Malines: de quel droit d'éxemption il avoit aussi paisiblement joui jusques à présent.

Que néanmoins sadite Eminence comme Archevêque de Malines, vient de donner au Doyen de la dite Eglise de S. Pierre le Docteur Damen, les ordres exprés comminatoires & infamans cy joints sub H. & J. (c) afin d'interpeller le Remontrant, en son nom & de sa part, assistés de deux témoins, à répondre catégoriquement aux interrogatoires repris dans lesdits ordres; & cela pour que le Remontrant *per debitam obedientiam in sinum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ redire & recipi mereatur*: par où le Remontrant, qui jusques à présent a vecu par la grace de

(a) Pour être maintenus dans leurs bons droits, & défendus & protegés contre toute injure, voie de fait & violence.

(b) Ces deux pieces manquent.

(c) Ces ordres se trouvent dans la piece rapportée cy dessus sous le titre: *Inquisitio Doctoris Damen &c.*

de Dieu dans le sein de l'Eglise Catholique Apostolique & Romaine, est cruellement traité par pure voïe de fait la plus criante, comm'un Apostat ou schismatique, qui auroit répudié la mere commune de tous les fideles. Certainement en vüe d'aneantir l'autorité des Ecrits qu'il a fait en faveur des droits Sacrés de S. M. I. & C. com'étant prètenduement l'ouvrage d'un ennemi déclaré de l'Eglise.

Que ledit Cardinal Archevêque impose au Remontrant par ces ordres, une Purgation Canonique, la plus griéve, & la plus infamante du monde, même sans la moindre connoissance de cause, sans forme ni figure de procès, sans sentence; traitant ainsi le Remontrant d'une maniere dont il ne pourroit user envers ses propres sujets, puisqu'il est constant que la Purgation Canonique ne sauroit ètre imposée qu'à celui *qui servato juris ordine per sententiam Judicis declaratus est legitime suspectus*.

Que ledit Docteur Damen, qui en qualité de Conservateur des Privileges de ladite Université étoit bien positivement obligé par serment à empescher l'atteinte que ces Privileges recevoient par de tels ordres, qui menacent même *Canonicum Rigorem*, s'est oublié jusqu'à concourir à leur aneantissement; en mettant en exécution les mêmes ordres réelement & de fait, avec déclaration bien expresse qu'il le faisoit *de Mandato præfati D. Archiepiscopi;* & que *juxta tenorem supradictorum Mandatorum*, il donnoit au Remontrant *spatium quinque dierum ad respondendum*: que le Remontrant (n'ayant même pû y répondre, à cause du serment qu'il a préte au temps qu'il fut immatriculé dans ladite Université, in verbis: *observabo Jura, Privilegia, Libertates, Statuta, Ordinationes & Consuetudines laudabiles Universitatis ad quemcumque statum, in Universitate devenero; neque laborabo scienter in aliquo, quod in præjudicium eorumdem posset redundare:*) a fait delivrer au dit Doyen, *qualitate qua*, la protestation cy jointe sub K. (*a*)

Que ce procedé inouï, n'est pas seulement directement opposé aux droits, & privileges de ladite Université, aux Brefs d'Innocent XII, & aux ordres exprès de S. M. I. & C. du 26. Maii 1723.; adressés aux Archevêques & Evêques dans ces Païs, mais encore à la joyeuse entrée de ce Duché; laquelle veut absolument qu'un chacun soit traité en toute chose par voie de droit & par Sentence devant son juge competant.

Et comme le Remontrant par les ordres susmentionnés, souffre la plus grande violence, & est en outre sensiblement troublé par voïe purement de fait dans la possession & jouissance paisible où il est de son dit droit d'éxemption, tant par ledit Cardinal Archevêque, qui a donné lesdits ordres, que par ledit Docteur Damen qui les a mis en éxécution; il se trouve dans la dure nécessité, pour se mettre à couvert d'une oppression de cette nature, de réclamer l'appui des loix, & de s'adresser à cette Cour Souveraine.

La Suppliant très humblement que (prenant le Suppliant en sa protection Royale & sauve garde contre de pareilles violences & voïes de fait:) Elle soit servie de le maintenir dans la Possession, *vel quasi*, de son dit droit d'éxemption, qui lui compete tant en qualité de Supot de ladite Université qu'en qualité de Chanoine de ladite Collegiale de S. Pierre à Louvain: avec ordonnance à sa dite Eminence comme Archevêque de Malines, & audit Docteur Damen, & à tout autre qui se peut toucher, d'ôter & de faire cesser promptement tout trouble & empèchement à ce contraire; & avec defense de commettre à l'avenir de pareilles voïes de fait. En accordant au Suppliant à cet égard Lettres de maintenue en forme dûe & ordinaire, ou telle autre provision de justice que la Cour trouvera convenir, avec depens, ou qu'autrement &c.

Et en cas de communication, comme le Suppliant par son grand age de 81. ans est exposé à bien des accidens, & que les

(*a*) Nous l'avons rapportée cy-dessus sous la lettre B.

les susdits attentats pourroient être suivis d'autres bien plus rudes par rapport à la commination susmentionnée, lesquels il est plus facile de prevenir que de faire cesser après coup, & qu'il y a aussi *periculum in mora*; Interim & par Provision, les susdites ordonnances & défence, du moins jusqu'à ce que la Rescription vue, par la Cour autrement soit ordonné; attendu aussi la notorieté publique du dit droit d'exemption. Quoi faisant &c. (*étoit signé*) R. C. E. Swarts.

E.

PREMIER MEMOIRE

En faveur de M. van-Espen; où l'on fait voir: que la Conduite de l'Eminentissime Cardinal Archevêque de Malines, à l'égard du Docteur van-Espen, est une entreprise manifeste sur les droits de l'Université de Louvain & de son Recteur. (a)

§. I.

Dessein de ce Memoire.

Les adversaires du Docteur van-Espen, cherchant à colorer les demarches de son Eminence & du Docteur *Damen* en cette affaire, prétendant que ceux de l'Université de Louvain ne sont éxempts de la Jurisdiction de l'Evêque, qu'en ce qui regarde les études, les exercices, les degrés, & autres choses semblables, qu'ils appellent *purement Academiques*; mais qu'ils lui sont soumis en ce qui regarde la foi & les mœurs. C'est ce qu'ils n'ont pas seulement dit & representé en secret, mais ils l'ont encore publié dans deux Ecrits, dont l'un est du Docteur *Damen*, & porte le titre de *Prosecutio Orationis &c.* L'autre est anonyme, & a été imprimé à Malines sous le titre *d'Irenikon*, avec l'approbation du même Docteur Damen. C'est à cette occasion, comm'en plusieurs autres, que cet Auteur anonyme s'emporte contre le Docteur van-Espen de la maniere du monde la plus outrageuse; jusqu'à le traiter nommément de fourbe: *vafer, & versipellis*; sans compter les autres injures. Il semble que ces Ecrivains se veulent vanger par là du mauvais succès qu'a eu jusqu'ici l'entreprise susdite, & sonner le tocsin pour animer tous leurs partisans à seconder jusqu'au bout leurs desseins schismatiques.

Quoi qu'il en soit ceux Auteurs ne contestent pas que les demarches du Seigneur Cardinal Archevêque en cette occasion ne soient des procedures Juridiques, & des veritables actes de jurisdiction. En effet, c'étoit une prétention inouïe & insoutenable que de dire qu'un interrogatoire fait en présence de deux témoins, dont on delivre acte signé des dits témoins; qu'un second Acte dans lequel on menace de peines Canoniques; qu'une monition; que la fixation du premier terme à cinq jours: que tout cela, dis-je, ne seroit qu'un avis charitable, & non pas une procedure juridique. Aussi ces deux Ecrivains n'ont ils pas recours à une pareille defaite. Ils se reduisent à soutenir que ce ne sont pas des Actes d'une jurisdiction illegitime; & que son Eminence a droit d'en exercer en pareil cas.

Il ne s'agit donc que de faire voir que les Supots de l'Université de Louvain sont plei-

(a) Imprimé présentement pour la premiere fois. Mais il fut distribué dans le tems en Manuscrit, aussi bien que le suivant, pour appuyer la Requête precedente.

pleinement exempts de toute jurisdiction de l'Ordinaire, en quelque matiere que ce soit : ce qui étant prouvé, il s'ensuit clairement que son Emin. n'a pu faire les demarches susdites sans une entreprise manifeste.

§. II.

Preuves de l'exemption entiere de l'Université de Louvain, à l'égard de toute autre Jurisdiction que celle de son Recteur.

Il n'y a rien de plus formel là dessus, que la Bulle même d'érection de l'Université de Louvain. Elle est de Martin V. & est datée du 9. Dec. 1425. Le Pape y expose qu'il a été supplié de faire cette érection, *par le Duc de Brabant; les Prévot, Doyen, Ecolatre, & Chapitre de S. Pierre à Louvain, & les Bourgemaitres, Echevins & Communauté de la même Ville*: qui tous avoient offert de ceder & transporter pleinement à cette Université & à son Recteur toute jurisdiction, qu'ils auroient pu avoir sur ceux qui seroient membres de l'Université, ou sur leurs valets; & cela tant en matiere civile que criminelle, & de quelque espéce d'affaire ou de crime qu'il pourroit s'agir: *tam in civilibus quam in criminalibus, & aliis quibuslibet causis, negotiis & excessibus*: & non seulement toute jurisdiction, mais tout ce qui a quelque apparence de jurisdiction; *Jurisdictionem, coercitionem, emendationem, correctionem*.

Le Pape en leur accordant leur demande ne le fait qu'à condition qu'ils éxécuteront cette offre fidellement & exactement; & ordonne que la *connoissance & la decision* de toute affaire, telle qu'elle puisse être, qui regarde quelque membre de l'Université, ou même leurs valets, n'appartiendra desormais qu'au Recteur, à l'exclusion entiere *de tous & chacun des Supplians*, ou *leurs Officiers*; *de leurs Successeurs*. Il veut que cela ait lieu sans aucune exception: *omnimode, penitus*, &c. & de quelque affaire ou crime qu'il s'agisse: *omnium & singularum causarum & negotiorum, de quibuscumque criminibus & excessibus correctio & punitio, ac omnimoda jurisdictio*. De sorte que dans toute la Bulle, il n'y a pas la moindre ombre d'exception pour quelque cas que ce soit.

Et le Pape juge cette condition si essentielle, qu'il ordonne que si les Supplians n'éxécutent réellement leur promesse: *realiter & cum effectu*, dans l'éspace d'un an, depuis la date de cette Bulle, ladite Bulle (qu'il accordoit à leurs instances) & tout ce qui pourroit s'en être suivi, seroit nul & de nulle valeur: *nullius existant roboris vel momenti*.

On voit donc qu'il n'est pas possibile de s'imaginer une éxemption plus entiere & plus absolue que celle là. Cependant tout cela se fit sans que personne réclamat. L'Evêque de Liege, qui étoit alors le Diocesain de la Ville de Louvain, reconnut si bien cette éxemption entiere, qu'il tâcha trois ans après, d'engager l'Université à lui en glisser quelque chose. Il gagna quelques membres de l'Université, qui consentirent à faire une espéce de concordat; mais le plus grand nombre s'y opposa; la negociation n'eut pas l'effet que l'Evêque de Liege souhaitoit; l'Université est demeurée en paisible possession de l'éxemption entiere. On peut voir ce fait rapporté & éclairci par le célébre Valere André dans ses *Fasti Academici*. Il n'y a donc pas lieu d'appliquer ici ce principe assés commun chés les Canonistes, que les exemptions derogeant au droit ordinaire sont reputées entre les *odiosa*; & doivent par consequent être restraintes autant que les termes du Privilege le peuvent souffrir. On demeure d'accord de ce principe. Mais les termes ne pouvant être plus forts, plus exprès, ni plus généraux que ceux de la Bulle dont on vient de parler, il n'y a pas moyen de les restraindre en quoique ce soit. Desorte qu'il n'y a point d'exemption entiere au monde, si celle de l'Université de Louvain ne l'est pas.

Car ledit Recteur, n'étant pas Jurisconsulte, étoit obligé de former sa Sentence, comme on a remarqué ci-dessus, sur l'avis des Assesseurs, qui sont par conséquent véritablement Juges en ces occasions.

Or jusqu'à présent on ne sait pas quels ont été ces Assesseurs. Ainsi le Docteur van-Espen ne sait point s'il n'a pas été jugé par des ennemis déclarés, ou au moins par des personnes qu'il auroit pu récuser légitimement. L'équité naturelle dicte que le Recteur auroit dû déclarer ses Assesseurs avant le jugement; & la partie adverse n'a pas manqué de réquérir sous le Rectorat précedent, que cela se fit. Le Juge y consentit alors. Et qui ne voit que si l'accusateur prétend avoir droit de connoître les Assesseurs; s'il presse là-dessus, comme on l'a marqué ci-devant, & s'il l'obtient; qui ne voit, dis-je, que selon toutes les regles de l'équité, l'accusé a bien plus de droit de les connoître. Toutes les loix étant plus favorables à l'accusé qu'à l'accusateur?

Ce qu'il y a de certain, est qu'aucun des cinq Assesseurs, qui ont donné la Sentence Interlocutoire dont on a parlé ci-dessus, n'a été consulté sur la Sentence définitive: eux qui avoient été juridiquement nommés pour décider cette Cause; qui étoient au fait plus que d'autres ne pouvoient être; qui étoient déja reconnus du consentement des deux parties, & dont même le plus grand nombre avoit été suggeré par les adversaires du Docteur van-Espen.

A quoi on peut ajouter, que le Docteur van-Espen ayant soutenu que les susdits cinq Assesseurs devoient intervenir à la décision de cette Cause à l'exclusion de tous autres: la partie adverse n'y avoit point contrédit (†).

Enfin il est évident que le Docteur van-Espen se trouve condamné pour un prétendu délit qu'on n'a pas voulu examiner en jugement contradictoire; & qu'ainsi, à proprement parler, il est condamné sans avoir été entendu.

Car il ne fut point entendu par devant le Conseil d'Etat (malgré ses très humbles & fréquentes Supplications) lorsqu'on y fit l'Ordonnance contre la *Réponse Epistolaire*. Le prétexte qu'on allégua pour ne pas l'entendre, étoit qu'il s'agissoit seulement d'un Ecrit portant son nom, & non de sa personne.

Maintenant qu'il s'agit bien clairement de sa personne, on le juge & on le condamne uniquement en vertu de cette Ordonnance du Conseil d'Etat, sans examiner son crime prétendu.

Après des injustices & des irrégularités si criantes, il seroit inutile de détailler plusieurs autres marques d'animosité, de précipitation, & de dessein d'opprimer, dont cette affaire porte les caractères dans toutes ses circonstances.

Le Docteur van-Espen tâcha de se pourvoir contre cette Sentence par un Appel aux Juges établis par l'Université, pour recevoir les Appels des Sentences Rectorales. Mais il parut bien qu'on étoit résolu de ne garder aucune mesure. Car quoiqu'il s'y agit d'une Sentence définitive, ainsi qu'elle le porte en propres termes, le Recteur néanmoins en faisant semblant de déferer à l'Appel, voulut, que cependant sa Sentence auroit son exécution. (*)

C'étoit dire assez clairement, que si non obstant l'Appel, le Docteur van-Espen ne revoquoit son Ecrit dans le terme prescrit (qui n'étoit que de trois semaines) le Recteur pourroit se servir des moyens qu'il jugeroit à propos pour contraindre ce Docteur à cette revocation: Ce qui auroit pu

(†) *Causa Espeniana*, Liv. II.

(*) *Causa Espeniana*, Liv. II.

pu aller jusqu'à la prison & d'autres mauvais traitemens aux quels un vieillard de 82. ans, & d'une santé très foible, n'auroit pu résister sans une grace miraculeuse.

Aussi le Sieur Hoynk van Papendrecht, Chanoine & Vicaire Général du Cardinal Archevêque de Malines, ne pouvant contenir la passion, publia aussitôt & avant l'expiration du terme de trois semaines, un Ecrit intitulé *Epistola ad Erkelium* auquel il joignit une copie imprimée de la Sentence du Recteur.

Il y annonça par avance & d'un air triomphant la retractation future du Docteur van-Espen, en répétant plusieurs fois avec affectation, que si ce Docteur ne révoquoit au plutôt son Ecrit de bon cœur, il seroit au moins obligé de le faire bientôt, *coactus Judice cogente*, &c.

On voit par tout cela que le Docteur van-Espen devoit s'attendre à toute sorte d'extrêmité, ou se résoudre à reconnoître pour légitime une Sentence si pleine d'abus, & à faire une rétractation contraire aux lumieres de sa conscience, aux droits de l'Eglise, à ceux du Prince & de la Patrie, ainsi qu'il croit l'avoir démontré évidemment dans les pieces du Procés, auxquelles le Recteur auroit dû faire attention.

La brieveté du tems & la distance des lieux ne lui permettoient pas d'esperer qu'il pût obtenir l'Auguste Protection de Sa Majesté Imperiale & Catholique, avant que ses ennemis eussent pu exécuter leurs desseins sur sa personne.

Ces considérations déterminerent enfin le Docteur van-Espen à prendre le parti de la retraite, quelque difficile que fut ce parti pour un homme âgé & infirme, qui depuis son enfance a toujours vécu dans le sein de sa Patrie, qui a toujours eu un attachement respectueux pour ses Souverains de l'Auguste Maison d'Autriche.

Il avoit encore d'autres raisons de se retirer. C'est qu'il a remarqué depuis quelque tems une ligue de plusieurs personnes puissantes, qui semblent avoir conspiré sa perte, en l'accablant tous les jours de vexations nouvelles, & trouvant le moyen de lui fermer le chemin de la justice. En voici un autre exemple.

Pendant onze ans de l'Episcopat de M. le Cardinal d'Alsace, le Docteur van-Espen, n'avoit pas été inquiété de la part de son Eminence. Il ne s'attendoit pas à l'être jamais, vû l'exemption incontestable de tous les Membres de l'Université de Louvain.

Cependant lorsque le grand Procès du Docteur van-Espen devant le Recteur, étoit comme dans sa crise, & donnoit le plus d'occupation, c'est à dire, aux mois d'Avril & de Mai de l'année derniere, la prévention du Cardinal lui inspira d'attaquer ce Docteur sur sa foi, de la maniere du monde la plus indigne & la plus outrageuse. C'étoit un coup de reserve pour accabler ou diffamer ce Docteur, qui paroissoit en ce tems-là pouvoir esperer de sortir de son procès à son avantage.

Ce Cardinal envoya donc jusqu'à deux fois le Docteur Damen chez le Docteur van-Espen, pour le sommer devant témoins & de renouveller la Profession de Foi selon la Bulle de Pie IV., de signer le fameux Formulaire selon le sens de la Bulle *Vineam Domini*, & de recevoir purement & simplement la Bulle *Unigenitus* (†).

Le Docteur van-Espen a fait plusieurs fois & avec serment la Profession de Foi selon la Bulle de Pie IV. Il a loué plusieurs fois cette Profession dans ses Ouvrages. Ainsi le Cardinal, qui ne peut ignorer cela, traite ce Docteur comme un impie qui auroit fait un jeu de son serment & de toute la Religion; puisqu'il éxige de lui qu'il renouvelle encore une fois cette Profession de Foi; & qu'il le fasse, dit-il dans sa premiere Lettre au Sieur Damen, *avec un cœur pur & une Foi non feinte*.

Il traite le Docteur van-Espen dans la même Lettre comme un homme qui auroit quitté l'Eglise Catholique; car il l'exhor-

(†) Voyez la Déclaration que ce Docteur donna ensuite le 15. Mai 1727., *Causa Espeniana*, Liv. III. Lett. C.

exhorte de se rendre *digne de retourner au sein de l'Eglise & d'y être reçu*.

Cette Lettre, & encore plus la seconde, est pleine d'outrages semblables. Il n'est guéres possible de traiter plus indignement un Prêtre octogenaire, qui par la misericorde de Dieu aimeroit mieux répandre son sang, que de donner atteinte à aucun article de la Foi Catholique.

Cependant ce Cardinal n'allegua & ne sauroit alleguer aucun prétexte apparent de traiter le Docteur van-Espen d'une maniere si énorme.

En éxigeant du même Docteur la signature du Formulaire, il le traite comme suspect sur la matiere des cinq Propositions: ce qui est clairement défendu par les Brefs d'Innocent XII. adressés aux Evêques du Pays-Bas. Or ces Brefs ont été donnés après un jugement contradictoire, & légitimement publiés dans ce Pays; au lieu que la Bulle *Vineam Domini*, que le Cardinal veut faire valoir, manque de l'une & de l'autre de ces deux conditions.

Enfin le Cardinal éxigea que le Docteur van-Espen non seulement acceptât, mais acceptât *purement & simplement* la Bulle *Unigenitus*, malgré les Ordres si exprès de Sa Majesté Imperiale & Catholique du 26. Mai 1723. qui défendent aux Evêques du Pays-Bas *d'éxiger ni permettre qu' on éxige des souscriptions* à ladite Bulle.

Le Cardinal va même dans sa seconde Lettre jusqu'à menacer le Docteur van-Espen (quoiqu'il ne soit pas son Juge) de la *rigueur des SS. Canons*, & défend dès à présent de lui administrer *aucun Sacrement*, s'il ne se rend pas à tout ce que Son Eminence éxige de lui.

Et pour marquer combien il se met peu en peine des Ordres susdits de Sa Majesté Imperiale & Catholique, il ordonne lui même au Docteur Damen de donner copie au Docteur van-Espen de ces deux lettres.

Contre une vexation si énorme, le Docteur van-Espen prit son recours au Conseil Souverain de Brabant. Ce Conseil a donné jusqu'à deux Consultes en faveur de ce Docteur, sans qu'on lui ait encore permis de faire droit sur la Requête.

Ainsi les Ordres du Cardinal subsistant toujours, on voit quel traitement le Docteur van-Espen pourroit attendre à l'heure de la mort.

Si toutefois le zele impétueux de certaines personnes leur permettoit de differer jusqu'à ce tems-là, à quoi il n'y a guéres d'apparence.

Car on a vu déja que non obstant le recours au Conseil de Brabant, des faux zelés n'ont pas cessé d'outrager publiquement le Docteur van-Espen sur cette affaire là même, en marquant assez clairement quels traitemens on lui destinoit.

Le Docteur Damen prononça là-dessus dans un Acte public une Harangue latine très emportée, qu'il a fait imprimer depuis.

Un Ecrivain Anonyme publia au mois de Novembre dernier un Ecrit appellé *Irenikon* qui déchire le Docteur van-Espen en plusieurs endroits de la maniere la plus indigne, jusqu'à le traiter, en le nommant, de *fourbe*, qui change de sentimens selon ses differens interêts. Ce séditieux Ecrivain ne parle que d'hérésie notoire, d' éxaction de la Bulle *Unigenitus*, de refus des Sacremens & de la sépulture Ecclésiastique. Cet Ecrit fut imprimé dans la suite une seconde fois, augmenté de beaucoup d'injures nouvelles, & portant un nouveaux titre personnellement injurieux au Docteur van-Espen. (a)

Il est vrai que c'est un Anonyme. Mais ce libelle a été imprimé à Malines chez l'Imprimeur du Cardinal & approuvé par ce même Docteur Damen, dont le Cardinal s'étoit servi pour faire les interrogatoires susdits au Docteur van-Espen.

A cette occasion le Docteur van-Espen prit de nouveau son recours au Conseil de Brabant.

Mais on l'empêche toujours d'agir. Des personnes si puissantes & si animées que le sont le Cardinal d'Alsace, l'Internonce

(a) D. Z. B. van-Espen propriis scriptis jugulatus, sive &c.

ee de Bruxelles & le Comte de Baillet, ne peuvent guéres manquer de trouver les moyens de traverser le cours de la justice, & d'accabler tôt ou tard un particulier, un vieillard qui n'a d'autre appui que la bonté de sa cause.

Cette multitude de vexations, dont on n'a exposé ici qu'un racourci; celle dont on ménace publiquement pour l'avenir; d'autres encore plus dures qui étoient aisées à prevoir, & qu'on avoit tout lieu d'attendre de l'animosité de personnes si puissantes. Enfin l'impossibilité de défendre par aucun Ecrit public sa foi & son honneur, qu'on déchire impunément par des harangues & des libelles diffamatoires. Tout cela paroit plus que suffisant pour justifier la retraite du Docteur van-Espen, dont l'unique dessein est de se mettre à couvert de l'oppression, & de passer le peu de vie qui lui reste, dans la seule occupation de se préparer à la mort, sans en être détourné par d'autres soins.

FIN.

O.

APOLOGIA PRO FUGA

Z. B. VAN-ESPEN J. U. D. ET SS. CAN. PROF.

Rationem redditurus omni æquo lectori, cur hac ætate, hoc est annum agens 82., discesserim e Patria, & urbe Lovaniensi, in qua natus & educatus hactenus vixeram, videor mihi debere rem paulo altius repetere, & rerum mearum statum candide enarrare; cum sine harum cognitione vix bene judicari possit de causis, quæ me huc impulerunt.

Annus agitur 53. ex quo juris utriusque Doctor creatus sum in Academia Lovaniensi, cum essem Presbyter, credidi Professioni meæ magis convenire peculiare studium juris Canonici quam civilis: cum ex illo magis quam ex hoc illustrari posset Ecclesiastica disciplina.

Sed hic statim adverti multos Canonistas vel potius Decretalistas non satis instructos notitia antiquitatis Ecclesiasticæ, statuere principia non solida; vel ea quæ habebant solida, infirmis argumentis, sæpe etiam instrumentis supposititiis munire.

Ipsos ergo fontes adivi; hoc est sacra Concilia, Romanorum Pontificum, Episcoporum & Principum Decreta: adhibitis etiam eruditorum virorum commentariis, aliisque bonæ notæ scriptoribus; ubi perspicue deprehendi, & præcipuam & præeminentem auctoritatem semper agnitam fuisse in Romano Pontifice; sed valde tamen diversam ab immensa & indefinita potestate, quam ei ab aliquot seculis adscribere cœperunt auctores non pauci: quamque homines Curiæ Romanæ Administris obnoxii ubique promovere student; non sine læsione auctoritatis Episcoporum, Parochorum, ipsorumque supremorum Principum & Magistratuum.

Existimavi igitur me rem non inutilem, præsertim Belgio nostro facturum, evulgando Tractatus aliquos, in quibus separando certa ab incertis conarer veterem ac hodiernam disciplinam explicare, & quantum fieri posset conciliare.

Hinc factum est, ut, præter *Jus Ecclesiasticum Universum*, successive ediderim plures Tractatus & dissertationes circa materias particulares; qui libri, quantum intelligere potui, passim non male audierunt.

Norunt qui mecum familiarius vixerunt, & ego sancte contestari possum, nullam me unquam laboribus istis mercedem temporalem vel percepisse vel desiderasse; sed hoc unice spectasse, ut quantulumcumque possem, publicæ utilitati inservirem.

Quam vero, per Dei Misericordiam ab odio

odio aliave affectuum vehementia fuerim alienus, vel hinc patet, quod non modo semper studuerim omnem in doctrina aut disciplina excessum vitare, sed eam etiam servare stili modestiam & simplicitatem, ut nemo mihi calami acerbitatem vel contumeliosas locutiones posset objicere.

Cum tamen candide scriberem prout sentiebam, non potui evadere offensionem aliquorum, quibus gravissime displicet quidquid eorum commoda vel dominationem videtur posse minuere: Unde mirum non est, quod crebris vexationibus impetitus fuerim.

Leviores conatus, hoc est, famosos libellos, qui jam ab annis plusquam 40. spargi cœperunt, non commemorabo. Nec etiam Romanas prohibitiones *Juris Ecclesiastici Universi*, & *Tractatus de promulgatione legum Ecclesiasticarum*; cum satis notum sit Romæ passim prohiberi, quidquid cum omnibus illius Curiæ placitis non consentit.

Verum abhinc annis circiter 20, cœperunt exoriri graviores tempestates; quæ equidem semper repressæ fuerunt, quamdiu patuit via justitiæ.

Anno 1707. horrendam imposturam, toto Belgio jam vulgatam, commentus est P. Bern. *Desirant*: qui conficto ingenti numero falsorum Instrumentorum, me cum pluribus aliis conabatur traducere ut reos plurium scelerum, ac nominatim hæreseos, & perduellionis. Causa legitime examinata, fraus detecta fuit, ac Desirantius omnibus muniis exutus perpetuo exilio mulctatus est. Jamdiu ille me pluribus libellis & calumniis invaserat, quæsito semper colore tuendi potestatem Pontificiam, cui nemo unquam magis adulatus est quam ille. Post imposturæ tam pudendæ convictionem, nihilominus gavisus est protectione imo & familiaritate Illustrissimi tum Nuntii Coloniensis; Romam postremo a Clemente XI. invitatus, illic honorifice vixit, & a biennio circiter obiit.

Anno 1718. alius conatus adhibitus est. Repertus est, nescio quis delator, qui Illustrissimo Internuntio suggereret me quædam in publicis Lectionibus dixisse quæ Romani Pontificis auctoritatem læderent. Scripsit ea de re vir Illustrissimus ad Rectorem Universitatis, qui statim causæ examen instituit. Sed cum nihil criminis deprehenderetur, negotium sopitum fuit.

Anno 1718. D. P. *Govarts* Vicarius Apostolicus Sylvæ-Ducensis, in Epistola scripta ad Illustrissimum Archiepiscopum Mechliniensem, nunc S. R. E. Cardinalem, sine ulla causa vel occasione contumeliosissime in me invectus est. Epistolam illam typis edidit idem Archiepiscopus, inter prætensa *Acta Ecclesiæ Mechliniensis*. De hac injuria conveni in judicio Dictum D. Govarts: & cum omnia ejus improperia in eo fundarentur quod jura Principum in libris meis defendissem contra prætentiones quasdam Curiæ Romanæ, cui obstrictus erat Govartius, jussit Excell. D. Marchio de Prié, tunc locum tenens Gubernatoris Belgii, ut in causa, quæ agitanda erat coram Magno Consilio, seu Parlamento Mechliniensi, mecum se jungerent Fiscales Regii ejusdem Parlamenti. Causa acta est ultro citoque per biennium & amplius. Eventus fuit ut quanquam D. Govarts esset ejusdem Parlamenti Consiliarius Ecclesiasticus, causa tamen ceciderit, jussusque sit per ipsam sententiam a talibus imputationibus in posterum abstinere sub interminatione gravioris pœnæ.

Sic quamdiu ordo judiciorum perturbatus non fuit, facile evasi ex accusationibus adversariorum. Idem contigisset in hac postrema causa, nisi primum libertas judicio & Judicibus fuisset adempta; ac postea sub alio Judice, ante causæ instructionem sententia tam occultis insidiis fuisset fabricata, ut hactenus ignorem a quo vel a quibus lata sit. Sed negotium hoc paulo fusius enarrandum est.

Occasione consecrationis D. Cornelii Steenoven in Archiepiscopum Ultrajectinum factæ per unum Episcopum, scilicet Illustrissimum Babylonensem, edidit D. Damen Doctor Lovaniensis *Dissertationem de numero Episcoporum* &c. in qua frivolis argumentis ac præsertim ex falsis Decretalibus, conabatur ostendere, invalidam esse ordinationem Episcopalem ab uno Episcopo factam, nisi accesserit dispensatio Romani Pontificis.

Circa libellum istum & quæstionem in eo

eo pertractatam, quæsivit sententiam meam vir Amplissimus de Clero Ultrajectino, vetere 50. annorum amicitia, mihi junctus. Respondi pro munere meo Professoris SS. Canonum (nam ex Canonibus Ecclesiasticis res præcipue elucidanda erat) simulque Dissertatoris argumenta dissolvi. Hanc Epistolam seu resolutionem Canonicam, vel amicus ille, vel alius quispiam in Hollandia imprimi curavit, sub titulo *Responsionis Epistolaris*, adjecta præfatione sua.

Statim atque prodiit illud scriptum, ostendit Illustr. Internuntius Bruxellensis se id ægerrime ferre: non propter doctrinam, quæ in eo asserebatur, sed quia ad calcem Epistolæ significaveram me existimare in causa de juribus Ecclesiæ Ultrajectinæ subreptum fuisse SS. D. Benedicto XIII. quod quidem expresseram in verbis, quæ nec tenerrimos animos viderentur posse offendere; præsertim cum nemo mihi hactenus molestiam creasset propter resolutionem Canonicam in favorem jurium Ecclesiæ Ultrajectinæ, cui subscripseram jam tum ab anno 1717. cum quatuor Collegis J. U. Doctoribus: quæ resolutio a pluribus annis impressa & reimpressa erat.

Sive tamen Illustr. Internuntius revera tam acriter indignaretur Responsioni Epistolari, sive occasionem quæreret adversum me, propter alios libros jamdiu editos; instituit vehementem querelam apud Consilium Status contra *Responsionem Epistolarem*. Id cum intellexissem, obtuli & ipse libellum supplicem, petens ut, quoniam agebatur de scripto præferente nomen meum, traderentur mihi gravamina seu objectionum capita, ut ad ea possem respondere. Nihil obtinui; supplicationes bis terque renovavi brevi tempore, instantissime rogans ne me inaudito & indefenso decerneretur aliquid quod famæ meæ obesse posset. Sed frustra semper.

Interim non erant unanimes Amplissimi Consiliarii; cum non deessent qui nihil putarent statuendum, saltem me inaudito. Verum cum iis ex jussu Excellentissimi Gubernatoris, adjungeretur extra ordinem alius, (qui nunc majori munere fungitur) (*) res eo tandem devenit ut 12. Sept. 1725. ferretur Decretum, quo *Responsio Epistolaris* jubebatur publice lacerari ut *injuriosa S. Sedi*, *scandalosa*, & *perniciosæ consequentiæ*.

Eodem die ab Aula Bruxellensi mittebantur Mandata ad Rectorem Universitatis Lovaniensis & ad Promotorem, ut inquireretur an vere essem Auctor Responsionis Epistolaris, & ubi hoc constaret, severe mecum ageretur.

Dum hæc fiebant, ausus sum recurrere ad ipsum Thronum Augustissimi Imperatoris, quandoquidem Bruxellis ne audientiam quidem obtinerem. Supplicem querimoniam suscipere dignatus est Clementissimus Cæsar; mandavitque ut cetera defensionis meæ argumenta colligerem, atque ad Majestatem suam mittenda traderem serenissimæ Archiduci, quæ interea in Belgium feliciter advenerat.

Parui qua decebat Reverentia; & adornato scripto Gallico non exiguo (†), curavi mense Junio 1726. id tradi una cum demissis litteris serenissimæ Archiduci; quæ dignata est illud postea Viennam mittere.

Illic cum invictissimus Cæsar rem jussisset examinari, misit 21. Dec. 1726. mandata altera, quibus jubebatur fieri id quod unice postulaveram: videlicet ut exhiberetur mihi exemplar laceratum *Responsionis Epistolaris*; & si me ejus auctorem agnoscerem, causa mea ageretur *coram Judice competente*, *Rectore Universitatis Lovaniensis*, & *jus diceretur* (*pour y être fait droit*) *servato juris ordine*, *secundum leges & consuetudines Patriæ*, *ac sacros Canones*.

Cum exhibitum esset exemplar laceratum, dedi scriptam Declarationem 28. Januarii 1727, me agnoscere dictum exemplar conforme esse (in quantum recordari poteram) originali Resolutioni a me subscriptæ

(*) D. de Baillet Archipræses.
(†) *Defense ulterieure &c.*

4. Junii 1725, excepto titulo & præfatione, quæ adjunxerat Editor.

Itaque paulo post cœpit institui actio contra me a Promotore Universitatis coram Rectore. Cumque is, qui tum Rector erat, causam præbuisset recusationi, quam statim admisit, negotium devolutum est ad vice-Rectorem, quem neutra pars recusavit.

Sic spatio trium aut quatuor mensium causa principalis ventilabatur utrinque satis ordinate. Nullatenus dubitabam de eventu, si usque in finem juris ordo servaretur. Neque ipsi adversarii dubitabant, qui propterea pertæsi legitimorum processuum, aliis mediis uti constituerunt, hoc est, duplicem de novo vexationem.

1am. Exorsus est Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Mechliniensis, subito & præter omnem exspectationem me aggrediens; quasi ad opprimendum hominem octogenarium & infirmum non sufficeret una lis, quæ tum maxime flagrabat; sed de novo isto negotio aliquid dicendum erit, dum prioris status & eventus enarrati fuerint.

Altera vexatio fuit frequens perturbatio ordinis judiciarii, adimendo Judicibus libertatem: quod nunc latius exponendum est (*a*) . . . . . Ex hac sincera narratione omnibus puto satis apparere; jamdiu consilium fuisse Romanæ Curiæ adulatoribus, ut causam aliquam quærerent me opprimendi; atque ita deterrendi ceteros a defensione, quantumvis modesta, jurium Ecclesiæ & Reipublicæ, quæ cum Ultramontanis Opinionibus non conveniunt: nullam tamen causam repertam fuisse, quæ hoc posset efficere, quamdiu juris ordo & æquitas servabantur: hoc etiam apparuisse in hac postrema accusatione circa *Responsionem Epistolarem*.

Hinc coactos fuisse eos, qui me volebant opprimere, juris ordinem perturbare; contra jus omne, contra Ecclesiæ Canones, contra leges & Consuetudines Patriæ, contra expressum mandatum Augustissimum Imperatoris:

Judicibus primum ademptam fuisse libertatem: exclusos Judices, in quos ipsa pars adversa consenserat, & qui nunquam recusati fuerunt: obtrusos alios ex iis, quos adversarii volebant: nec istos tamen me condemnasse:

Postmodum clam & subito fabricatam esse sententiam; antequam lis satis instructa esset: eam fuisse contra ordinem, & animo diffamandi, statim affixam & publicatam: latam fuisse vel fine Assessoribus, vel cum talibus, qui mihi occultati fuerunt; atque ita me jam a duobus circiter mensibus fuisse condemnatum a Judicibus, quos in hunc usque diem ignoro: ipsum Rectorem fateri in sententia, se de causa non judicare; sed tantum agere executorem Decreti Consilii Status: quod tamen latum fuerat me inaudito; etsi sæpius petivissem audiri:

In ea præscribi mihi ut revocem *Responsionem Epistolarem*, intra tres septimanas, sub interminatione ulterioris pœnæ: cum ab ea legitime, ut ipsa pars adversa agnoscit, appellassem, noluisse Rectorem ut effectus sententiæ interea suspenderetur: adeoque sibi reservasse ut, non obstante appellatione per ulteriores pœnas (quæ vox latissime patet) me interim conaretur adigere ad revocationem:

Non omissuros fuisse homines præpotentes mihique privatim infestos, quin ad durissima quæque impellerent Rectorem, cujus magna est potestas coactiva: spatium trium septimanarum nimis breve fuisse, quam ut interea possem obtinere effectum recursus ad ipsum Clementissimum Imperatorem, quem alioqui potuissem instituere.

Ex alia parte me passum fuisse atrocissimam injuriam ab Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Mechliniensi:

Adversus hanc injuriam, hactenus mihi non patuisse viam justitiæ, etsi ad illam pluries confugerim:

Subsistere interim mandatum Cardinalis de non administrando mihi ullum sacramentum; etiam in articulo mortis; nisi satisfaciam tribus ejus interrogationibus.

Ex

(*a*) Series Historiæ deest: At ex supra relatis instrumentis suppleri potest.

Ex his omnibus evidenter patere, initam esse quamdam conspirationem hominum potentissimorum, de me penitus opprimendo, nisi consentiam voluntati eorum:

Adeo exspectandam fuisse perpetuam & gravissimam persecutionem & corporalem & spiritualem, nisi contra conscientiæ dictamen & veritatem agnitam revocarem *Responsionem Epistolarem*, subscriberem Formulario contra Jansenium juxta sensum Bullæ *Vineam Domini Sabaoth*, & pure ac simpliciter acceptarem Bullam *Unigenitus*; imo forte nisi plura insuper præstarem ad libitum adversariorum.

Nescio an apud eos, qui hæc attente considerare volent, opus sit probare, non aliud mihi consilium superfuisse, quam ut secederem ex carissima Patria, si vellem evadere plurimas & gravissimas tentationes, in tam grandæva ætate, & infirma valetudine:

Ac proinde nec levitati, nec desiderio alterius domicilii consilium hoc adscribendum esse: quod & satis evincit tempus 82. annorum, quibus semper in Patria habitavi.

Hoc etiam sincere profiteri possum, non provenisse ex desiderio effugiendi molestias & vexationes. Scio per Dei gratiam, quantum illæ conferant ad æternam salutem. Sed hoc præsertim timui, ne vel vi vel fraude aliquid a me extorquerent adversarii, quod veritati aut justitiæ adversaretur. Nam, ut nihil dicam de propria infirmitate, quis est qui viribus suis diffidere non debeat, & timere, ne si inter tanta pericula voluntarie maneat, aliquando labatur cum Petro, qui *putabat se posse quod se velle sentiebat*?

Hinc plena est Scriptura Sacra & Historia Ecclesiastica exemplis & præceptis, quibus docemur fugere persecutiones. Liceat hic pauca breviter commemorare: non ut fiat aliqua comparatio personarum (absit): sed ut pateat secessum meum non posse culpari, nisi talibus argumentis quibus etiam sanctissimorum hominum, imo ipsius Christi, exempla & doctrina culparentur.

Fugit Jacob a facie fratris sui Esau:

Fugit Moyses audita exprobratione sibi facta ab iniquo Israelita:

Fugit David pluries vim & insidias falsorum Fratrum, ipsiusque Saulis a Deo in Regem olim constituti:

Fugit Elias per viam 40. dierum:

Fugit Mathatias cum filiis suis:

Fugit ipse Christus Dominus cum Maria & Joseph in Ægyptum; ac deinde pluries secessit ab uno loco in alium, ut vitaret insidias gentis suæ, quamdiu nondum venerat hora ejus.

Neque hoc exemplo tantum, sed & verbis docuit discipulos suos. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*; adeoque consilium saltem dedit fugiendi persecutiones.

Quin non desunt inter SS. Patres, qui in illis verbis agnoverunt præceptum. S. Cyprianus Epist. 20. *sicut Domini* MANDATA *instruunt, interim secessi*: S. Athanasius Apol. de fuga sua ad Constant. *Verbum Patris . . . . . hoc præceptum dedit*. Dubitat quidem S. Augustin. Epist. nunc 228. ad Honoratum, dum dicit: *quod Dominus præcepit sive permisit*. Verum loquitur de Episcopis & Pastoribus, de quorum fuga tractat quæstionem, an quando sit licita. Sed nullatenus dubitat quin semper licita sit ceteris.

Hinc ab ipso initio Ecclesiæ in prima persecutione *omnes dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ præter Apostolos*. Act. VIII. 1.

Quam multi vero fugerint primis seculis Ecclesiæ, etiam inter sanctos & martyres, notius est quam ut dici debeat: sed, quod amplius est; ubi prohibebatur ab initio sponte se offerre judicibus, ita etiam inter Tertulliani errores numerata est ejus opinio, qua putabat illicitam esse fugam tempore persecutionis. Imo & consenserunt omnes Catholici, aliquando ipsis Episcopis & Pastoribus fugiendum esse. Hinc S. Augustinus, in prædicta Epistola tractans illam quæstionem, argumentis & exemplis ostendit *tunc de locis, in quibus sumus, premente persecutione, fugiendum esse Christi Ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur, aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium Ministerium, quibus eadem non est causa fugiendi, sicut in sporta submissus, quod supra memoravi, fugit Apostolus, cum a perse-*

fecutore proprie ipse quæreretur; aliis utique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic Ministerium absit ut desereretur Ecclesia; Sicut fugit S. Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam a ceteris Ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat.... Nam quantum necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit quod vir ille mansit in carne, Catholica fides novit, quæ adversus Arianos hæreticos ore illius & amore defensa est.

Et sane non tantum fugit S. Athanasius, vir alioqui tam invictæ fortitudinis, sed tota ejus vita ab initio Episcopatus per annos fere 40. vix aliud fuit quam fuga perpetua & locorum mutatio: ut plane superfluum esset plura hic exempla adjungere. Nec sine causa constitutum est, ut in ejus festo Evangelica lectio in sacrificio Missæ inciperet a supradictis Christi verbis: *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.*

Quid ergo timebant viri tanti, & tam sancti? An mortem per se, quam sciebant esse transitum ad vitam æternam? An carcerem, aliasve pœnas? minime; sed aliorum saluti & suæ etiam consulebant. Non ignorabant terribilia multorum exempla, qui cum visi essent fortissimi, postquam nimis confisi sunt viribus suis, lapsi sunt; alii timore mortis, alii tædio exilii, alii carceris, aut minoris etiam pœnæ; alii per fraudes & equivoca seducti & decepti.

Confido igitur neminem ex iis, qui agnoscunt meam causam justam esse & bonam, ægre laturum quod secesserim. Idem non spero ab adversariis, quibus displicet quidquid egeris, nisi illis consentias. His sufficiat hæc Responsio: *si fugam exprobant, se magis pudeat quod persequantur. Desinant insidias tendere, mox gradum sistent qui fugiunt* (S. Athan. Apol. de fuga, Num 8.).

FINIS HUJUS V. PARTIS.

APPEN-

APPENDIX I.

APPROBATIONES
OPERUM ESPENII,

Quæ in ultima eorumdem Editione, Parisiis (mentito Lovanii nomine) Anno 1753. exarata desiderantur.

A.

Privilegium Cæsareum

Propria manu Caroli VI. Imperatoris subsignatum, & Editioni Coloniensi Operum Espenii anni 1729. præfixum. Datum 24. Maii 1728. (a)



CAROLUS VI. Divina favente Clementia electus Rom. Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirthenbergiæ, Comes Tirolis &c. &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum nobis noster sacrique Romani Imperii fidelis dilectus, Wilhelmus Metternich, Bibliopola Coloniensis humillime exponi curarit, quem in modum Zegeri Bernardi ab Espen J. V. D. Lovaniensis opera omnia in sex partes divisa &c. prælo committere resolverit, vereatur autem ne æmulorum invidia editionem hanc imitantium impendii & laboris sui fructu frustretur: ideoque nobis demisse supplicarit quatenus ejus indemnitati Privilegio nostro Cæsareo succurrere Clementissime dignaremur; Nos submissæ pariter ac æquæ ejus petitioni annuendum censuerimus, ac proinde Auctoritate nostra Cæsarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscumque rem Librariam seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis supra nominata Zegeri Bernardi ab Espen opera omnia sub hoc aliove titulo per duodecim annorum spacium ab hodierno die computandum intra Rom. Imp. & regnorum, Ditionumque nostrarum Hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudenda dare, aliorumve impressa apportare, citra præfati impetrantis ejusdemve hæredum ac successorum voluntatem & assensum in scriptis obtentum, ausit vel præsumat. Si quis vero secus faciendo Privilegium hoc nostrum, seu interdictum violare contemnereque præsumpserit, eum non solum ejusmodi exemplaribus ubicumque locorum repertis, perperam quippe recusis, seu apportatis (quæ dictus Wilhelmus Metternich sive propria auctoritate sive Magistratus illius loci auxilio sibi vindicare poterit) de facto privandum; sed & decem marcarum auri puri pœna Ærario seu fisco nostro Cæsareo, & parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus nostri privilegii in fronte libri impressus teperiatur & consueta quinque exemplaria Consilio nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis nostris, & sacri Romani Imperii, Regnorumque, & Dominiorum nostrorum Hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quam

(a) Omissum in Editione operum Espenii, Lovanii, (Parisiis) anno 1753. exarata.

quam secularibus, cujuscumque status, gradus, dignitatis aut ordinis fuerint, præsertim vero iis, qui in magistratu existentes vel suo, vel superiorum suorum loco, jus, justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constituta a nobis mulcta eos puniri & quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi gravissimam nostram indignationem, prædictamque pœnam evitare voluerint: harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in civitate nostra Vienna, vigesima quarta Maji; Anno Millesimo septingentesimo vigesimo octavo, Regnorum nostrorum decimo septimo, Hispanicorum vigesimo quinto, Hungarici & Bohemici vero decimo octavo.

CAROLUS Imp.
(L. S.)

Vt. FRIDLAR *Com. de Schonborn, ad mandatum sacræ Cæsar. Majestatis proprium.*

J. S. HATJECK DE WALDSTATTEN m. p.

B.

Approbatio Censoris Regii.

In Tractatum de promulgatione Legum ecclesiastic. &c. (a)

Vincit in amore virtus, & in virtute plus omnibus una increata veritas, quæ potentissima, cum semper vincat, nec hic succumbere potest. Nam quantum quis ad veritatem accedit, vel ab ea recedit, tantum ad Deum accedit, vel ab eo recedit; quia veritatem nulla vis dejicere, nulla fraus decipere, nulla perturbatio de gradu deturbare potest. Meretur nomen & virtus Auctoris, ut delibemus potius, quam enarremus, quo studio & qua propensa investigatione pro Imperatore & Rege nostro agat ille Auctor in *Tractatu de Promulgatione Legum Ecclesiasticarum, ac speciatim Bullarum & Rescriptorum Curiæ Romanæ, ubi de Placito Regio, quod ante earum Publicationem & executionem in Provinciis requiritur &c.* Hic Liber est, qui super muros Jerusalem constitutus custos, non multis verbis pauca comprehendit, sed paucis aurea pro sceptri Fulcimine, ut scilicet non tam otiosorum auribus placeat, quam ut ægrotorum mentibus prosit. Prælo indiget ut illæsa maneat Majestas Belgica contra exosos momorum aculeos, qui plus taciturnitate vincent, quam garrulitate perdent, præcipue dum Auctor, ut Patriæ vindex & ut Belgici Juris Sacerdos, pro indigena immortalitatis securitate associata possidet encomia, intonando verba Origenis Homil. super Hierem. *cap.* 12. hæc ante me alii exposuerunt, & quia non improbo interpretationem eorum consentiens eandem profero, non quasi ipse repererim, sed reperta jam repetens, ut mihi pariter vobisque conducat, si tamen quæ dicenda sunt, intentus animus excipiat: ita ut non indigeat Auctor Synedri Censura Regia, qui pro publico tam pretiosa suggerit charismata. Dat. Bruxellis 23. Septembris 1712.

P. J. DE FIERLANT,

Supremi Brabantiæ Consilii Senator, & Censorum Censor Regius.

PRÆ-

(a) Omissa, cum sequenti Præfatione, in Editione ultima Operum Espenii, Lovanii (Parisiis) anno 1753. exarata.

PRÆFATIO.

Apostolos fuisse admodum solicitos, ut primis Christi fidelibus persuaderent, Principibus & Magistratibus civilibus, tametsi adhuc gentilibus, obedientiam esse exhibendam, ostendunt eorum Epistolæ, idque ne apud Principes hujus seculi & Magistratus locorum male audiret Christiana Religio, si qui forte Christiani Legibus illorum & Edictis minus obtemperarent, ac rursum ne ipsi Fideles Religionis Privilegio sese exemptos ab obedientia Potestatis secularis existimarent.

Observant autem passim interpretes, verisimile esse, hanc curam præcipue impendisse Apostolos propter eos, qui crediderant ex Judæis, eo quod ex Historicis ac notanter *Josepho* constet, Judæos proclives fuisse ad rebellandum Principibus Romanis, ipsisque Tributa solvere detrectasse, eo prætextu quod esset populus Dei, quem liberum ab hujusmodi servitute hominum, præsertim infidelium, esse oporteret.

Præstitit id egregie Apostolus in Epistola ad Romanos *cap.* 13. scribens, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*.

Apostolum hoc loco de potestate duntaxat seculari agere, una fuit tam Græcorum quam Latinorum Patrum Sententia, uti notat hic Guilielmus Estius, quod & contextus Sermonis, & Gladii ac Tributorum mentio satis indicat.

Ut autem Apostolus fideles eam obedientiam Principibus & Magistratibus civilibus exhibendam persuaderet, subjungit, *Non est enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt*, quasi diceret, tametsi hi Principes & Magistratus gentiles sint, & a Fide Christiana alieni, imo ejusdem Fidei persecutores, nihilominus eis obedientia exhibenda est, quia quæcunque sunt potestates, idest, quicunque sunt homines potestate præditi, ut Principes & Magistratus, ii sunt ordinati atque instituti a Deo, ideoque tanquam a Deo institutis seu missis obediendum: Unde & subjungit Apostolus, *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*.

Ut autem intelligerent Fideles, quam grave esset hac in parte ordinationi Dei resistere, adjungit, *qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt*.

Pluribus hoc argumentum ibidem prosequitur Apostolus, ostendens Magistratum secularem positum ut Dei Ministrum ad vindictam malorum & laudem bonorum, *nec enim*, ait, *sine causa gladium portat: Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*, hoc est, ait Estius, ut ejus vice ac nomine justitiam exerceat vindicativam in puniendis iis, qui malum agunt, vel pacem publicam turbantes, vel honestatem vitæ communis lædentes.

Quapropter & infert, quod Magistratibus eorumque præceptis subditi esse debeant tanquam Dei Vicariis, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*.

Hisce Judæos convincebat Apostolus, quod vel eo titulo, quod se specialem Dei populum dicerent, specialius quoque obedientiam exhibere deberent Potestatibus sublimioribus & Magistratibus tanquam a Deo institutis & ordinatis, ac tanquam Dei Ministris vices ejus in terris agentibus, ut proinde, qui eorum ordinationi resistunt, Dei ordinationi resistant.

Similiter & Princeps Apostolorum solicitus fuit, ut hunc prætextum Judæorum ad Fidem conversorum detrectandi obedientiam Principibus Ethnicis, quod esset specialis populus Dei, ex animis Fidelium evelleret tanquam Religioni Christianæ summopere adversum.

Igitur in prima sua Epistola *cap.* 2. eos adhortans, *ut conversationem inter gentes haberent bonam, ut in eo quod detrectant de vobis* (inquit) *tanquam malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis*, a generali exhortatione ad particularia præcepta sanctæ & honestæ conversationis descendit, atque primo loco proponit hanc Regibus & Magistratibus obedientiæ exhibitionem, scribens: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum*.

Quid autem per creaturam intelligi voluerit Petrus, ostendunt verba subsequentia, *sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*: quasi diceret, Dei voluntas est, ut Regi & Ducibus sive Potestatibus secularibus obediendo convincatis imprudentium hominum ignorantiam, qui vos tanquam obedientiam recusantes sub prætextu libertatis Christianæ incu-

incusant, de contrario convincatis vos exhibendo omnibus in sublimitate constitutis subditos, idque *quasi liberos, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*, quo significare voluit, obedientiam Principibus etiam Ethnicis a Christianis præstandam liberaliter sive ex animo & voluntarie tanquam a servis Dei, non autem libertatem Christianam quasi velamen prætexendam malitiæ & inobedientiæ.

Ex his perquam manifestum est, Apostolos Fidelibus ad Christum conversis inculcatum voluisse, Regnum Christi non esse de hoc mundo, nec Christum venisse, ut Imperia stabilita destrueret, aut enervaret, sed ut in Imperio & sub Imperatoribus tanquam peregrini & advenæ libera caritate, quæ eis mandaverat, exercerent, subjecti interim sublimioribus Potestatibus tanquam a Deo ordinatis, ut verissime propterea canat Ecclesia:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui Regna dat cælestia,

Similiter dum Christus Apostolis eorumque Successoribus claves tradidit ligandi & solvendi, eosque misit, ut Evangelium prædicarent omni creaturæ, atque ut Fideles dispensatores Mysteriorum Dei Regulas Evangelicas populis proponerent, atque ad Christi ovile per Doctrinæ prædicationem & Sacramentorum exhibitionem adducerent, nequaquam hac potestate imminui aut convelli voluit jura Imperii, aut sublimiores Potestates in administranda Republica turbare, sed e contrario verbo & exemplo omnibus persuaderent, Regnum Christi, quod prædicabant, non esse de hoc mundo, nec ad hanc vitam, sed ad æternam vitam spectare.

Quidquid igitur potestatis & libertatis Christus suæ Ecclesiæ acquisivit & dedit, nihil temporali Principum auctoritati a Deo ipsis immediate concessæ officit, nec illi, qui eam a Christo libertatem aut potestatem sunt consequuti, sub prætextu aut velamine Ecclesiasticæ libertatis subtrahere se possunt a subjectione, qua ex Dei ordinatione omnis anima sublimioribus Potestatibus subjecta est.

Omnis igitur potestas, quæ a Christo Apostolis donata fuit, unice ad fundandum & propagandum Spirituale hoc Regnum Christi, quod non est de hoc mundo, pertinet, & in hujus potestatis exercitio eos ut semet ipsum audiri voluit ipse Christus, dicens, *qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit:* atque in hoc consistit proprie, quam hodie vocamus, libertas Ecclesiastica, sive eorum, qui ad ministerium verbi tanquam Apostolorum Successores cum eadem potestate successerunt, ut nimirum libertate gaudeant annuntiandi Ministerium Evangelii ac imbuendi Christi Fideles præceptis Evangelicis; quam libertatem primum quodammodo adepta fuit Ecclesia Christi, postquam per tria pene secula sub Imperatoribus Ethnicis & Infidelibus procellis persecutionum agitata tandem sub Constantino M. ejusque Successoribus Principibus Christianis ea libertate donata fuit, ipsique Imperatores etiam eos tanquam Christi Ministros in iis, quæ ad salutem æternam spectabant, audire iisque subjici voluerunt.

Duæ igitur ex Dei ordinatione sunt potestates, una quæ Apostolis eorumque Successoribus a Christo donata tota est spiritualis, solamque æternam Beatitudinem intuetur & pro fine habet: altera temporalis Reipublicæ pacem & tranquillitatem spectans, omniaque avertens, quæ eam turbare aut infestare possent, atque hæc est potestas sublimioribus Potestatibus a Deo donata, & cui omnis anima subdita esse jubetur.

Per utramque hanc potestatem orbem Christianum regi & gubernari jampridem recte monuit Imperatorem Anastasium Gelasius Papa I.: „ Duo quippe sunt (inquit) Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum & Regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nostri etiam, Fili Clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expectas, inque sumendis Cælestibus Sacramentis, ejusque (ut competit) disponendis subdi te debere cognoscis Religionis ordine potius quam præesse. Nostri itaque inter hæc ex illorum te pendere Judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes, imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare Sententiæ, quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi Mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro Divinitatis cultu, quod congruit: ita his (quod absit) non mediocre periculum „ est,

„ est, qui, cum parere debeant, despiciunt." Hæc ex ipsa Epistola Gelasii, prout integra extat Tomo 4. Concil. General. Editionis Labeanæ columna 1181., cujus fragmentum, sed multum truncatum & interpolatum retulit Gratianus *distinct. 96. Can.* DUO SUNT; sub nomine quidem Gelasii, sed, uti recte notat correctio Romana, potius ex Epistola Gregorii VII. quam ipsius Gelasii.

Teste igitur Gelasio Pontifice duæ sunt Potestates, quibus etiam sub Christianis Imperatoribus mundus hic regitur, nimirum *sacra auctoritas Pontificum & Regalis potestas*.

Priorem res sacras spectare, atque inde ipsos Pontifices dici rerum divinarum præsules, quibus Imperatorem tanquam Ecclesiæ filium devote colla submittere, asserere non dubitat, atque ab eis causas suæ salutis exspectare, inque sumendis cælestibus Sacramentis, eisque (ut competit) disponendis subdi se debere. Atque de his intelligi debet, quod subjicit: „ Nosti itaque inter hæc ex illorum „ te pendere Judicio, non illos ad tuam „ velle redigi voluntatem."

Manifestum proinde est, sacram Pontificum auctoritatem ex sententia Gelasii totam spectare ad res sacras & spirituales, atque ipsos Reges eatenus huic auctoritati se subjectos agnoscere debere, ut ab iis tanquam rerum sacrarum præsulibus, & cælestium Sacramentorum dispensatoribus causas salutis, ut ceteri Christi fideles, expectent, atque hoc est, quod ait Gelasius „ tanto gravius esse pondus Sa„ cerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus „ Domino in divino reddituri sunt examine „ rationem."

Regalis autem potestas, qua mundum Catholicum regi asserit Gelasius, hanc & integram esse apud Imperatorem fatetur, agnoscitque hac auctoritate Augustum humano generi præsidere.

Quo autem hæc Regalis potestas, qua Principes humano generi præsident, pertineat his verbis expressit „ si enim, quantum ad or„ dinem pertinet publicæ disciplinæ; cogno„ scentes, imperium tibi superna dispositione „ collatum, Legibus tuis ipsi quoque parent „ Religionis Antistites, ne vel in rebus mun„ danis exclusæ videantur obviare sententiæ."

Ex sententia igitur Gelasii Principes Christiani Regali potestate humano generi præsident, & ea, quæ ad ordinem publicæ disciplinæ vigore imperii superna dispositione sibi collati ordinaverint, etiam sacri Antistites observare jubentur, sive Legibus pro conservando ordine publicæ disciplinæ parere tenentur.

Certum autem est, hunc ordinem publicæ disciplinæ sive pacem & tranquillitatem temporalis reipublicæ conservari non posse, si Principi rescire non liceat, quid in Rempublicam sibi commissam aliunde invehatur, quidque etiam sub velamine ac pretextu Religionis divulgetur, & populo per modum Legis imponatur.

Scitur enim nihil esse, quod magis ordinem publicæ disciplinæ invertere, pacemque & tranquillitatem Reipublicæ temporalis turbare possit, quam novas Leges Populo imponere.

Proinde Leges; quibus Principes vetant quidquam per modum Legis per suas Provincias quacunque auctoritate sine suo scitu, aut eorum, qui Reipublicæ vice sua præsunt, placito atque assensu divulgari & executioni mandari, ex iis sunt, quæ ad ordinem publicæ disciplinæ pertinent, quibus proinde, fatente Gelasio, ipsi etiam Religionis Antistites parere jubentur.

